HEIDEGGER, Johann Henri

Joh. Henr. Heideggeri Historia Papatus : novissimo historiae Lutheranismi & Calvinismi... reposita, qua Ecclesiae Romanae... origo et progressus, ad nostra usque tempora, pertexitur : accedit Francisci Guicciardini... Historia Papatus... -- Opus...nunc vice recusum accuratiùs, correctiùs, juxta editionem priorem, quam nuper adornari curavit. -- Amstelaedami : Henricus Wetstenius, 1698


[28], 596, 40, [16] p., *-3*4, 4*2, A-Z4, 2A-2Z4, 3A-3Z4, 4A-4E4, 4F2, a-g4 ; 4º

Port. a dos tintas. -- Apostillas marginales. -- Contiene: Francisci Guicciardini... Historia Papatus, con portadilla propia

1. Iglesia-Historia-S. I-XVII 2. Eliza-Historia-I-XVIII. m. I. Guicciardini, Francesco II. Historia Papatus III. Título

R-5699 Firma autogr. en h. de guarda. -- An. ms. -- Enc. perg.

141



46.

C. F. Gauss

Göttingen 1826.

Man schreibt den Halbschatten, dessen Farbe in 6 bis 10 Secunden [illegible] Kegel, paraffelig [illegible] Raum Gauss will, daß zwischen den beiden gemischten Schatten kein Mond, Fixstern und Erde stehen. Man gewinnt für diese Absicht die beste Richtung an einem gemessenen Platte Probesit, und Navigirt den Kreis Horizontal Gesichtskreis Gradmessung der Herr. Dr. Pfleiderer Kant Kästner. Göttingen 1782 S. 253.

C-F-2-8

R-5688

JOH. HENR. HEIDEGGERI

HISTORIA PAPATUS,

NOVISSIMO HISTORIÆ
LUTHERANISMI & CALVINISMI
fabro κατὰ βίαιον reposita.

Qua Ecclesiæ Romanæ, septem Periodis distinctæ, origo & progressus, ad nostra usque tempora, pertexitur.

Accedit

FRANCISCI GUICCIARDINI
Patritii Florentini

HISTORIA PAPATUS,

Ex Autographo Florentino restituta.

Opus, ob exemplarium tum raritatem tum caritatem secunda nunc vice recusum

Accuratiùs, correctiùs,
juxta editionem priorem, quam nuper adornari curavit

AMSTELÆDAMI
HENRICUS WETSTENIUS.

Anno M DC XCIIX.

Diputación de Sevilla Biblioteca

PIO CANDIDOQUE

LECTORI

JOH. HENR. HEIDEGGERUS

Gratiam & Pacem à Domino Jesu Christo, Ecclesiæ Christianæ Salvatore & Capite unico, ardenter precatur.

MEritò equidem ille admirabilis patientiæ athleta S. Jacobus questus est cap. VII. 1. הלא צבא לאנוש *Annon militia est* vita *hominis?* Militiam certè continuam Supremus Imperator tum singulis fidelibus, tum universæ Ecclesiæ, quam & multi, & sævi in mundo hostes circumsistunt, indixit; in qua, uti piè & scitè Tertullianus loquitur, Agonotheta est DEus Pater, Epistates JEsus Christus, Xystarches Spiritus Sanctus. Et ut de singulorum fidelium agonibus nihil dicam, in propatulo, si unquam aliàs, hodie sanè sunt certamina & πειρατήρια Ecclesiæ Evangelicæ, quæ in mundo sustinet ab iis, qui soli Ecclesiæ

Catholicæ axiomate, quod non tam pretio, quàm vi auferunt, ſuperbientes, ſine fine & modo ei inſultant. Hoc illis negotium, hoc otium; hic labor, hæc quies; in his vigilia, in his ſomnus reponitur, ut eorum omnium, qui Romani Pontificis jugum excuſſerunt, ſeque in libertatem dignam iis, qui ſolum Chriſtum Regem & Dominum agnoſcunt, ejuſque ſolius præceptis & oraculis obediunt, aſſeruerunt, Tros Rutulúſve fuant, *etiamſi*, ita bullæ eorum loqui, ſeu potius paratragœdiare, imò bullare amant, *Imperiali*, *Regali*, *Ducali*, *Principali authoritate*, *faſtigio præfulgeant*: nomen ſub Cœlo aboleatur, funditus eradicetur; adeóque Cœleſtia & terrena, ſpiritualia & temporalia omnia pedibus & libidini hominis unius ſubjiciantur, ut (ſic enim Dictator Gregorius in Dictatibus ſuis præcipit) *unum ſit terris nomen*, *videlicet Papæ*; reliqui volitent velut umbræ. Teſtis eſt tot jam Seculorum, noviſſimi inprimis, quod agitamus, experientia. Cui enim non dictus Hylas? Quis ignorat molimina, quis epinicia, lætóſque triumphos, quos canunt illi, qui conclamatum ubique de Eccleſia Anti-Pontificia eſſe, inſolenter etiam jactant? qui pleno gutture clamant: *Ubi eſt DEus eorum*, *ubi Rupes*, *in qua ſperärunt?* Scilicet ob peccata & ingratitudinem, & quia, uti S. Cyprianus Sermone *de Lapſis* cauſam turbatæ olim à Decio Imperatore pacis Eccleſiæ aperuit, *tráditam no-*

bis Divinitus disciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem, & pœne dixerim, dormientem cœlestis censura erigere conatur. Hinc procul absistente Domino, & faciem suam ad tempus occultante, *in insolentia impii ardet afflictus. Impius in altitudine nasi sui nil pensi habet. Instituta ejus cruciatum adferunt, idq; omni tempore. Altè sublata sunt è conspectu ejus judicia Domini, in omnes adversarios suos efflat. Dicit in corde suo: Non nutabo, per Secula ero absq; incommodo. Os ejus perjurio, dolis & usura scatet: sub lingua ejus afflictio & vanitas. Sedet in atriis insidians, clam trucidat innocentem, oculi ejus ad inopum turbam intenti sunt. Insidiantur in occulto, quemadmodum leo in lustro insidias struit, ut corripiat adflictum, adflictum inquam corripiat, dum in rete suum pertraxerit. Conteritur, opprimitur, ac cadit viribus ejus miserorum turba: Dixit corde suo: DEus oblitus est, avertit faciem suam, ne unquam videat.* Neque certè Papa Clerúsque Romanus vero zelo domus DEI, sed utilitatis solius, commodorúmque suorum ratione in perniciem nostram agitur, & à Ventre, qui ipsorum DEus est, suetam pristinarum deliciarum copiam efflagitante, stimulatur. Nimirum quia tot Civitatibus, provinciis, regnis, nihil ampliùs in istam voraginem conferentibus, metus est, ne quandoque res ad Saguntinam famem spectet: quia Papalis Regni provectior ætas tan-

tummodò quæſtui, non autem luxuriæ modum fecit: quia denique, uti ille in oratione funebri Periclis, apud Thucydidem *libro II.* narrata, dixit, λύπη ἐχ ὧν ἄν τις μὴ πεπερασμένῳ ἀγαθῶν στερίσκῃ· ἀλλ' ἃ ἂν ἐθὰς γιγνομένῳ ἀφαιρεθείη *dolor non ex ablatione boni, ſed ex conſueti privatione exiſtit*; Hinc illæ lachrymæ: hinc dolor, ira, quæſtus: hinc effrœnatus in Proteſtantes ille furor, omnia ſúſque déque verti malentium, quàm nidorem culinæ ex offertoriis Miſſarum, ignemque Purgatorii luculentiſſimum extingui: quàm Annatas, Indulgentias, Pallia, Regalias, & id genus alia πρὸς ἄλφιτα & ad cuticulam profuſiùs curandam pertinentia, ſibi ſuæque culinæ decedere. Profeſſus id olim eſt ἀπηρυθριασμένως famoſus ille Pontificii furoris fatelles, Caſpar Scioppius, libello ad Clementem IIX. exarato, ubi, *ſi minùs*, inquit, *charitatis lex & officii ratio: ipſa certè* UTILITAS, & CURIÆ ROMANÆ EMOLUMENTUM *impellere Romanos ad ſuſcipiendam majorem convertendæ* (dicere volebat evertendæ) *Germaniæ curam meritò deberet.* Laudavit idem autorem ἀνώνυμον, id ipſum haud obſcurè ſignificantem his verbis: *Ut agonizantibus vires conreſcunt: ita Catholici, toi amiſſis reditibus eccleſiaſticis, interitum cognoſcentes, pro aris & focis* (plus tamen haud dubiè pro focis, quàm pro aris) *evigilandum ſibi eſſe ducunt.* Quomodo naturæ quoque conſultus Plinius *Hiſtor. Natur. lib. IIX.* 16.

aliique,

aliíque tradidere, Pardum decrepitum & morti vicinum, mitiorem non fieri, ſed in ſenecta magis etiam homines appetere: & ſerpentes mox morituri, acriùs periculoſiuſque mordere, ac obtrito capite, poſtremùm cauda minari ſolent. Hæc intima, hæc veriſſima moliminum Pontificiorum cauſa eſt. Jam olim, Hieronymo teſte, Prætextatus gentilis, non è fœce homo, ſed Romano Prætorio Præfectus, deſignatúſque Conſul, Epiſcopi Romani, *Matronarum oblationibus*, uti Ammianus Marcellinus loquitur, *ditati*, opulentia illectus, dicere ſolitus eſt: *Facite me Romanæ urbis Epiſcopum, & ero protinus Chriſtianus.* Quæ non rabida orexis eum ſtimulâſſet, ſi ætate Reformationi proxima Romanæ Curiæ ſplendorem & potentiam oculis uſurpare ipſi integrum fuiſſet? Sed imminutum per doctrinam Evangelii eum ſplendorem, infractam non parùm potentiam, & magis jam fama nonnulla reſidua, quàm vi ſtare res ſuas, reputans, omnibus collectis viribus in integrum ſe reſtituere, & priſtinæ amplitudinis ornamenta recipere ſatagit. Hinc diræ illæ non uno in Regno, non una in Provincia machinationes, quas modis omnibus patres illi, qui in Domini ſui commoda jurati, per publicam mundi calamitatem clareſcunt, juvare & provehere non deſinunt. Accedunt eorundem publica etiam ſcripta, non tam atramento, quàm ſanguine exarata, quibus id unum inſatiabiliter

agunt,

agunt, ut prodigiosis mendaciis, tetris calumniis, insidiosis, sinuosisque, & ad aucupandos efferandósque adversus opportunos quibusvis injuriis, Dominantium animos, ingeniosissimè conflictis comparatisque narrationibus, non tantùm Sanctorum & præclarè de Christiana republica meritorum virorum manes pios, famamque nequiter prosciſſam, ludibrio mundi hujus objiciant: sed ipsam etiam doctrinam, Prophetarum & Apostolorum fundamento unicè superstructam, ceu impietatis & ἀγνωσίας τῦ θεῦ, turbarúmque & perduellionis omnigenæ foetam matrem, capitaliter lacessitam, odio, invidiæ & execrationi omnium exponant. Quorum in censu haud sanè postremum locum obtinet novissima illa *Lutheranismi & Calvinismi historia*, non tam recentibus, quàm inveteratis odiis composita ab eo, qui ira studióque percitus, afflictis afflictionem addere, & Ægyptiaci exactoris instar populo DEI lateres duplicare, in votis flagrantissimis habuit. Ex eo enim ordine, cáque secta sacerrimorum hominum oriundus est, qui Seculorum aliquot veternosos, turpissimos, pernicioſissimos errores incrustare palliaréque: omnia Papæ (sit venia verbo) stercora, tùm per se graviter olentia, tum verò hoc tempore, quo doctis ab hominibus crebrò commoventur, multò magis foetentia, orationis amaricino condita, pro aromatibus orbi Christiano venditare ita sueverunt, ut

nihil

nihil tam craſſum, tam putidum, tam impurum, inſulſum, impium in illa ſuperſtitionis Pontificiæ παναιρεμία deprehendatur, quod illi gravi ſerióque vultu, licet oblatrante intus conſcientia, non aſſeverent. Et quamvis abſurditatum ſuarum ὀφθαλμοδείκτως arguantur: citiùs tamen ſua kuſciniolæ cantio, quàm iis contortulæ captiones & ſophiſmata defuerint, quæ reponant: ita ut, etiam cùm iis maximè ſatisfit, nunquam tamen ſatisfiat: & quàm δυσθήρατον ζῶον Sophiſta ſit, in his maximè appareat. Nôrunt quippe callidiſſimi omnium, ſecundum decantatum celeberrimi Cardinalis apophthegma, *Mendacii vim in pertendendo conſiſtere.* Quod genus hominum perfrictorum præfractorúmque ſcitè Julius Cæſar Scaliger triremibus ἑτερηρέτμοις, remos ab uno tantùm latere habentibus comparat, utpote quæ ſemper in ſeipſas in gyrum recurrunt. Et hac quidem verſipelli Sophiſtica duo illi, Pontificio Regno apprimè utilia conſequuntur, vel certè ſpectant. Primò enim homines ſuos, iſtis non vanitatibus, ſed fatalibus ſtuporibus oppreſſos in Papæ obſequio retinent: tantóque id faciliùs, quò magis adverſarios ſuos graviſſimis mendaciis apud eos infamant, probè etiam probeque ut hæreant calumniæ, cavantes, ne noſtrorum ſcripta, ſoporis veternum excuſſura, in ipſorum manus veniant; gnari utique certique, id ſi contingeret, fore, ut non tantùm curato ſuperſtitionis mor-

bo ad se decepti redirent, & sese pudendis fraudibus, quibus irretiti tenentur, feliciter exsolverent: sed eorum etiam, qui fraudem ita faciunt, æruscationes omnes intervertantur; adeóque ἀξιονόμαστος illa Arx Babylonica, jam ante ad lapsum prona, penitus

Subruta succensis mox corruat ima tigillis.

Tum etiam apud hæreticos, quos αὐτοδιδάκτους sic vocare solent, hoc proficiunt, ut contentionum ferram isthanc reciprocando, in hanc eosdem curam conversos, minùs cautos attentósque ad improbas molitiones & technas, quibus libertatem & capita nostra interim licitantur, petuntque, efficiant; haud dissimiles vel callidis gladiatoribus, ictum alia parte qui minantur, alia inferunt: vel astutis πολιπόρθοις, qui alibi speciem expugnationis faciunt, alibi seriò expugnant. Has similésque verè Sinonias artes quemadmodum exercuerit famosus ille *Historiæ Lutheranismi & Calvinismi* faber (à Societate illa Ignatianorum seriò jam, an per ludum exauthoratus sit, parùm nostra scire refert: jam pridem enim est, quòd histrioniam in mundo homines isti scitè exercent) in propatulo est. Etenim præcipuæ id curæ habuit, ut putidissima de Luthero, Zvvinglio, Calvino, Beza mendacia, à Cochleis, Bolsecis, Suriis, Santesiis, Petrasanctis, similibúsque nugarum, fabularum, calumniarum hamaxariis prodita, totiésque à viris cordatis, quin ipsis etiam, quorum

jugu-

jugulum illi appetierunt, superstitibus adhuc solidè discussa, atque in aprico ita posita, ut pellucerent magis quàm solis radii, cùm sudum est, ex orco revocaret, & iis fidem si non faceret, at certè, quod ingenui hominis fuerat, non demeret etiam. Suâ enim, & malæ, quam tuetur, causæ interesse putavit, ut mendacia ista, sive probata, sive non improbata saltem, in medio cubarent, quæ ita subdolè propinata ab iis, quibus malivolentia & odio inde à prima face juventæ adversus nos imbutis suffusisque, hominum talium dicta oraculorum vice funguntur, cupidissimè haustum iri non dubitavit. Ne dicam infamiam, qua aspergere viros illos conatur ille τ ἁγίων καθήγε-ς, redundare in Papatum ipsum, cùm non Evangelium, sed Papatum adhuc professi criminibus illis arcessantur. Neque magis Ecclesiis nostris, si tales pœnitentes gremio sinubúsque suis recepissent, verti vitio posset, quàm olim versum vitio fuit Ecclesiæ, cùm S. Cyprianum ante Conversionem magicis artibus deditum; & S. Augustinum Manichæismi & illiciti concubitus impietate, priusquam in Christi castra transiviſſet, alligatum, utrumque non tantùm in cœtum suum cooptavit, sed Episcopum etiam constituit. Scilicet *hominis DEI facta non debent aliunde numerari, nisi ex quo DEO natus est*, uti scitè Pontius in vita Cypriani dixit. Solentque quibus multum remissum est, vicissim amare multum.

Tum doctrinam Ecclesiarum nostrarum ex Lutheri, Zvvinglii, Calvini, aliorum (in quorum verba non ita juravimus, ut illi solent in Romani sui Pythagoræ αὐτὸς ἔφα) verbis dictisque nonnullis, maligna interpretatione depravatis, & consequentiarum tortuosarum equleo impositis, ejusmodi fingit, ut similis nequitiæ vel ipsum illum, qui ab initio mendax & latro fuit, pudere debuerit. Præterea, quantas turbas, tumultus, contentiones secum nostræ doctrinæ prædicatio traxerit, ita invidiosè commemorat, ut præstigiosis suis sophismatis perfidiæ, perduellionisque matrem non obscurè eam traducat. Quasi scilicet non hic sit Divini verbi quasi genius, ut nunquam emergat quieto ac dormiente Sathana; neque nisi illo ringente, turbante, Cœlum terræ miscente, fideles persequente, opprimente; & conscientiarum libertatem ubique terribiliter oppugnante, denique periclitante libertate omni, conscientia, fortunis & vita, ad acre telum, extremam necessitatem, quæ piam honestámque reddit quamlibet expediendæ salutis rationem, compellente, emergat: vel Christus etiam ipse non sit lapis offensionis & petra scandali, positus in ruinam & resurrectionem multorum, & in signum, cui contradiceretur. Scilicet illi regnorum inversionem, Regum oppressionem meditabantur, quorum nulla unquam vox factiosa audita est, & vita semper quieta simplexque ap-

paru-

paruit: qui imbelles, quieti, placido ingenio, opportuni injuriæ, metuentes magis quàm metuendi: qui non cædibus aliorum, ſed martyriis continuis fidei ſuæ ἰσοθύμως confeſſorum adoleverunt creveruntque: qui, ceu oves mactationi deſtinatæ, tot horribiles Cyclopicaſque lanienas ſubiverunt: qui legitimos Principes, & ſucceſſionum jura, adverſus impias inſidiatorum machinationes toties ſtrenuè defenſitârunt: qui denique quandoque fontica neceſſitate adacti libertatem, jura, privilegia, fortunas omnes, conjuges, liberos, ſanguinem non adverſus Principes, ſed adverſus Principum ſeductores, hominesque nefarios, qui religionis prætextu & via ad dominationem iter gradumque ſtruxerunt; vim injuſtam juſta vi repulerunt! Illos verò criminum talium reos agere proclivius longè fuiſſet, qui pridem Secularibus negotiis, homines de templo vel Schola, ſeſe ingeſſerunt: qui Principum & Rerum publicarum arcana ſcrutati, prodiderunt exteris: qui ipſum humanæ ſocietatis vinculum, quod in data fide, & pactorum obſervantia conſiſtit, pervertere toties conati ſunt: qui Clementibus, qui Catisbejis, qui Caſtellis, qui Ravaillacis, qui ſicariis aliis ad parricidia muniverunt iter: qui Regnorum excidia machinati ſunt: qui variis technis ſanguinem ac vitam noſtram, & vel ipſa vita chariorem libertatem, aſſiduis ſtudiis, & vineis, quod ajunt,

plureisque admotis, impetierunt! Jam & Atheismi foedissima labe cùm aspergere sanctissimam doctrinam nostram, quæ ad DEum verum Israelis in uno JEsu Christo propitium, recto tramite, & procul facessere jussis humanarum inventionum & ratiocinationum aviis præcipitisque, ducit; ausus est homo, furenti quàm scribenti similior, quis non extremam intemperiem profligatissimæ mentis palpat? Quis homini tam protervè crasséque mentienti in cœteris, si qua verè etiam prolocutus esset, fidem adhibere tutò potest? Viderit autem ἄθυρον illud στόμα, quò domestica de Vicariatu Romani Pontificis, qui plerunque & notitia rerum Divinarum, & solida virtute vacuus, Guiceiardino ὀικείῳ teste, *tum bonus censetur, cùm bonitas ejus aliorum hominum malitiam non superat*, doctrina aurigetur. An induci quis poterit, ut bona fide credat, verum DEum esse, qui ejusmodi in rebus ad salutem animæ æternam pertinentibus, vicarium in mundo constituit? Annon potiùs vel sola ea doctrina, in qua totius Papatus cardo vertitur (de cæteris nihil dicam) decumanam ad quamvis impietatem portam aperire idonea est? Neque forte altiores uspiam radices Atheismus agit, quàm apud eos, qui persuasione tali dementati creduntur. Ne verò, ut tale quid asseram, partium studio me provehi accusator ille clamitet, audiat domesticos testes, qui ante Reformationis tempora scriptis publicis

incla-

inclaruerunt. Alvarus Pelagius Johannis XXII. Pœnitentiarius, de Planctu Ecclesiæ, *lib. II. art. 2. fol.* 194. sic jam olim scripsit: *Plangit Ecclesia peccata populi, maximè CLERICORUM quasi majora peccata Sodomorum. Videmus enim, quòd fides & justitia terram reliquerunt. Sacra pagina, sacrique Canones PRO FABULIS habentur.* Franciscus Petrarcha Epistolarum sine titulo XVI. de Curia Papali, qualis tum Avinione erat, sic loquitur: *In Regno avaritiæ nihil damno adscribitur, modò pecunia salva sit. Futuræ ibi vitæ spes, INANIS quædam FABULA, & quæ de inferis narrantur, FABULOSA omnia, & resurrectio carnis, & mundi finis, & Christus ad judicium venturus, inter nænias habentur.* Ad compendium alia pono, quæ historia Papatus hinc inde propalat. Neque forte deerunt alii, qui periti linguæ, qua author sublestæ fidei historiam suam contexuit, prement propediem opprimentq; κατὰ πόδα vestigia fraudis, & inglorium fœtum isthunc penitus conterent. Mihi verò insignitè audax facinus visum est, hominis consumpto pudore omni *Lutheranissmi & Calvinissmi* probrosam narrationem molientis, & sordidissima ulcera, quibus totum Ecclesiæ, in qua versatur, corpus pridem correptum, lethalem morbum contraxit, stolidè supinéque negligentis. Occurrit haud immeritò Horatianum illud:

Mevius absentem Nevium cùm roderet; Heus tu!
Quidam ait, ignoras te? an ut ignotum dare nobis
Verba putas?

Jure ille Luthero- & Calvino-Mastix, cum Mævio sibi ac suis ignoscens, audiat, quæ in Mævium ibidem sic Poëta lusit:

Stultus & improbus hic amor est, dignusq; notari,
Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutùm,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Sicut igitur ille Lutheranismum & Calvinismum improbo calamo perstrinxit: sic impedire non potest, quin & illi, quos Lutheranismi & Calvinismi nominibus & convitiis, velut stigmatibus quibusdam inurere, pipulóque differre conatus est, de censoris Mæviani sententia, in Papatus, quem per alieni nominis ruinam ædificare nequicquam ille sustinuit, vitia, non fictitia illa, sed verissima testatissimáque inquirant, adeóque *Historiam Papatus* velut ἀποτροπαῖον eidem, nec sine commentariorum quadam mantissa, reponant. Sicut porro elinguis ille Crœsi filius Atys, patris periculo perculsus, in vocem erupit: ita infacundus ego, Ecclesiæ; cujus salus imis æquè ac summis, doctis indoctisque curæ esse debet. Contigitque provido Numine, ut in conscribenda, & ex authoribus idoneis, qui copiosissimè argumentum isthoc

prose-

profecuti sunt, in usum meum privatum (non aliud planè institutum fuit) contrahenda Ecclesiæ Romanæ historia occuparer eo ipso tempore, quo adversarius ille glorioſi militis fœtus lucem aspexit. Jam enim ad sextam usque periodum historiam illam ex integris voluminibus à viris doctissimis, Platina, Onuphrio Panvinio, Baronio, Genebrardo, Mornæo inprimis Plessiaco, Bullingero, Usserio Armachano, Salmasio, Blondello, Hottingero, Spanhemio, Hornio, Reisero, aliisque contextis, breviatam produxeram; in qua sic Authorum subinde verbis totidem (ultro enim id profiteri, non sine gratitudinis testificatione publica, haud erubesco, inprimis cùm destinatio mihi non alia primùm fuerit, quàm in privum usum collecta in scriniis meis recondere) inhæsi, & brevitati etiam studui, ut idonea tamen testimonia eorum, quorum authoritatem ipsimet adversarii jure defugere non queant, neutiquam omiserim; quædam scitu non indigna iis, quæ ab aliis edita sunt, hinc inde addiderim; & rebus gestis, quoad summam rei, pœne nihil subduxerim. Sexta periodus Reformationis historiam complexa, nisi ab aliis luculentissimè tradita jam esset, ampliorem tractationem merebatur utique. Nunc satis habui summa rerum capita, & Pontificum, à quibus omnis in Ecclesiam corruptio solis defluxit, tergiversantium haud secus, quàm ursus palo alligandus so-

let,

let, contrarias artes & ſtudia, comparatis ſubinde nuperi etiam Cardinalis Pallavicini vel prætextibus frivolis, vel tacitis etiam confeſſionibus, in medio ſtatuere. Septimam verò ultimamque, à fine Concilii Tridentini ad noſtra uſque tempora excurrentem periodum, quæ præ cæteris ob Pontificum adverſus Eccleſiam inſignes technas & violenta molimina (vis enim, an dolus, quis in hoſte requirat?) iiſque oppoſitam benigniſſimi Numinis Eccleſiam tot inſidiis appetitam clementiſſimè protegentis vigilantiam, aliáque cognitu digniſſima eſt, quamque dedita opera, quod ſciam, nemo hactenus tradidit, paulò fuſiùs accuratiuſque ediſſerendam putavi. Ipſa periodorum Romanæ Eccleſiæ diſtinctio non tam affectata quàm nativa, utpote rebus geſtis inſita prorſusque accommodata, lucem nonullam hiſtoriæ, & inſtituto etiam noſtro (nam hiſtoriam Papatus proceſſu tractationis cum Prophetia de Babylone magna ita comparare conſtituimus, ut diſcuſſis falſis de Babylone interpretationibus, certiſſimis argumentis, & rerum ipſarum notionibus apertæ veritati daturi ſimus, Prophetia de Babylone magna non alium cœtum, quàm Hierarchicum Eccleſiæ Romanæ Divinitus proclamatum eſſe) uti planè confido, fœnerabitur. Habebunt ſic Epitomen ſuccinctam, qui Eccleſiæ Romanæ hiſtoriam cæteraſ vaſtiſſimam compendioſa lectione cognoſcere properant

rant: in qua ſi quid liberiùs dixi, verè tamen, & poſtulante re ipſa, ac inſtituto ſuſcepto, dixi, atque inſuper ipſa nominis mei involutus obſcuritate latitabo lubens; paratus de cœtero rationem dictorum expetentibus, vel provocantibus etiam promptiſſimè reddere. Neque tamen is ego cuiquam videri velim,

Pellem rodere qui velit caninam;

& cum maledicis maledictis convitiiſque certare. Nam

Indignis ſi maledicitur, maledictum eſſe dico:
Verùm ſi dignis dicitur, benedictum eſt, meo quidem animo.

Longéque de ſententia Ciceronis, *aliud eſt maledicere, aliud accuſare. Maledictio nihil habet propoſiti præter contumeliam: Accuſatio verò crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet.* Liquebit autem ex hiſtoria Papatus ſic à me concinnata (ſummam enim ejus paucis conſtringere etiam heic juvabit) primos Eccleſiæ Romanæ Epiſcopos, viros ſanctiſſimos, à quibus Papa magnitudinis ſuæ primordia ac jura deducit, non modò potentia civili & mundana penitus nudatos; verùm etiàm ab eadem miſerè divexatos, diu obſcuros, ac ferè ignotos fuiſſe; neque alia re magis ipſorum nomen, quàm cruciatibus & ſuppliciis perferendis, quæ unà cum iis, qui eos ſequebantur, admirabili pietatis zelo ſuſtinuerunt, innotuiſſe. Hac

illi purpura, hoc oſtro ſolo fulgebant. Unus illis ſanguis ſuus, coccus; una crux, gloria fuit. Cùm deinde diſcuſſis præteritorum malorum nebulis, poſt trium Seculorum decurſum Conſtantini M. & ſequentium Imperatorum benignitate, velut liquidiore Cœlo, è latibulis, cryptis ac ſpecubus, in quibus perſecutionum tempore delituerunt, evocati, liberè cultum Divinum exercerent, & palam ritus Chriſtianos profiterentur; factum eſt, ut partim vitæ morúmque admiratione; partim præceptorum, quæ Chriſtiana religione continentur, ſanctitate, nomen Chriſtianum omnibus locis mirificè propagaretur: illa verò Miniſtrorum Chriſti beata paupertas imminueretur, religioſis Principibus, aliiſque certatim omni genere beneficiorum eos promereri conantibus, tum ut pietatem ſuam teſtatam facerent: tum etiam, ut gliſceret dignatio Sacerdotum, atque ipſis promptior animus ad capeſſandas ceremonias foret. Bono idquidem animo, nec infelici ſucceſſu, quoad intra fines hæc liberalitas ſtetit. Poſtquam verò magnorum Principum munera modum exceſſerunt, & humana aviditas dulciſſimo terrenarum rerum guſtu laceſſita fuit, ſtatim filia (divitiæ) matrem (pietatem) devoravit, & ritus ſacrorum inter ambigua culti, per proſpera paulatim obliterati ſunt. Secundæ ſcilicet res ſapientum ſanctorumque virorum animos fatigant, & acrioribus, quàm

adver-

adverſæ ſtimulis explorant; quia miſeriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Ubi divitiarum cupido invaſit, neque diſciplina, neque bonæ artes, neque religio ſatis pollent. Exemplo igitur Gallinæ Æſopicæ, dum eſt ſtrigoſa & malè habita, ſingulis diebus ſingula parientis ova, ſaginatæ verò poſt, parere deſinentis, qui labores, pericula, dubias atque aſperas res, ipſaque martyria quondam facilè toleraverant, iis otium, divitiæ optandæ aliis, oneri miſeriæque fuerunt. Quid enim miſerius aut dolendum magis eſſe queat, quàm ſacram diſciplinam, ſanamque religionem, quæ adhuc paupertate magiſtra ſteterat, opibus oppreſſam adeò fœdè labaſcere: Sacerdotum integritatem in nequitiam, humilitatem in faſtum, cœleſtem gloriam in mundi pompam converti? Atqui res ipſa loquitur, & ſacerdotalis dignitatis ſplendor, ſupra taſces etiam Imperiales Regióſque elatus; ſenſim id quidem, ac placidis mollibúſque principiis, ut non ſecus ac ille Europæ amator, orbem è littore in altiſſimum pelagus nihil ſentientem homines callidiſſimi deducerent. Faciliùs enim dignitas creſcit quàm incipit. Pecunia quoque circa paupertatem plurimam moram habet, dum ex illa ereptat: Ubi verò inconſulta illa Principum liberalitate ereptavit, tum, uti mos eſt hominum, parvula initia pertinaci ſtudio perſequentium, clericalem illam ambitionem magnis auctibus progreſ-

ſam cernere fuit, quæ contenta eſſe eo, quod obtulerat occáſio, non potuit: quippe ſordent prima, cùm majora quæque ſperantur. Omnibus igitur expeditius videbatur augere regnum (verè *regnum* cum Bellarmino in Recognitionum libello, *Paſcere oves* ſit *Regio more imperare*) quàm fuiſſet accipere. Hinc non ſolùm in ſpiritualibus *Univerſalis Epiſcopi* titulum (etſi S. Petrum, cujus nomen dicis cauſa, per ludibrium tantùm obtenditur, Συμπρεσβύτερον potiùs, quàm Ἀρχιπαιμένα fuiſſe conſtet) poſt multas contentiones, non DEO, non Chriſto, non Principe pio, ſed Phoca parricida indulgente, tandem Bonifacius III. obtinuit, eodem ferè tempore in Occidente criſtas attollens, quo Muhammed in Oriente magnitudinem ſuam erigere cœpit: verùm etiam, ſpiritualis poteſtatis religionem univerſam paulatim corrumpentis abolentiſque, Divina & humana polluentis, contra jus & fas omne ita uſurpatæ beneficio, longiùs longiusque progrediens, miris artibus, anfractibus, cuniculis, Gregorio VII. Hildebrando, Furia illa humani generis, efficaciſſimè ambient[illegible]ac demum Bonifacio IIX. pleniſſimè rerum potiente, factus eſt

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbiq; ſacerdos;

in illud ſcilicet terrenæ quoque potentiæ, adeóque παμβασιλείας culmen evectus, ex quo poſtea non Clerum duntaxat

taxat plebemque universam, sed Imperatores, Reges, Principes, longè infra se positos ὀφρῦς ἔχων χιλιοταλάντους, ἀναχυλιοντουσίας, *supercilia habens mille talentorum pondere, sursum replicata*, uti Alexis apud Athenæum *Dipnos. VI. 8.* loquitur, intolerabili superbia despexit depressitque. Nam ille quondam sub soliorum ictu positus, quibuscunque Principibus obsequens, Servorum Servus, nunc suæ felicitatis authores dedignatus, triplicem illam gemmis auróque coronam, è fragmentis alienorum diadematum conflatam, quam è re ipsa REGNUM nuncupatam, (uti quidem Sigebertus, & Marcellus ipse *lib. I. Sacr. Cerem. Sect. 2. cap. quod*, testis est) quin & MYSTERII titulo, Brocardo memorante, olim inscriptam (ne dubium sit, quo referendus sit titulus Babyloniis magnæ) suo aptavit capiti, ut Regum Regem, imò Monarchomachum agnoscere liquidò queas. Ad hæc summos quosque Principes, obsequio olim tyrannis affectato, cernuos, fulguritos, adorabundos ad oscula pedum admovet: hos sibi lecticarios, hos stratores admittit: requirit, ut si sella gestari cupiat, abjectis suæ dignitatis insignibus, ipsi succollent: eqvum conscensuro, descensuróve strepam teneant: equo impositum, aliquot passus fœno ducant. Cæsarem designatum, imò creatum, coronam Imperii submissè à se petere jubet, auri massa, in signum tributi,

ad pedes ſuos projecta. In omnibus actibus ſeu Eccleſiaſticis, ſeu civilibus etiam, eminentiori gradu collocatur, & definita quidem altitudine, ſic ut Imperatoris locus non altior ſit, quàm ubi Pontifex tenet pedes: Cathedra etiam minùs alta, & ſcabellum parvum. Præterea lavandis manibus aquam Papæ præbet Cæſar, primum ferculum apponit, in officio Miſſæ caudam ejus trahit, in collatione mantile ei offert: ac omnibus item aliis in rebus, ultra ſervilem modum, faſces ſuos Pontificiæ dignitati ſubmittere cogitur. Indigniora etiam his Papæ ἀλαζονεύματα produci poſſent, ex quo Cœleſtia & terrena, ſpiritualia & temporalia omnia pedibus ſuis ſubjecta calcavit, & unicus ille mundi univerſi Dominus, unicus, ut ipſi appellant, VICE-DEUS, unus Imperator, unus Rex, unus verè Princeps:

——— *qui res hominúmque Deúmque*
Æternis regit imperiis, & fulmine terret;

cui fas ſit de cæterorum omnium Regum & Principum imperiis ac vita pro libidine ſua ſtatuere, audiit. En in quantum ſupercilioſæ poteſtatis faſtigium ex humili adeò in mundo ſorte partim ſeipſum Pontifex extulerit: partim etiam cùm præpoſtera majorum noſtrorum pietate, tanquam Luperco Antonio, diadema omnium gentium ipſi tradente; tum etiam aſſentatorum ſuorum, quâ juris Canonici Interpretum, quâ Theologorum

voci-

vocibus, ex more adulandi, nimiis & falsis, evectus fuerit! Tametsi verò invicto & planè Divino Heroum superioris Seculi zelo gravem admodum potentiæ hujus malis artibus quæsitæ, & pejoribus exercitæ, cladem passus est; utcunque tamen per Tridentini Conciliabuli anathematismos obfirmatus, vires animósque denuo sumpsit: & eo tempore adversus eos, qui Majestatem ejus dedignantur, continua fraude & aperta vi horribiliter decertat, nequicquam ad pristinæ potentiæ robur omnibus viribus suis contendens. Quippe limites ei fixit irrefragabiles Æterna DEI potentia & providentia, quæ non patietur iniquitatis isthoc sceptrum perpetuò Sorti Sanctorum dominari. Quin destruet definito tempore DEus eos, qui terram ipsi destruxerunt, horribilemque adeò confusionem & ἀναξίαν in mundum invexerunt. At *qui fidunt Domino, ut mons Sion non movebuntur, sed permanebunt in æternum. Quemadmodum circa Jerusalem sunt montes: ita DOMINUS circa suum populum ab hoc tempore in æternum. Non enim permanebit impietatis sceptrum in sorte justorum, ne justi manus suas admoliantur iniquitati. Benefaciet Dominus bonis, & iis, qui sunt proba mente. Qui verò deflectunt ad suas pravitates, eos ducet DOMINUS damnatos cum facinorosis; Pax verò erit super Israele.* Hæc votorum meorum summa; hæc prora puppisque

****

est

eſt libri mei, qui Papatus demonſtrando lethali & Epidemio morbo, retundendóque virulento & verè Lojolitici Genii ingeniiſque ſcripto hominis, qui æſtu torrentis animi raptus, exercitui viventis DEI maledixit; agnituri deinceps, & noſtra tela cuſpidem habere acuminatam, atque ſi machæram ipſe habet, & nobis urbinam eſſe domi: deſtinatus, profeſſione pietatis in Eccleſiam aut laudatus erit (quanquam hoc ſupra voti mei modeſtiam eſt) aut excuſatus. Ita ſervet TE DEus, *pie & benevole Lector:* ſervet Eccleſiam ſuam in mundi hujus impetuoſo pelago miſerè adeò jactatam, & ad exoptatum tranquillitatis portum feliciter denique perducat!

Perſcriptum בארץ הצבי prid. Kal. Auguſti Anno Chriſtiano M. D. C. LXXXII.

)?(o)?(

PERIODORUM ECCLESIÆ ROMANÆ SEPTEM ELENCHUS.

Diputación de Biblioteca

I. *Historia Ecclesiæ Romanæ in doctrina & regimine purioris.* Inde ab initio Ecclesiæ illius, ad tempus Constantini M. seu A. C. CCC. XIV. usque.

II. *Ejusdem doctrinam puriorem, quoad præcipua, retinentis, at in regimine dominationem affectantis.* Inde à Constantino M. seu A. C. CCC. XIV. ad Phocam & Bonifacium III. seu A. C. D. CVII. usque.

III. *Ejusdem dominationem in Spiritualibus, indultu Phocæ adipiscentis, & in doctrina ritibusq; degenerantis.* A Bonifacio III. seu A. C. D. CVII. ad Gregorium VII. seu A. C. M. LXXIII. usque.

IV. *Ejusdem dominationem etiam in temporalibus affectantis & in doctrina ritibusq; in pejus in dies vergentis.* A Gregorio VII. seu A. C. M. LXXIII. ad Bonifacium IIX. seu A. C. M. CC. XCIV. usque.

V. *Ejusdem dominationem in temporalibus etiam adeóq; Cæsareo-Papatum adipiscentis, & eundem, profligata doctrina puriori omni, flagitiosè exercentis.*

A Bonifacio IIX. ſeu A. C. M. CC. XCIV. ad Leonem X. ſeu A. C. M. D. XVII. uſque.

VI. *Ejuſdem per Reformationem, ſeu ſeparationem fidelium, ſuæ in ſpiritualibus & temporalibus dominationis cladem graviſſimam patientis.* A Leone X. ſeu A. C. M. D. XVII. ad Concilii Tridentini finem, ſeu A. C. M. D. LXIII. uſque.

VII. *Ejuſdem per decreta falſæ fidei, & anathematiſmos Tridentinos in errore obſirmatæ, & cum vera Chriſti Eccleſia fraude & vi continuè decertantis.* A tempore finiti Concilii Tridentini, ſeu A. C. M. D. LXIII. ad noſtra uſque tempora.

JOHANNES HENRICUS HEIDEGGERUS

Anagr.

NICANDER è HOHENEGG VIR SS. JESU.

EPIGRAMMA.

PApicolas *vincit*, debellat, profligat, ecce,
Nicander, celſa ſtirpe locóque ſatus;
Vir Salvatoris *JESU Sanctique Sacrique*,
Et DOMINI Servus fidus & eximius.
Nicander ſine fine vire, Chriſtiſque fideles
Defende, & *JESU Vir* famulúſque mane.

F. S. B.

ECCLE-

ECCLESIÆ ROMANÆ PERIODUS PRIMA.

Seu

Historia Ecclesiæ Romanæ in Doctrina & Regimine purioris,

Inde ab initio Ecclesiæ illius ad tempus Constantini M. seu A. C. CCCXIV. usque.

BREVIARIUM.

I. *Origo Ecclesiæ Romanæ variè disceptata est.*

II. *Circa eam certa ac explorata ab incertis, dubiis, suspectis & falsis distinguuntur.*

III. *Historia ejus septem periodis divisa.*

IV. *Ejus ab Apostolis fundatæ celebritas. Elogia eidem à S. Patribus tributa.*

V. *Primorum Ecclesiæ Romanæ Antistitum gloria fuit humilitas.*

VI. *Virgo Ecclesia paulatim degeneravit.*

VI. *Apostolorum tempore nondum impune grassari hæreticis licuit.*

VII. *Ecclesia Romana prima præcæteris ab hæresi immunis fuit.*

VIII. *Cypriani & Hieronymi elogia, quibus ejus sinceritatem commendant, ad ejus perpetuitatem perperam trahuntur.*

IX. *Epistolæ Decretales primis Ecclesiæ Romanæ Episcopis nonnulla simplicitati eorum parum convenientia tribuunt.*

X. *Earum γνησιότης oppugnata.*

XI. *Ecclesiæ Romanæ regimen paulatim deflexit.*

XII. *Episcopi & Presbyteri identitas ex Hieronymo asserta. Alexandrinæ Ecclesiæ, Presbyterorum præsidem eligentis mos ad alias Ecclesias, non malo primùm consilio, transivit.*

XIII. *Id successu temporis Romæ inprimis Episcoporũ ambitionem aluit. Unde Ecclesiæ Romanæ typhus cæteris maturè displicuit.*

XIV. *Victor Romanus Episcopus adversus Ecclesias Asiaticas sese effert.*

XV. *Stephani jus appellationis ad Ecclesiam Romanam ambientis, & Africanas ac Orientales Ecclesias communione arcentis conatus à Cypriano & Orientalibus repressus.*

Origo Ecclesiæ Romanæ variè disceptata est.

I. ECclesiæ Romanæ origo variis contendentium studiis disceptata hactenus est. A S. Petro Apostolo præsente, & annos viginti quinque ejus gubernacula tenente, fundatam esse, non desunt, qui mordicus pertendant. Adjungunt alii S. Petro Achatem fidum, S. Paulum, & ab utroque Ecclesiam fundatam, ab utroque, seu uno, seu duobus capitibus Pontificibusque, gubernatam asserunt. Quorum causam non ita pridem dedita opera doctiss. Arnaudus Sorbonista; & plurium etiam S. Patrum testimoniis fretus Baptista Casalius libro *de sacris veterum Christianorum ritibus* Romæ impresso; denique formosus ille Græco-Romanus Leo Allatius libro *de Consensu Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ*, egerunt. Extant etiam Bullæ ipsorummet Romanorum Pontificum, in quibus imagines Apostoli utriusque, & quidem S. Pauli dextram occupantis, expressas cernere est. Non desunt tamen Viri doctissimi, quorum nonnulli, velut Bapt. Mantua-

tuanus, Michaël Cæſenas, Marſilius Patavinus, Johan. Aventinus, Carolus Molinæus, in ipſis etiam Eccleſiæ, Romanæ viſceribus hæſerunt, qui S. Petrum Romam vidiſſe unquam, nedum ejus Eccleſiæ fundatorem, & viginti quinque annos integros Pontificem egiſſe, vel ambigant multùm, vel apertè, productis etiam in medium rationum haud contemnendarum caſtris, inficientur.

II. Licet verò, ut ambiguæ litis hujus fata dirimamus, haud ferat inſtituti præſentis ratio, operæ tamen pretium facturi videmur, ſi paucis certa & explorata ab incertis, dubiis, ſuſpectis & falſis diſtinxerimus. Illud igitur *certum* exploratumque eſt, S. Paulum, gentium Apoſtolum, non tantùm de Romanorum converſione quàm maximè ſolicitum, atque id egiſſe, ut Romam videret, Act. XIX. 21. Rom. I. 9. 10. 11. &c. quin & *ſecundum Evangelium ſuum*, ab illis, quos Romam miſit, ejus ceu miniſtri Chriſti nomine prædicatum, eos primum Chriſto lucrifeciſſe. Rom. XVI. 25. Deo odorem cognitionis ſuæ per ipſum ſpargente ἐν παντὶ τόπῳ *in omni loco*, 2. Cor. II. 14. Certum quoque exploratumque eſt maturè ſatis Romæ Evangelium prædicatum, pluresque ad illud converſos eſſe. Omitto equidem definire, an, quod Claudius juſſit Judæos Roma faceſſere, Act. XVIII. 2. *tumultuantes impulſore Chreſto*, uti in ejus vita Suetonius narrat, ad Chriſtianam Religionem pertineat. Neque etiam certò liquere puto, Andronicum & Juniam, quos *ante ſe in Chriſto* fuiſſe Paulus Rom. XVI. 7. affirmat, perſecutione, quam Saul movebat, diſperſos ſtatim Romam, uti nonnulli conjectant, abiiſſe, aut ibi prædicâſſe. Illud verò extra dubitationis aleam poſitum eſt, ſub Nerone ingentem multitudinem Chriſtianorum Romæ fuiſſe. De quo ſic Tacitus *A.* XV. 44. 4. *&c.* loquitur: *Ergo abolendo rumori* (incenſæ à ſe urbis) *Nero ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos vulgus*

Circa eam certa ac explorata ab incertis, dubiis, ſuſpectis & falſis diſtinguuntur.

Christianos appellabat. Auctor nominis ejus Christus, &c. Repressaque in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modò per Judæam, originem ejus mali, sed per urbem etiam, quò cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primò correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum MULTITUDO INGENS, haud perinde crimine incendii, quàm odio humani generis convicti sunt. Certum non minus est, ipsam Romam tandem eum vidisse, ibi in libera custodia Regnum Dei prædicâsse, & Dominum Jesum Christum concernentia cum omni libertate ἀκωλύτως *procul impedimento* omni docuisse, Act. XXVIII. 30, 31. denique Romæ intrepidum pro Christo martyrium subiisse, 2. Tim. IV. 16. 17. 18. Tum & illud æquè certum est, S. Scripturarum testimoniis, quod Petrus vel Romæ fuerit unquam, vel Pontificem ibi erecta cathedra egerit, probari vel evinci neutiquam posse. Ejus enim historiæ ne apicem quidem uspiam reperire est. Ut rei tanti momenti, à qua Ecclesiæ militantis salutem nonnulli suspendunt, si vera omnino est, nullam vel à Luca historiæ Apostolorum scriptore divino, & solertissimo, qui alia minora longè accuratè pertexere non omisit, vel ab aliis etiam scriptoribus sacris, & iis quidem locis, quæ rei gravissimæ narrationem flagitâsse quodammodo videretur, mentionem factam esse, admiratio ingens incessere omnes debeat. An igitur Petrus unquam Romam viderit, inter ἀμφισβητήσιμα *dubia* meritò reponimus. Tametsi enim, teste Eusebio *Hist. Eccles.* II. 15. primus Papias tradiderit, Petrum, Claudio imperante, Romam veniisse, ibi Simonem Magum confecisse, Evangelium Marci confirmâsse, & Epistolam suam priorem scripsisse; atque traditioni illi procedente tempore fidem habuerint plures pii doctique Patres: tamen illud ἀσφαλῶς certaque fide cognosci nequit, tum quia S. Literarum monumenta altùm hîc silent: tum quia Papiam fuisse hominem

nem

nem σμικρὸν τ' νῦν *exiguo judicio præditum*, idem Eusebius testatur: tum quia eundem Papiam manifestè falsa Apostolicæ traditionis fuco illita venditâsse constat: tum quia Papia antiquior Clemens Romanus Epistola priore ad Corinthios, à Patricio Junio Oxonii edita, utriusque Apostoli, Petri & Pauli labores ac itinera memorans, Paulum quidem ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως *ad fines Occidentis*, adeoque Romam delatum, ibique sub Nerone Martyrio sublatum scribit: at de Petro pauciſſimis defungens, nec locum martyrii ejus designat, nec profectionem in Occidentem ullam, nec Romanum ejus Episcopatum, nec suam in ejus locum successionem commemorat: tum denique quia veterum de Petri Romanis laboribus aliisque narratio discors, historiæ incertitudinem planissimè prodit. Egisse autem S. Petrum, annos viginti quinque Romanum Pontificem, prudentibus *suspectum* meritò est, quia cum historia sacra Apostolorum ἀσύστατον esse, sic satis solidè à viris doctissimis comprobatum videtur. Denique inter apertè *falsa* numeramus, quòd S. Petrum Romæ Pontificatu in Universalem Ecclesiam militantem defunctum, atque ejusdem Pontificatus œcumenici lampadem suis in eadem Romana sede successoribus tradidisse, novelli Romanæ sedis gnathones, sine tabulis divinis, instrumentisque idoneis, quæ πληροφορίαν generare valeant, ullis, imò contra disertissimam eorundem contestationem, asseverare non erubescunt.

III. De origine Ecclesiæ Romanæ pauca hæc præfati, ad institutum venimus. Multùm autem juvabit cognoscere Ecclesiæ illius progressum, mutationes, in doctrina cœlesti & regimine εἰλικρίνειαν, sinceritatem omni laude majorem, & ab eadem discessionem conversionemque multiplicem per gradus provecta, tandem pudenda & erubescenda nomini Christiano evasit. Liquebit enim inde res, his

Ejus progressus e gentis nec ſſarius eſt.

inprimis temporibus apprimè cognitu neceſſaria; aliud ſcilicet eſſe *florem*, aliud *Floram*; aliud *Veterem*, aliud *novam* Romam; aliud *fidelem* civitatem, aliud *adulteram*; & pro vero ante ducentos annos Theodoricum Uriam, Auguſtinianum Monachum affirmâſſe, *Eccleſiam Romanam ex aurea in argenteam*; *ex argentea in ferream*; *ex ferrea in terream*; *ex terrea in ſtercoream abiiſſe*; adeóque, quod ſcitum Scaligeri filii apophthegma fuit, juxta πολυθρύλητον illud Hæbreorum, חמר בן יין *Acetum filius eſt vini*; generoſiſſimi vini veteris peſſimum hodie acetum eſſe. Id verò manifeſtius ut faceremus, viſum eſt Eccleſiæ Romanæ hiſtoriam certis notoriiſque periodis incluſam & arctatam diſtinguere. Atque in univerſum periodi diſtinctæ ſeptem ſe nobis offerunt; quarum *Prima* hiſtoriam ejus in doctrina & regimine purioris, ab ejus initio ad Conſtantinum M. uſque. *Secunda* doctrinam puriorem in præcipuis retinentis, at in regimine dominationem affectantis, à Conſtantino M. ad Bonifacium III. uſque. *Tertia* dominationem in ſpiritualibus indultu Phocæ adipiſcentis, & in doctrina ac ritibus degenerantis, à Bonifacio III. ad Gregorium VII. uſque. *Quarta* dominationem etiam in temporalibus affectantis & in doctrina ritibuſque in pejus indies vergentis, à Gregorio VII. ad Bonifacium VIII. uſque. *Quinta* dominationem etiam in temporalibus, adeoque Cæſareo-Papatum adipiſcentis, & eundem profligata doctrina puriori omni flagitioſè exercentis, à Bonifacio VIII. ad Leonem X. uſque. *Sexta* per Reformationem & ſeparationem fidelium poteſtatis utriuſque cladem graviſſimam patientis, à Leone X. ad Concilii Tridentini finem uſque. *Septima* denique per novella decreta fidei, & anathematiſmos diros in errore obfirmatæ, & cum vera Chriſti Eccleſia fraude & vi continuè decertantis; certis rerum teſtimoniis documentiſque συντόμως τε καὶ ἐπιτόμως repræſentabit.

Hiſtoria ejus ſeptem periodis diſtincta.

III. Tem-

III. Tempore Apostolorum, ut à prima periodo, eáque laudatissima exordiar, Ecclesiam Romanam recens natam licet, sic S. Paulus Rom. I. 8. celebrat, ut Deo gratias agat per Jesum Christum, quòd fides Romanorum prædicetur ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ *in toto mundo.* Erat scilicet Roma ipsa οἰκουμένης ἐπιτομὴ *totius mundi compendium*, caput & vertex mundi, & confluxus hominum ex toto mundo, cui etiam totus ferè orbis habitabilis parebat. Nam teste Polybio *lib.* I. ἐπικρατηθέντα σχεδὸν ἅπαντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐν ὀλίγοις πεντήκοντα καὶ τρισὶν ἔτεσιν ὑπὸ μίαν ἀρχὴν ἔπεσε τῶν Ῥωμαίων. *Propemodum totus orbis habitabilis intra annos non totos quinquaginta-tres victus unum imperium Romanorum.* Non poterat igitur magis latere Romanorum fides, quam civitas in monte posita latere potest. Quamprimùm igitur Christo nomen Romani multi dederunt, mox fama per orbem volitavit: Ecce Roma, caput orbis, Evangelii fidem suscepit! Domina mundi, quæ Draconi, Diabolo servivit hactenus, Christo crucifixo servit! Jam ab Hierosolymis Romam usque metropolin vanitatis, impuritatis, idololatriæ arcem ac thronum Draconis, Evangelium penetravit! Sed & cap. XV. 14. sic eandem Ecclesiam exornat: *Persuasum habeo & ipse ego de Vobis, fratres mei, quòd ipsi per vos pleni sitis bonitate, impleti omni cognitione.* Denique cap. XVI. 19. ἡ γὰρ ὑμῶν ὑπακοὴ εἰς πάντας ἀφίκετο. *Obedientia vestra* (puta juxta τύπον διδαχῆς, *typum doctrinæ*, in quem eos traditos esse cap. VI. 17. dixerat) *ad omnes pervenit.* Nequeetiam contemnenda sunt elogia, quibus Ecclesiam Romanam sui etiam temporis, S. Ignatius mactavit. Vocat enim illam epistola ad eosdem datâ ἀξιοθεον, ἀξιοπρεπῆ, ἀξιομακάριστον, ἀξιέπαινον, ἀξιοπίστευτον, ἁγίαγνον, καὶ προκαθημένην τῆς ἀγάπης, χριστώνυμον, πατρώνυμον, πνευματοφόρον. *Deo dignam, decentissimam, beatissimam, laudandam, dignam qua quis potiatur, castissimam, eximiam charitate, Christi*

Ejus ab Apostolis fundatæ celebritas.

Elogia eidem à S. Patribus tributa.

sti & Patris nomine fruentem, plenam spiritu. Meritoque Apostolorum proximorumque temporum Ecclesia cùm universa, tum Romana etiam cum virgine comparatur. Revera enim παρθένος καθαρὰ καὶ ἀδιάφθορος ἔμεινεν ἡ ἐκκλησία; *Virgo integra atque incorrupta permansit Ecclesia*; Uti vetustus Scriptor Hegesippus apud Eusebium *lib.* IV. 22. & Nicephorum *lib.* IV. 7. loquitur. *Si qui* enim *erant*, uti idem Hegesippus loquitur, *qui sinceram salutaris prædicationis regulam depravare studebant, in obscuris tenebrarum latebris delituerunt.*

Primorum Ecclesiæ Romanæ Antistitum gloria fuit humilitas.

V. Ipsos Ecclesiæ Romanæ Antistites, non statim ambitio, Ecclesiæ venenum, infecit. *Sacerdotum* quippe *gloria fuit* (ita in confutatione Primatus Papæ ante annos pene ducentos scripta Gregorius Heymburgensis J. U. D. & Norimbergensis Syndicus loquitur) *non purpura, non divitiæ, non equus albus, non fastus, non dominatus; sed: Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus Te, Domine.* Tum igitur *florente Ecclesia, & nondum malo laborante* (ut Isidori Pelusiotæ *lib.* III. *Epist.* verbis utar) τὰ θεῖα περὶ αὐτῶν ἐχόρευε χαρίσματα τοῦ ἁγίου πνεύματος διδασκάλους, καὶ τῶν προεστώτων ἕκαστον κινοῦντος, καὶ ἐρανὸν τὴν ἐκκλησίαν ποιοῦντος. *Divinæ gratiæ circa eam velut chorum agebant, Sancto Spiritu res administrante, Antistitum unumquemque incitante, ac Ecclesiam in Cœlum convertente.*

Virgo Ecclesia paulatim degeneravit.

VI. Cœterùm non absurdè in Possiacena responsione retulit Carolus Lotharingus Cardinalis: *de quindecim* (nos addimus *de sedecim*) *à Christo seculis, primum verè esse aureum: reliqua, quò longiùs abscederent, eò esse nequiora atque deteriora.* Testis ejus rei idem, qui supra, Hegesippus est, qui præfatus, Ecclesiam Apostolorum tempore castam Virginem fuisse, sequentia subjungit: *Postquam autem sacer Apostolorum chorus diverso mortis genere vitam finiit, præteriitque illorum ætas, quibus à Christo donatum erat, ut auri-*

bus

bus divinam sapientiam coram acciperent, tum primùm falsa & veteratoria impii erroris conspiratio per fraudem eorum, qui doctrinam à veritate prorsus alienam disseminare laborârunt, initium cepit. Qui deinde, nullo jam ex Apostolis reliquo, nudato, ut ajant, capite, sincero veritatis sermoni, falsam & commentitiam doctrinam ex adverso opponere ausi sunt. Sensus est, tum post Apostolorum tempora mox hæreses nefarias caput suum protulisse, & impletum esse, quod prænunciaverat S. Paulus Act. xx. 30. futurum scilicet, ut post *ἄφιξιν discessum*, abitum suum & Apostolorum graves lupi, & viri perversa loquentes, ex ipsius Ecclesiæ visceribus surrecturi sint: tum etiam ipsam Ecclesiam paulatim degenerâsse, nævisque ejusmodi, qualibus Ecclesia Apostolica caruit, laborare incepisse.

VI. Tametsi ipsorũ Apostolorum etiam temporibus non defuerint, qui Evangelium prædicatum ab illis depravare sataggerent, cùm Apostoli jam tum, cùm Evangelium prædicârunt, obtestati sint, in quibusdam esse *ἀγνωσίαν ignorantiam Dei*, 1 Cor. xv. 35. & *Spiritum Antichristi in mundo esse*, 1 Joh. iv. 3. *multosque jam Antichristos in mundo extitisse* ib. cap. ii. 18. adeoque Diabolum gnarum utique, se mox ex regno suo, quod in gentes habebat, ejiciendum, id jam machinari omnibus viribus, ut haberet commeatum ad Antichristum aliquando in scenam producendum; nondum tamen *γυμνῇ κεφαλῇ nudato capite*, uti Hegesippus loquitur, adeoque impune & prostituto pudore omni hæretici grassari cœperunt, uti quidem post Apostolorum tempora, cùm Apostolici Spiritus repagulum remotum esset, factum esse, hæreticorum catalogi à Veteribus consignati testantur.

Apostolorum tempore nondum impune grassari hæreticis licuit.

VII. Ab immani tamen hæreticorum talium licentia Ecclesia Romana magis, quàm cœteræ, immunis satis diu fuit. Sicut enim verbum Dei ex Sione prodiit, Evangeliumque primùm in Judæa & Asia reliqua Africaque prædi-

Ecclesia Romana prima præcæteris ab hæreticorum licentia diu immunis fuit.

catum est: ita in iisdem locis primùm hæreses obortæ à Judæis & Græcis Philosophis cumprimis defensæ Ecclesiam Dei infestare, & Evangelium prædicatum corrumpere cœperunt. Ex iis verò, quos S. Augustinus, Epiphanius, Philastrius hæreticorum catalogo inserunt, pauci primis temporibus Romani fuerunt; Pauci Romanam Ecclesiam exercuerunt. Persecutiones creberrimæ, martyria glorioſa, fidei simplicitatem, & charitatis sinceritatem, ita sustinuerunt, ut Diabolus ostium apertum, per quod vel vi, vel fraude irrumperet, non invenerit.

Cypriani & Hieronymi elogia, quibus ejus sinceritatem commendant, ad ejus perpetuitatem perperam trahuntur.

VIII. Hanc Ecclesiæ Romanæ primævam felicitatem S. Patres prædicant & extollunt. Omnium instar S. Cyprianus & Hieronymus sunto. S. Cyprianus *Epistola ad Cornelium* inter alia *eos esse Romanos* ait; *ad quos perfidia non possit habere accessum.* Suo tempore innuit, tales esse Romanos, ob compertam in fide constantiam & zelum veritatis, continuis ferè eorum martyriis obsignatæ, quem etiam damnatis & rejectis strenuè hæresibus, eorum cumprimis, qui Romæ etiam turbare connixi fuerunt (quales Cerdon Valentinus, Marcellus, Novatiani) demonstrârunt. Perpetuò tamen tales futuros esse, ut ad eos perfidia habere accessum non possit, non dixit; neque, si dixisset, recipiendum ἀβεβαιότως esset. Pietas, zelus, prudentia, devotio, obstacula sunt perfidiæ, ne accessum habere possit. At iis successu temporis vel languescentibus, vel intereuntibus decumana perfidiæ janua aperiri potuit. Sed & S. Hieronymus *lib. 3. Apol. contra Rufinum*; *Scito*, inquit, *Romanam fidem Apostolica voce laudatam ejusmodi præstigias non recipere, etiamsi angelus aliter annunciet, quàm semel prædicatum est, Pauli authoritate munitum non posse mutari.* Corrigit autem hanc Hieronymi paulò crudiorem gnomam ipse Rigaltius *Not. ad Cypr. Epist.* 55. asserens, non id velle Paulum, rectiorem firmioremque Romanorum fidem esse, quàm

quàm aliorum, sed hoc tantùm eum dicere, *agere se gratias Deo, quòd ubique fama sit, etiam Romanos rerum Dominos, fidem Christianam suscepisse: quod sanè*, inquit ille, *ob dignitatem urbis, quæ totius orbis erat caput; & gentium Domina, valde ad Christianæ fidei propagationem faciebat.*

IX. Primis Ecclesiæ Romanæ Pastoribus & Episcopis, Clementi cumprimis, Anacleto, Evaristo, Alexandro, Sixto, Telesphoro, Hygino, Pio, Aniceto, Soteri, aliis tribuuntur epistolæ nonnullæ, vulgò *Decretales* insignitæ, & ab Isidoro Hispalensi, si Francisco Turriano Jesuitæ fides est, collectæ. Quæ quidem epistolæ, siquidem genuinæ essent, non parùm Ecclesiæ Romanæ primitivæ gloriam offuscarent. In iis enim laudati illi Episcopi Romani velut ex tripode dictantes nova quædam oracula circa ritus maximè & ceremonias Ecclesiæ, Apostolicæ simplicitati & puritati non parùm repugnantia, inducuntur. *Clemens*, verbi gratiâ, sancit, ut Sacerdotes paludamentis sacris, Episcopi infula & pastorali pedo, sandaliis & chirothecis, Archiepiscopi pallio; Pontifex, Cardinales & Legati crucis vexillo ad concionis & Missæ sacra veherentur. *Anacletus*, ne Præsul, neve Clerici barbam vel comam nutrirent; nec Episcopus à paucioribus, quàm à tribus Episcopis ordinaretur; utque Clerici publicè, non privatim, ad Sacros Ordines asciscerentur, edicit. *Alexander*, aquam lustralem pro fugandis dæmonibus, hominibusque post finita sacra aspergendis præscribit. *Sixtus*, Corporalis seu lintcoli, super quo inter sacra corpus Christi ponitur, formam præcipit. *Telesphorus*, jejunium quadragesimale ante Pascha: *Hyginus*, dedicationes solennes Templorum, neve eæ augerentur & diminuerentur sine Metropolitani & Episcopi consensu, nec non compatrum in Baptismo usum. *Pius*, Paschatis non nisi Dominicæ celebrandi necessitatem, *Anicetus*, ut vertex capitis sacerdotum sphæricæ instar

Epistolæ Decretales primis Eccl. siæ Romanæ Episcopis nomine, simplicitati earum patrùm convenientia, tribuuntur.

raderetur: *Victor*, ut Baptismus extra necessitatem solo Paschate administraretur: *Calixtus*, ut ordines sacri in quatuor jejunii temporibus conferrentur, qui hactenus solo Decembri conferri sueverint: *Urbanus*, ut Ecclesia prædia ac fundos à fidelibus collatos reciperet: *Fabianus*, ut singulis annis die Cœnæ Domini Chrisma, vetere combusto, renovaretur: *Stephanus*, tegumenta altarium & vestes sacerdotum: *Felix*, annua sacra pro Martyribus: *Eutychianus*, ut frugum primitiæ in altari à Sacerdotibus benedicerentur, utque per gradus ad Episcopatum ascenderetur, ordinarunt. Omittam prorsus, quæ hi simul omnes de Primatu Romani Pontificis, de forma judiciorum, & qualitate testium, de non accusandis clericis, maximè Episcopis à Laicis, de appellatione ad sedem Romanam, aliisque hujus generis decrevisse dicuntur. Quæ omnia si cum vero consentanea essent, de Ecclesiæ Romanæ veteris puritate & prærogativa fidei supra Ecclesias reliquas haud dubiè conclamatum foret. Quis enim talia Apostolicæ simplicitati congruere vel somniare ausit?

Earum γνησιότης oppugnata.

X. Sed salva res est. Alia longè pietas, mens alia, castiorque longè fuit primorum illorum Ecclesiæ Romanæ Episcoporum, iis temporibus, quibus continuo ferè persecutionum incendio flagrantibus, alia omnia, quàm inania, frivola & absurda ejusmodi, ad instruendum fastum ministrorum Ecclesiæ composita, meditanda fuerunt. Et detecta jam fraus est, clariusque meridiano sole ex iis, quæ primùm Magdeburgenses Centuriatores, post adversus Turrianum David Blondellus in *Pseudo-Isidoro*, & *Turriano vapulantibus*, (ne de Sirmondo, Petavio, aliis Pontificiis γνησιότητα earum oppugnantibus dicam) publicam in lucem protulerunt, constat, hunc Decretalium epistolarum lumbricum demum Caroli M. ætate, obstetricante nescio quo Isidoro, cognomento Mercatore, natum,

tum, Isidori Hispalensis larvâ tectum, vilissimas fæces pretiosissimis antiquiorum Urbis Romanæ Episcoporum titulis appositis venditâsse, atque ita plus quàm octo seculorum decurrentium ordini, nefariè imposuisse; quam in rem inferius Sect. LXIV. plura.

Ecclesiæ Romanæ regimen paulatim deflexit.

XI. Tametsi verò de depravata primis illis temporibus Ecclesiæ Romanæ doctrina nihil constat: Ecclesiæ tamen regimen ab eo, quod Christus & Apostoli instituerunt, paulatim deflexit. Verissimè quidem Florimundus Raimondus *in fabula Joh. cap.* 20. sic primorum Pontificum humilitatem depinxit: *Prioribus illis seculis, & multorum annorum fluxu Pontifices martyrii sacri laureâ contentos fuisse, quam omni diademate & sceptro potiorem habebant, reliquisque ornamentis ducebant superiorem, nemo ignorat. Prima illa ætate, gloria eorum erat ignominia; Majestas, humilitas; felicitas, tyrannorum iræ; quies, supplicium; vita, mors ipsa.* Nihilominus eum paulatim supra reliquos gradum affectârunt, qui, procedente tempore, præter intentionem & consilium eorum, malorum Iliadem post se traxit.

Episcopi & Presbyteri identitas ex Hieronymo asserta.

XII. In universum quidem S. Hieronymus *Comment. cap.* 1. *ad Titum*, fulè comprobat, eumdem S. Paulo esse Presbyterum & Episcopum. *Et antequam*, inquit, *Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi; in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, ut schismatum semina tollerentur.* Subjicit: *Noverint Episcopi, se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse superiores.* Annotatum etiam est, Alexandriæ usque ad Heraclium & Dionysium Episcopos, Presbyteros ex numero suo unum, quem digniorem reputârunt, selectum in cel-

siori gradu collocasse, futurum scilicet πρόεδρον τῶν πρεσβυτέρων, *Presbyterorum*, seu Presbyterii *Præsidem* quem morem à Marco Evangelista initium sumpsisse, idem Hieronymus epistola ad Evagrium testatur. Et quod Alexandriæ ab initio factum est, id alibi post initia Ecclesiarum fieri etiam cœpisse, idem asserit. *Quod autem*, inquit ille, *POSTEA unus electus est, qui cæteris præponeretur, in Schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens, Christi Ecclesiam rumperet.* Proin quicquid hic præter institutionem Christi maturè in Ecclesia accidit, sicut non malo consilio accidisse largimur ultrò, ita non tam propter ἐξουσίαν *potestatem* majorem, resignandam scilicet in manus Episcopi, vel propter πρωτοκαθεδρίαν quandam, quàm προεδρίαν *præsidentiam*, adeoque πρωτιμίαν καὶ τάξιν *majorem* duntaxat *honorem & ordinem* accidisse pertendimus.

Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyterorum præsidem ei à ceteris exemptum, & mos ad alias Ecclesias, non malo primùm consilio, transivit.

XIII. Solent autem optima & saluberrima quæque hominum instituta successu temporis degenerare. Id hic etiam contigit. Honos enim ille collatus Episcopis subinde animos eorum ita mutavit, ut more humani ingenii, plusculum sibi arrogare, & se extollere supra alios inciperent. Quod Romæ inprimis, urbe scilicet Imperatoriâ & Orbis domina, evenisse constat. Sanè etiam Socrates *Hist. Eccles. lib.* VII. 11. Episcopos Romanos paulatim ita degenerâsse dixit, ut τὰ ἱεροσύνης ἐπὶ δυναστείαν *ultra sacerdotii limites ad externum dominatum* progressi sint. Qua re gentilibus aliquando offendiculo fuerunt. Nam Ammianus Marcellinus homo gentilis *lib.* 27. de Pontificibus Romanis ita scribit: *Processerunt vehiculis insidentes circumspectè vestiti, epulas curantes profusas, adeò ut eorum convivia Regales superaverint mensas.* Addita hac animadversione, potuisse *eos esse beatos revera, si magnitudine urbis despecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antistitum quorundam Provincialium viverent: quos tenuitas edendi potandique parcissimè, vilitas etiam indu-*

Id successu temporis Romæ inprimis Episcoporum ambitionem aluit.

indumentorum, & supercilia humum spectantia perpetuo Numini, verisque ejus cultoribus velut puros commendaret & verecundos. Sed & S. Basilius *Epist.* 10. non obscurè τῶν δυσικὴν ὀφρὺν *Occidentalem illum fastum* pulsat. *Si ira Dei permanserit*, inquit, πόσα βοηθήματα ἡ δυσικὴ ὀφρύς; *quale nobis auxilium ab Occidentalium fastu & supercilio aderit?* Vatem fuisse, tristis eventus docuit. Alibi quoque fatente, & nonnihil stomachante Baronio ad A.C. CCCLXXII. §. 32. de Ecclesia Romana idem S. Basilius dixit: *Odi fastum illius Ecclesiæ.*

Unde Ecclesiæ Romanæ typhus cæteris maturè displicuit.

XIV. Exempla ambitionis Episcopos Romanos maturè satis concipientis, Victor & Stephanus suppeditant. Victor enim A. C. CXCV. Polycratem & Ecclesias Asiaticas ob levem circa tempus Paschatis celebrandi dissensum temerè condemnans, ἐπιστολὰς γραμμάτων ἀκοινωνήτους ἀρὴν πάντας τοὺς ἐκεῖσε ἀναπεμπούσας ἀδελφοὺς, *datis literis universos, qui illic erant, fratres proscribit, & ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos pronuntiat*, uti Eusebius *Histor. Eccles. lib. V.* 24. loquitur. Addit idem parùm id placuisse Episcopis reliquis, puta etiam Occidentalibus, de cætero in re ipsa concordibus, qui scriptis ad eum literis acerbè satis illum perstrinxerint; & Irenæum etiam Victori ad animum revocâsse exempla Prædecessorum, Aniceti, Pii, Hygini, Telesphori, & Xysti, qui nunquam Orientalibus ob diversitatem rituum succensuerint, nedum eos ab Ecclesiæ communione amputaverint.

Victor Romanus Episcopus adversus Ecclesias Asiaticas se effert.

XV. Stephanus quoque Papa ejus rei documenta præbuit. Is enim non tantùm circa A. CCL. Basilidem Episcopum Asturiensem, & Martialem Melidensem, Hispanum utrumque immorigerum in fidem recipiens, Ecclesias Hispanicas sic satis graviter adoritur, & jus appellationis ad Ecclesiam Romanam ambit, multùm reclamante licet S. Cypriano *Epist.* 18. nec non libro *de unitate Ecclesiæ*, ubi ἀξιομνημόνευτα illa occurrunt: *Hoc utique erant & cæteri Apostoli, pressius.*

Stephani jus appellationis ad Ecclesiam Romanam ambitiosi, & Asiaticas ac Orientales Ecclesias communione arcentis, ingratus S. Cypriano & Orientalibus resistit.

ſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis; ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut una Chriſti Eccleſia, & Catholica una monſtretur. (quæ verba accuratè Salmaſius *de Primatu Papæ pag.* 74.75.76. expendit) verùm etiam non multò poſt, ſuborta, de baptiſmo eorum, qui ab hæreticis baptizati erant, quæſtione, ipſe quidem cauſæ meliori addictus, diſſentientes tamen primò Africanas, mox etiam Orientales Eccleſias reliquas iis adhærentes, arroganter ſatis à communione ſua amputat. Ad quem ita apud Cyprianum Orientales, epiſtola ad Cyprianum data, quæ Pamelianæ Cypriani Operum Editionis 75. eſt, σηλιτευτικῶς ſatis ſcribit: *Homo animoſus parit lites, & vir iracundus exaggerat peccata. Lites enim & diſſenſiones quantas parâſti per Eccleſias totius mundi? Peccatum verò quàm magnum tibi exaggeraſti, quando te à tot gregibus ſcidiſti? Excidiſti enim te ipſum. Noli te fallere, ſiquidem eſt verè ille ſchiſmaticus, qui ſe à communione Eccleſiaſticæ unitatis apoſtatam fecerit. Dum enim putas, à te omnes abſtineri poſſe, ſolum te ab omnibus abſtinuiſti. Ambulate vocatione, qua vocati eſtis, digne cum omni humilitate ſenſus & lenitate, cum patientia ſuſtinentes invicem in dilectione, ſatis agentes ſervare unitatem Spiritus in conjunctione pacis. Hæc Apoſtoli mandata & monita ſalutaria, quàm diligenter Stephanus implevit, humilitatem ſenſus & honeſtatem primo loco ſervans? Quid enim humilius aut lenius, quàm cum tot Epiſcopis per totum mundum diſſenſiſſe? Pacem cum ſingulis vario diſcordiæ genere rumpentem, modò cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modò vobiſcum, qui in Meridie eſtis, à quibus legatos Epiſcopos patienter ſatis & leniter ſuſcepit, ut eos nec ad ſermonem ſaltem colloquii communis admitteret? Adhuc inſuper præcepit, ne quis eos in domum ſuam reciperet, ut venientibus non ſolùm pax & communio, ſed & tectum & hoſpitium negaretur. Apud talem hominem poteſt eſſe unum corpus, & unus ſpiritus, apud quem fortaſſis anima una non eſt; ſic lubrica, mobilis & in-*

cer-

certa? Et tamen non pudet Stephanum talibus adversus Ecclesiam patrocinium præstare, & propter hæreticos asserendos fraternitatem scindere: insuper & Cyprianum Pseudo-Christum, Pseudapostolum, & dolosum operarium dicere? Quæ omnia in se esse conscius prævenit, ut alter; ea per mendacium objiceret, quæ ipse ex merito audiret. Hactenus illi, quorum Epistolam libenter se, exemplo Manutii, omissurum fuisse Pamelius; nisi Morellius & Turnebus ipse, priores in lucem eam produxissent, fatetur.



ECCLESIÆ ROMANÆ PERIODUS SECUNDA.

Seu

Historia Ecclesiæ Romanæ Doctrinam puriorem, quoad præcipua, retinentis, at in regimine dominationem affectantis.

Inde à Constantino M. seu A. C. CCCXIV. ad Phocam & Bonifacium III. seu A. C. DCVII. usque.

BREVIARIUM.

XVI. *Constantini M. favor & liberalitas Episcoporum Ecclesiæ Rom. ambitionem auxit. Nequetamen Ecclesiæ ejus principatum is agnovit, quod ex historia Donati & Arii in Arelatensi & Nicæna Synodo damnatorum probatur.*

XVII. *Marcus Papa universalis Episcopi titulum sibi arrogat. Julius primus impetrat, ut Episcoporum in Oriente depositorum causam sibi cognoscere denuo liceat, protestantibus tamen Episcopis Orientalibus.*

XVIII. *Liberius Papa in gratiam Constantii cum Arianis contra Athanasium facit.*

XIX. *Da-*

XIX. *Damasi & Ursicini pro obtinendo Papatu violenta molimina.*

XX. *Hieronymus Ecclesiæ Romanæ ambitione motus, eam cum Babylone comparat.*

XXI. *Imperatorum Valentiniani, Valentis & Gratiani edictum adversus Cleri Romani avaritiam, ab Hieronymo etiam laudatum, & à Theodosio, Arcadio confirmatum.*

XXII. *In Concilio Constantinopolitano Episcopus Constantinopolitanus Romano exæquatur.*

XXIII. *Siricius Papa amplificat potestatem Papalem.*

XXIV. *Et doctrinam etiam inducta lege cœlibatus Sacerdotum contaminat.*

XXV. *Innocentii I, Zosimi, Bonifacii I, Sixti III, Leonis I, pro stabiliendo Primatu molimina.*

XXVI. *Reclamante Ecclesia Orientali in Concilio cumprimis Chalcedonensi, quo prærogativa Romani non juri Divino, sed humano & politico accepta fertur. Inde æmulatio Romanos inter & Constantinopolitanos gliscere cœpit.*

XXVII. *Felix III. Acacium Constantinopolitanum excommunicat: hic illius nomen è diptychis eradit. Gelasius I. primatum suum ex jure divino arcessere conatur.*

XXVIII. *Romæ vastatio à populis septentrionalibus ambitionis affectum in Pontificibus non extinxit; teste historia Symmachi Papæ electi.*

XXIX. *Seculum sextum promovendo Pontificio Regno, ob absentiam Imperatorum, hæreticos Romam appellantes, & barbaros Pontificibus adulantes, præ cæteris opportunum fuit.*

XXX. *Hormisdæ Papæ pro stabiliendo Papatu in Occidente & Oriente conatus; resistentibus Johanne Patriarcha Constantinopolitano, Anastasio & Justino Impp.*

XXXI. *Johannes P. Constantinopoli legatione fungens cum Epiphanio Patr. de Primatu contendit. Redux à Theodorico in carcerem compingitur.*

XXXI. *Justiniani de sede Rom. sensus.*

XXXII. *Concilii Constantinopolitani V. historia. Defectio Episcoporum Italorum ab Ecclesia Romana.*

XXXIII. *Johannes jejunator Constantinopolitanus Patr. Oecumenici titulum sibi vendicat.*

XXXIV. *Indignantibus multùm Pelagio Papa & Gregorio I. Magno, qui apud Imper. Mauritium Antichristi præcursorem insignit, quisquis titulum eum affectat.*

XXXV. *Vaticinium Gregorii M. de sequentibus temporibus.*

Constantini M. favor & liberalitas Episcoporum Ecclesiæ Romanæ ambitionem auxit.

XVI. ATque hi fuerunt Episcoporum Romanorum, sævientibus adhuc persecutionibus, pro obtinendo in reliquas Ecclesias primatu conatus, quorum in bona licet causa ambitione non segniter jam tum Satan abusus est. Qui etiam, ex quo Constantinus M. Ecclesiæ Christianæ pacem reddidit, eique favere cœpit, ambitionis hujus igniculos, ejus liberalitate incalescentes, immane quantum flatu suo accendit. Nam profusis opibus Ecclesiæ donatis, crescere Episcopis ipsis supercilium cœpit, auditaque, uti Silvestri Legenda testatur, cœlitus vox est: *Hodie venenum effusum est in Ecclesiam.* Nihilominus, cùm de Donato ab Ecclesiis Africanis damnato ageretur, Constantinus causam non Miltiadi, Romano Episcopo, judicandam obtulit, sed judices pro sua authoritate dedit Episcopos, Maternum Colonienſem, Rheticium Augustodunensem, & Marinum Arelatensem, quibus post ejusdem diplomate adjunctus etiam Miltiades Episcopus Romanus est. Cùmque eorum judicio Donatus non acquiesceret, Constantinus Arelatensem Synodum, cui ipsemet præsedit, judicem constituit, tandemque Mediolani sententiam tulit. In Arii quo-

Neque tamen Ecclesiæ ejus principatum is agnovit, quod ex historia Donatistæ Arii in Arelatensi & Nicæna Synodo damnatorum probatur.

quoque controversia nec solus Episcopus Romanus judicem egit, nec præcipuas etiam partes habuit, Constantino & convocante & moderante Nicænam Synodum, in qua Alexandrini Episcopi ἐξουσία, exemplo Romani, confirmata est, cautumque insuper, ne Episcopus fieret præter sententiam Metropolitani; allaboratum quoque, ne in civitate una plures uno Episcopi essent. Sic igitur Episcopalis dignitas & potestas incrementa cepit, ut Romani tamen Episcopi supra reliquos ὑπεροχὴ & prærogativa nulla hactenus emicuerit, quin ipse potius Conciliari decreto ad curiam parium relegatus, ejusque conatus sufflaminati fuerint. De quo cùm alios, tum maximè doctissimas Beveregii in Concilium Nicænum, Canonem inprimis ejus sextum, aliorumque etiam animadversiones videre est.

XVII. Nihil tamen Episcopi Romani, ut rerum in Ecclesia potirentur, reliqui fecerunt. Et Marcus quidem A. cccxxxv. Papa lectus, si genuina est, quæ ei ad Anastasium & Ægypti Episcopos adscribitur Epistola sibi *Universalis Episcopi* titulum arrogans, sic Ecclesiæ Romanæ jura detonat: *Ecclesia Romana immaculata semper mansit, & Domino providente & Beato Petro opem ferente in futurum manebit.* Item: *Dominus discipulorum suorum principi in suis fatus est Evangeliis: Petre, rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Post eum Julius I. Episcopos in Oriente diversas ob causas loco motos, pro authoritate sua in integrum restituere conatus est. De quo ita Sozomenus *Histor. Eccles. III.* 8. Οἷα δὲ τῶν πάντων ἡδεμονίας αὐτῷ προσηκούσης διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ θρόνου ἑκάστῳ τὴν ἰδίαν ἐκκλησίαν ἀπέδωκε. *Quoniam propter sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat, suam cuique Ecclesiam restituit.* Quin A. cccxlvii. suggerente Osio, in Synodo Sardicensi conditus est canon, quo Episcopi depositi, bonæ causæ sibi conscii, ad Ju-

Marcus Papa universalis Episcopi titulum sibi arrogat.

Julius primus impetrat, ut Episcoporum in Oriente de-

Postorum causam sibi cognoscere denuo licuit. Protestantibus tamen Episcopis Orientalibus.

lium Episcopum Romanum remittuntur, qui causam eorum denuo cognitur us sit. Quodque Julio in particulari causa tributum, ad omnes generaliter extendere successores non dubitarunt. Sed protestati tamen adversus hæc molimina Orientales Episcopi sunt, disertè asseverantes, se κανονίζειν παρ' αὐτὸ *legem ab eo accipere nolle*, uti Socrates *Hist. Eccl. lib. II.* 17. testatur.

Liberius Papa in gratiam Constantii cum Arianis contra Athanasium facit.

XVIII. Julio surrogatus A. CCCLII. Liberius, Constantio Imperatore Ariano dominante, metu ejus subactus, & re Papalis dominatus detrimenti quid pateretur, in gratiam Constantii Arianis adversus ὁμοούσιον & Athanasium subscribit, editam Sirmii confessionem approbat, lapsuque suo in errorem plurimos inducit. Cui meritò sic Hilarius occlamavit: *Hæc est perfidia Ariana! Anathema tibi à me dictum, Liberi, & sociis tuis! Iterum tibi anathema, & tertio, prævaricator Liberi!* De quo quidem Liberii Arianismo eruditissimam Larroquani dissertationem nuper editam, cui Jubet, consulat.

Damasi & Ursicini pro obtinendo Papatu violenta molimina.

XIX. In eligendo A. CCCLXV I. successore Liberii, Damasi & Ursicini ambientium & contendentium studiis immane quantum certatum est. Liber Pontificalis in sede collocatum Damasum dicit, *quia fortior, & plurima cum eo multitudo erat.* Ruffinus, author coævus *lib.* II. 10. sic ea de re scribit: *Ex facto tanta seditio, imò verò tanta bella coorta sunt, alterutrum defendentibus populis, ut replerentur humano sanguine orationum loca.* Ammiano Marcellino *lib.* 27. teste in Basilica Sicinini, ubi ritus Christiani conventiculum erat, uno die centum triginta septem reperta cadavera peremptorum, efferataque diu plebs ægrè postea delinita est. Hieronymus quoque *Epist.* 61. testis est, Prætextatum Prætorio Præfectum Consulem designatum Episcopi Romani, *Matronarum oblationibus*, uti Ammianus Marcellinus loquitur, *ditati* opulentia illectum dicere solitum esse:

Facite

Facite me Romanæ Urbis Episcopum, & cro protinus Christianus. Ita Paparum splendor maximis jam Potestatibus esse invidendus cœpit.

XX. Vivit tum Hieronymus, cui ambitio & fastus Papalis nauseam ita movit, ut non obscurè in Ecclesia Romana Babylonem commonstraverit. Inducit in *Epist. ad Marcellam* Paulum & Eustochium sic Marcellam compellantes: *Lege Apocalypsin Johannis, & quid de muliere purpurata, & scripta in fronte ejus blasphemia, septem montibus, aquis multis & Babylonis cantetur exitu, contuere. Est quidem ibi Sancta Ecclesia: sunt trophea Apostolorum & Martyrum: Est Christi vera confessio; est ab Apostolis prædicata fides. Sed ipsa ambitio, ipsa potentia à bono avertunt.* Ipse verò *Præf. in libros Didymi de Spiritu S.* sic liberè os suum resolvit: *Cum*, inquit, *in Babylone versarer, & purpuratæ Meretricis essem colonus, & jure Quiritum viverem, volui garrire aliquid de Spiritu Sancto, & cœptum opusculum ejusdem Urbis Pontifici dedicare. Et ecce illa olla, quæ in Jeremia post baculum cernitur, à facie aquilonis cœpit ardere, & Pharisæorum occlamavit senatus, & nullus scriba vel fictus, sed omnis quasi indicto sibi prælio doctrinarum, adversus me imperitiæ factio conjuravit. Ilico ego velut postliminio Hierosolymam sum reversus, & post Romuli casam, Lupercalia, diverforium Mariæ & Servatoris speluncam aspexit.* Quid hic Hieronymo Babylon nisi Clerus Romanus, quem *senatum Pharisaicum, factionem ignorantium, conjurationem* vocat? Alibi *ad Eustoch. epist. 22. ad Nepot. 2.* Cleri Romani luxuriam & in emungendis hominibus, ambiendisque senioruin virorum & fœminarum legatis, artes turpiaque officia graviter exagitat. Huc etiam de fastu Ecclesiæ Romanæ querela S. Basilii supra memorata referenda est.

Hieronymus Ecclesiæ Rom. ambitione motus, eam cum Babylone comparat.

XXI. Memorabilis est Imperatorum Valentiniani, Valentis & Gratiani lex Damaso inscripta, quam in *C. Theod. lib. 16. de Episcop. & Cler.* videre est. Cùm enim insatiabilis

Imperatorum Valentiniani, Valentis &

jam

Gratiani edictum adversus Cleri Romani avaritiam,

jam videretur Clericorum vorago, huic veluti carcinomati cauterium adhibituri prohibent: *Ne Ecclesiastici, vel qui volunt continentium se nominibus nuncupari, viduarum ac pupillorum domos adeant. Ut nihil de ejus mulieris, cui se privatim sub prætextu religionis adjunxerunt liberalitate quacunq;, vel extremo judicio possint adipisci, & omne in tantum efficax sit, quod alicui horum ab his fuerit derelictum, ut nec per subjectam personam valeant aliquid, vel donatione, vel testamento percipere. Quin,* ajunt, *si fortè post admonitionem legis nostræ aliquid his de fœminis, vel donatione, vel extremo judicio putaverint relinquendũ, id fiscus usurpet. Lecta in Ecclesiis Romæ.* Quam legem etiam Hieronymus *Epist. cit.* sic commendat, ut causam ejus magnopere vituperet. *Pudet,* inquit, *dicere: Sacerdotes idolorum, mimi & auriga, & scorta hæreditates capiunt. Solis Clericis & Monachis hac lege prohibetur, non à persecutoribus, sed à Principibus Christianis. Nec de Lege conqueror, sed doleo, cur meruerimus hanc Legem. Cauterium bonum est: Sed quod mihi Vulnus, ut indigeam cauterio? Provida severaq; Legis cautio: & tamen nec sic refrænatur avaritia. Per fidei commissa legi illudimus, & quasi majora sint Imperatorum scita quàm Christi, leges timemus, Evangelia contemnimus.* Cumque licentia cleri pergeret, Imperatores Valentinianus, Theodosius & Arcadius legem hanc *L. 27. de Episc. & Cler. in C. Theod.* sic ingeminant roborantq;: *Nihil de monilibus & supellectili cæterisque claræ domus insignibus sub Religionis defensione consumant viduæ: sed universa in liberos proximos transcribat, ac si quando diem obierit, nullam Ecclesiam, nullum clericum, nullum pauperem hæredem scribat.* Tantæ molis erat Cleri Romani avaritiam, ne perrumperet, coërcere.

Etiam ab Hieronymo laudatum.

Et à Theodosio, Arcadio confirmatum.

In Concilio Constantinopolitano Episcopus Constantinopolitanus Ro-

XXII. Damaso adhuc Pontifice A. CCCLXXXI. indicente Theodosio, & moderante Nectario Episcopo Constantinopolitano, celebrata est Synodus Generalis Constantinopolitana, ne quidem interveniente Legato Damasi: Ibi Patres Synodi Nicænæ vestigia retegunt, Provincias dis-

sidiis vitandis partiuntur, & *Can.* 3. sedis Constantinopolitanæ Episcopo πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον *privilegia honoris post Romanum Episcopum*, eo scilicet argumento, quòd Constantinopolis sit νέα Ῥώμη *nova Roma* decernunt; quòd fusiùs Socrates *Hist. Eccles. V.* 8. & Sozomenus *lib. VII.* 9. narrant. Quæ quidem πρεσβεῖα τιμῆς *privilegia honoris* non tam ad prærogativam *potestatis* (utpote quæ in Chalcedonensi demum Synodo ei accessit) quàm *dignitatis* referenda esse, Doctiss. Beveregius *observat. ad Can.* 3. ostendit. *manu exaquatur.*

XXIII. Damasi successor Siricius & Papalem potestatem amplificare strenuè laboravit, & doctrinam polluere cœpit. Is enim sub A. CCCLXXXVI. in prima ad Himerium Tarraconensem Epistola decretoria, *Statuta*, inquit, *sedis Apostolicæ, vel canonum venerabilia definita, nulli Sacerdotum Domini ignorare sit liberum.* Rogat proin, *ut in omnium Coëpiscoporum perferri faciat notionem, & non solùm eorum, qui in sua sunt diœcesi constituti, sed etiam ad universos Carthaginenses, atque Boëticos, Lusitanicos, Gallicos*, &c. Per Himerii ambitionem ad suam ipsius per totam Hispaniam sibi viam sternit. In *quarta* etiam ad Africanos Episcopos *epistola* præfractè vetat, ne quis extra conscientiam sedis Apostolicæ, hoc est, Primatis, ausit ordinare Episcopum. Neque tamen Africani Episcopi herbam statim porrigunt. Illi enim in Synodo Carthaginensi secunda vetant quidem Episcopum ordinare *inconsulto Primate*, sed *cujuslibet Provinciæ*, non Romano: in tertia verò ulteriùs progressa *primæ sedis Episcopum, Principem Sacerdotem*; *& Episcopum universalem, Romanum etiam Pontificem* appellari prohibent. *Siricius Papa amplificat potestatem Papalem.*

XXIV. In Doctrina idem Siricius innovavit, Cœlibatus lege inter Ecclesiasticos sancita, quam paulò ante Synodus Nicæna, Episcopis consentientibus, explosit. Et primum quidem hanc legem Siricium tulisse, non tantùm *Et doctrinam etiam inducta lege cœlibatus sacerdotum contaminat.*

Gloſſa Juris Canonici *Diſt.*84. *c.*3. innuit; ſed etiam Clichtovæus, Eſpenſæus, Caſſander, alii, fatentur. Legem hanc in Epiſtola ad Himerium expreſſam ſvidere eſt. Ubi inſigni ignorantia ad eam S. Scripturæ teſtimonia torquet. Certè Hieronymus *Epiſt.*65. Legis hujus inſolentiam graviter deteſtatur. Et ſerò admodum in Occidente, in Oriente verò nunquam, eam valuiſſe conſtat.

Innocentii I. Zoſimi, Bonifacii I. Sixti III. Leonis I. pro ſtabiliendo Primatu moliminæ.

XXV. Nihil deinceps, ut cupitis modò potirentur, intentatum reliquerunt Pontifices, ædilitatem, quod ajunt, ſine ſuffragiis gerentes; *Innocentius I.* qui in Epiſtola ad Victricium Epiſcopum Rhotomagenſem decrevit, *ut majores cauſæ ad ſedem Apoſtolicam devolvantur*, per appellationem ſcilicet: *Zoſimus*, qui ad Synodum Carthaginenſem ſextam Legatos miſit, qui vicem ibi ſuam gererent, pertenderentque, Epiſcoporum Africæ eſſe concedere appellationem ad ſedem Romanam: *Bonifacius I.* idem per legatos ſuos, Nicæni etiam Concilii authoritate prætenſa, molitus: *Sixtus III.* de Primatu cum Polychronio Epiſcopo Hieroſolymitano contendens: inprimis autem *Leo I.* ob excellentem cætera eruditionem & vigilantiſſimum adverſus Hæreticos, Manichæos cumprimis, ſtudium, dictus *Magnus*, qui Anno circiter CCCCL. ſuum illud: *Tu es Petrus*, ſtrenuè inculcans, *Petrus*, inquit, *petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, &c. In ſua ſede vivit poteſtas, excellit authoritas. Fratres omnium Epiſcoporum noverant eſſe primatem. Nunquam niſi per ipſum dedit, quicquid aliis non negavit Chriſtus.* Cumque ex decreto Concilii Conſtantinopolitani Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſecundam ſedem adeptus, in Oriente authoritatem, magnam jam, Romaniſque invidendam, obtineret, idem Leo M. per Legatos ſuos in Synodo Chalcedonenſi intercedere obtentu Nicænorum Canonum, *quibus aliter cautum ſit*, conatur.

XXVI. Variè equidem moliminibus & meditamentis hiſce

hisce Romanorum Pontificum Ecclesia, Orientalis cum primis, se opposuit. In Synodo maximè Chalcedonensi A. CCCCLI. celebrata, in qua Eutyches à 630. Episcopis damnatus, Leonis M. machinatio repressa, & de thronis seu sedibus Patriarchalibus ejusmodi cultum decretum est: Τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ρώμης διὰ τὸ βασιλεύουσαν τὴν πόλιν ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀπεδέδωκαν τὰ πρεσβεῖα· καὶ ἐπὶ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι οἱ ἑκατὸν πεντηκοντα θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι, τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ νέας Ρώμης ἁγιωτάτῳ θρόνῳ εὐλόγως κρίναντες, τὴν βασιλέα καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν, καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι Ρώμῃ καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι πράγμασι, δευτέραν μετ' ἐκείνην ὑπάρχουσαν. *Sedi senioris Romæ, quod Urbs illa imperaret, Patres jure privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi Episcopi æqua privilegia tribuerunt sanctissimæ sedi novæ Romæ, rectè judicantes, urbem, quæ & imperio & senatu honorata sit, & æqualibus privilegiis cum seniore Roma fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis non secus ac illam extolli ac magnifieri secundam post illam existentem.* Qui Canon Romanum Episcopum, ad altiora immodicè nitentem, manifestè in ordinem redigit. Primatum quippe Romani Episcopi non juri divino, & successioni Apostolicæ, sed constitutioni Patrum & causæ politicæ, prærogativæ scilicet Urbis adscribit: τὰ ἴσα πρεσβεῖα, *jura æqualia*, potestatis scilicet (nam dignitatis prærogativa jam ante, uti *th. XXII.* vidimus, Constantinopolitanæ Ecclesiæ concessa fuit) sine respectu ad Romanam Ecclesiam, Constantinopolitanis vindicat; Constantinopolitanum, qui Anatolius tum erat, Romano, Leoni scilicet, excepta primæ sessionis prærogativa (quæ ordinis, prioritatis, potestatis æqualitatem non tollit) æquans, Romani jurisdictionem coercet: denique sine consensu Romani de thronorum jurisdictione statuit. Quam ob causam ne quicquam

Reclamante Ecclesia Orientali in Concilio cumprimis Chalcedonensi, quæ prærogativa Romani non jure Divino, sed humano & politico, accepta fertur.

Inde æmulatio Romanos inter & Constantinopolitanos gliscere cœpit.

acriter Leo I. se ei Canoni opposuit: & gliscere inde Romanos inter & Constantinopolitanos perpetuæ æmulationes visæ sunt; faventibus Romano etiam Alexandriæ & Antiochiæ Episcopis, Constantinopolitani succrescentem authoritatem haud æquo animo ferentibus.

Felix III. Acacium Constantinopolitanum excommunicat, hic illius nomen è diptychis eradit.

XXVII. Et Anno quidem CCCCLXXXIII. Felix III. Papa Romanus in Romano Concilio Acacium Constantinopolitanum, decretæ sibi potestatis vindicem, accusante Johanne Alexandrino, damnavit & excommunicavit. Vicissim Acacius nomen Felicis è diptychis erasit. Euphemius eo restituto tum à Felice, tum à Gelasio jussus eradere nomen Acacii, in animum induxit Papam in judicium vocare, & apud Anastasium eundem criminatus est. Unde etiam in Oriente subortum schisma est. Papæ verò cum iis, qui Acacii memoriam damnare detrectarent, ne quidem communicare ampliùs dignati sunt. Mox A. CCCCXCIV. Gelasius I. in Concilio Romæ habito primatum Papæ contra Constantinopolitanorum præsumptionem ex Divino jure asserere conatus est.

Gelasius I. primatum suum ex jure divino arcessere conatur.

Romæ vastatio à populis septentrionalibus, ambitionis affectum in Pontificibus non extinxit.

XXVIII. Jam ante septentrionales populi universam Italiam devastabant, & in eam quasi perrupto aggere, exundabant. Eudoxia Maximi, à qua A. CCCCLV. Valentinianus III. interfectus est, conjunx Genfericum Vandalum in Italiam vocavit. Is Romam bis cepit, theatra incendit, ornamenta, thesauros abstulit. Avitus, Majoranus, Severus, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Julius Nepos, Augustulus ad Ann. CCCCLXXV. rerum potiti sunt. Inde Odoacer Herulus, Theodoricus, Athalaricus, Theodatus, Vitiges, Theobaldus, Totilas, Tejas, à Narsete A. DLV. victus, Ariani omnes, Italiam annos septuaginta octo rexerunt. Intra quod tempus bis Roma capta est. Neque tamen diuturnæ & concatenatæ hæ calamitates ambitionis affectum in Romanis Episcopis extinxerunt. Grassaba-

ſabatur illa perpetuo, obrepebat, imperitabat aliis. Eoque etiam deventum, ut Epiſcopatum Romanum nemo jam niſi per vim, ſordes & ambitum conſequeretur. In annos Pontificis inquirere, de ejus ſucceſſione ante obitum paciſci, ſuffragia numerata pecunia redimere; verbo, jurejurando, ſigillo pacta illa contra bonos mores firmare adeò religio non fuit, ut pœne vim legis obtinuerit. Teſtis ἀταξίας eſt hiſtoria Symmachi A.cccccxcviii. Papæ electi. De quo ſic Sabellicus 8. *Ennead.* 2. *Col.* 455. ſcribit: *Fuit Symmachi creatio tumultuoſa, ordinumque diſcordia infamis, eſtque non inter cives ſolùm, ſed inter ordines etiam opibus & authoritate certatum, quum Senatus in hunc propenſior eſſet, ignobilis multitudo in illum.* Teſtis etiam Romana Synodus, quæ ſub ipſo Symmacho nefarium ambitum refrænare nequicquam ſtuduit. Teſtes barbari Reges, Odoacer, Theodoricus, alii, qui authoritate interpoſita identidem motos fluctus componere neceſſum habuerunt. Si ſolam ovium Chriſti curam animo pio volutâſſent: Si aliud in eo munere lucrum non ſpectâſſent Epiſcopi, tam acriter de Papatu dimicatures, quis ſanus exiſtimet?

Teſte hiſtoria Symmachi Papæ electi.

XXIX. Seculum imprimis à Chriſto nato *Sextum* provehendæ machinationi Pontificum παμβασιλείαν quandam in Eccleſia meditantium, opportunum ſupra modum fuit. Nam & Imperatores peregre, Conſtantinopoli ut plurimum, agebant: & iidem, ut in fide Romanos retinerent, demulcendis Pontificibus, à quorum ferè nutu Chriſtianus Romæ populus pendebat, nihil non indulgebant. Septentrionales quoque populi turmatim in Italiam influentes & in ea pedem figere, ſtabilemque dominationem obtinere parantes, Pontificum gratiam ad id futuram non parum proficuam, exquiſitis adulationibus demerebantur. Hæretici, irriguæ herbæ inſtar ſuccreſcentes, modò in Africa, modò in Oriente damnati legitimè profli-

Seculum ſextum promovendo Pontificio Regno ob abſentiam Imperatorum, hæreticos Romam appellantes, & barbaros Pontificibus adulantes, præ cæteris opportunum fuit.

ſligatique, ut juri ſe ſubducerent, ſeu appellationis ſpecie, ſeu retractationis ſpe, Romam ſe conferebant, non ingrati Pontificibus, quod Primatum ſic ſtabilire viderentur. Omnes denique toto orbe primæ ſedis Epiſcopi gratiam exambiebant, eò quòd Roma Urbs princeps mundi, orbis epitome, & in gravioris momenti rebus conſilii quondam fons & origo clueret. Solentque etiam aliâs conſultationes frequentes pro ſupplicationibus haberi, conſilium in merum imperium, arbitrium in judicium, ſeu rem judicatam, ſucceſſu temporis degenerare. Cumque doctrinæ labes diſciplinæ corruptelam conſequi ſoleat, mirum equidem non eſt, in religionem ipſam errores ſonticos paulatim irrepere, Sanctorum & Martyrum invocationem & adorationem circa tempus idem radices agere; Ethnicorum pampinos Chriſti vineam, dum pauci admodum deſtringebant, & ſuperſtitioni graſſanti obnitebantur, obumbrare cœpiſſe.

Hormiſda Papapio ſtabiliendo Papa in Occidente & Oriente conatus.

XXX. Anno DXIV. Romanam ſedem Cœlius Hormiſda occupavit. Is & in Occidente & Oriente primatum firmare haud ſegniter perrexit. In Occidente diverſis Provinciis vicarios, Galliæ Narbonenſi Avitum Viennenſem, Hiſpaniæ cis Bœtim Johannem Tharaſconenſem, trans Bœtim Salluſtium Hiſpalenſem impoſuit. Qui, ut ſupra fratres ſe extollerent, haud inviti munus illud acceptârunt. In Orientem ad Imperatorem Anaſtaſium Legatos miſit, qui religionis cauſa obortas diſcordias componerent, Synodique Chalcedonenſis adverſus Eutychianos decreta ſtabilirent. A decreto interim Synodi illius præcipuo, quo Patriarchales throni diſcernebantur, & nova Roma veteri coæquabatur, manifeſtè recedit, alia licet in cauſa, proteſtatus, ſe præter Synodum Nicænam nihil agnoſcere. Excepti ab Anaſtaſio honorificè eidem imponere potiùs, quàm ſuadere, viſi ſunt. Cùmque in Patriar-

cham

cham Johannem incidissent, is jurisdictionem alienam involantes sic allocutus est: *Scio Augustorum esse, non Pontificis imperare. Aut si quid foret, in quo hunc, cui Divina curæ sunt, jubere oporteat, me eum esse, à quo alii multò melius exspectent jussa, quàm sua exequenda proponant.* Dimissi ab Anastasio, insolentia eorum offenso, minùs humaniter sunt. Ejus successor Justinus in eadem causa Constantinopoli Synodum coëgit, in cujus Actis Constantinopolitanus Episcopus, in Romani contemptum, *Oecumenicus Patriarcha* perpetuò appellatur. Ad eam Synodum Hormisdas etiam legatos misit, instructos libello, quo quid subscribendum esset Episcopis Orientis, si quidem cum Romano in gratiam redire vellent, aliaque pro Romano magnifica continebantur. Quibus inter alia sic Justinus respondit: *Pro una eademque habeo utrasque Ecclesias, tam senioris quàm novæ Romæ.* Johannes verò Constantinopolitanus Hormisdam simpliciter *Fratrem & Comministrum* vocat, & suam Ecclesiam Romanæ subordinari ubique vetat. In gratiam etiam Hormisdæ Acacii & Euphemii nomina è Diptychis erasa sunt: non tamen cœterorum, qui cum iis communicâssent, quod malè Hormisdam habuit.

Resistentibus Johanne Patriarcha Constantinopolitano, Anastasio & Justino Imppa.

XXXI. Anno DXXV. Johannes Papa à Theodorico, Rege Ariano, Constantinopolin ad Justinum missus, pacem Arianis, à Justino loco motis, conciliaturus, non satis habuit, pari in loco cum Episcopo Constantinopolitano Epiphanio sedere, obtinuitque tandem, ut supra Epiphanium collocatus, altius subsellium, forte quòd Theodorici Regis nomine legatione fungeretur, occuparet. De honore eidem ab Imperatore Justino Constantinopoli ampliſſimè exhibito nescio quid ampullatur Liber Pontificalis, quem penes fides sit. Redux à Theodorico ambitionis illius impatiente, seu alias etiam ob causas Ravennæ in carcerem detrusus est, in quo etiam supremum diem clausit.

Johannes Papa Constantinopoli legatione fungens cum Epiphanio Patriarcha de Præmatis contendit.

Redux à Theodorico in carcerem compingitur.

XXXI. Jo-

Justiniani de sedis Romanæ sensus.

XXXI. Johanni secundo Papæ, cui cognomentum fuit *Mercurius*, ob insignem scilicet eloquentiam, sic Anno DXXXII. Justinianus in Codice *lib. I. tit. I. de summa Trinitate* (si modo germana est epistola, quod pluribus argumentis Celeberrimus JC. Jacobus Lectius in Præscriptionibus Theologicis negat) abblanditur: *Semper nobis fuit magnum studium unitatem vestræ Apostolicæ sedis, & statum Sanctarum DEI Ecclesiarum custodire, qui* hactenus obtinet & incommotè permanet, nulla intercedente *contrarietate. Ideoque omnes sacerdotes universi Orientalis tractus & subjicere & unire sedi vestræ Sanctitatis properavimus.* Justinianus scilicet, si ejus hæc verba sunt, ad se pertinere putavit, ut cui videretur, subjiceret Episcopos; & si videretur, Papam etiam subjiceret sibi. Quod parùm sententiæ Pontificum congruit, primatum suum non arbitrio Imperatorum, sed verbis: *Tu es Petrus*; superstruentium. Sicut autem Pontificii moderni quiritari solent, Justinianum hactenus nimiùm sibi arrogâsse: ita boni quiritantur meritò, Justinianum Pontificiis nimium dedisse. Idem tamen *Novella* 100. Constantinopolitanum Romano secundum facit. Proin ex mente Justiniani verba, *Properavimus subjicere*, eum habere sensum videntur, non esse, quòd conqueratur Papa, cùm ei Constantinopolitanus non prælatus, sed secundo post eum loco collocatus, adeoque, quoad ordinis prærogativam, subjectus sit. *Caput*, fateor, *omnium Ecclesiarum* Ecclesiam Romanam Justinianus in eadem Epistola, sed suspecta, uti diximus, vocavit. At cùm alia in Lege *Ecclesiam Constantinopolitanam caput esse omnium Ecclesiarum aliarum*, idem definivit, tum Zeno etiam repetiit, proclive judicatu est, ibi *Occidentales*, hîc *Orientales* Ecclesias intelligi. Sanè etiam *Novella* 42. Mennam Constantinopolitanum Patriarcham *Oecumenicum Patriarcham* insignire Justinianus idem nullus dubitavit.

XXXII. An-

XXXII. Anno DLIII. Constantinopoli Synodus quinta celebrata est, invito equidem Vigilio, Romano Pontifice, cujus authoritatem licet Baronius, & post ipsum Halloixius floccipenderint, asserere tamen adversus eosdem Henricus de Noris, Augustinianus Monachus, deditâ operâ non dubitavit. Ipse quidem Vigilius, quòd Synodum illam rejiceret, à Justiniano in exilium actus est. Ex eo tamen, cùm Concilium illud, Epistola ad Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum exarata, & non ita pridem ex MS. Veteri, unà cum Petri de Marca ad eam animadversionibus, à Stephano Baluzio edita, approbare se profiteretur, revocatus, in Sicilia, cùm Romam proficisceretur, mortuus est. Inde Aquilejensis, Mediolanensis, Ravennensis, aliique tractuum eorum Episcopi sese authoritati Ecclesiæ Romanæ, cujus propemodum conclamatæ tum res erant, subtraxerunt, Synodum etiam Constantinopolitanam ejurantes. Quos Pelagius I. per Narsetem & Pelagius II. per Smaragdum Exarchum in ordinem redigere ne quicquam laborârunt.

Concilii Constantinopolitani V. historia.

Defectio Episcoporum Italorum ab Ecclesia Romana.

XXXIII. Neque Romæ tantum Veteris Pontifices, sed Novæ quoque eundem in modum *rebus cessere secundis.* Quinimo id Constantinopolitani Episcopi agebant, ut Romanos nova præsumptione atque superbia, uti Gregorius *Registr. lib.* IV. *epist.* 34. loquitur, superarent. Johannes enim, cui à Jejuniis νηστευτὴς seu *Jejunatoris* inditum cognomentum est, animadvertens scilicet, imperiale solium Constantinopoli, & Ravennæ Exarchatus sedem stabilitam, Romam à Longobardis obsessam, Romanum proin Episcopum magnas in angustias redactum; A. DLXXX. *contra Deum*, ita Gregorius idem, *lib.* VII. *epist.* 69. loquitur, *contra pacem Ecclesiæ, in omnium despectum & injuriam Sacerdotum, modestiæ ac mensuræ suæ terminos excedens, & illicitè in Synodo superbum ac pestiferum Oecumenici Patriarchæ* sive Universalis Episcopi, *sibi vocabulum usurpavit.*

Johannes Jejunator Patriarcha Constantinopolitanus Oecumenici titulum sibi vendicat.

Indignantibus multum Pelagio Papa & Gregorio I. Magno, qui apud Imp. Mauritium Antichristi præcursorem insignit, quisquis cum titulum affectat.

XXXIV. Ea res Romanorum Pontificum, uti mos est ingenii humani *contra audentiùs ire*, contentionem auxit, & rabidam stimulavit orexin. Et Pelagius quidem secundus, obsidione urbis Romæ soluta levatus, collecto animo Johannem *districtissima*, uti *loc. cit.* Gregorius loquitur, *increpatione* admonuit, ut se *à novo & temerario superstitionis* nomine cohiberet. In Epistola ejusdem Pelagii ad Constantinopolitanæ Synodi Episcopos scripta inter alia hæc verba habentur: *Adversarius noster Diabolus, qui contra humiles sæviens, sicut Leo rugiens circuit, quærens quem devoret, non jam, ut cernimus, cautos circuit; sed ita validè in quibusdam Ecclesiæ membris dentem figit, ut nulli sit dubium, quin, nisi unanimiter, favente Domino, cunctorum provida Pastorum turba concurrat, omne citiùs evile dilaniet. Perpenditis, fratres charissimi, quid è vicino subsequatur, cùm & è Sacerdotibus erumpunt tam perversa primordia. Quia enim juxta est ille, de quo scriptum est: Ille est Rex super universos filios superbiæ, quod non sine gravi dolore dicere compellor, dum frater & Coepiscopus noster Johannes mandata Dominica, & Apostolica præcepta, regulasque Patrum despiciens, cùm per elationem præcurrere conatur in nomine*; puta, Antichristum. Manifestè enim ad locum 2. Thess. II. 4. alludit. Subjungit secundam rationem: *quòd ex ea, quam prætendebat, humilitate, universa sibi tentet adscribere, quæ soli uni capiti cohærent, nempe Christo.* Alia eundem in sensum non minùs prægnantia subjicit. Neque minori ardore Johannem hunc Jejunatorem persequitur Pelagii successor Gregorius I. cognomento *Magnus*, qui primus se *servum servorum* appellavit. In Epistola ad Johannem illum, *Universalem* Episcopum dici, & *Solum* Episcopum dici, perinde esse asserit. Revera enim si unus est universalis Episcopus, reliquis non datur esse Episcopis, sed universalis illius Episcopi vicariis duntaxat & subdelegatis. Epistola ad Constantiam Augustam, quæ *Epist. lib. IV. ep. 34.* est:

Per

Per omnipotentem Dominum rogo, inquit, *ne pietatis vestræ tempora permittatis unius hominis elatione maculari:* alludens ut ibi, ita & alibi ad illum ὑπεραιρόμενον *sese efferentem* seu *elatum* de quo S. Paulus 2. Thess. II. 4. vaticinatur. Subjicit: *In hac ejus superbia quid aliud, nisi propinqua jam esse Antichristi tempora designatur. Quia videlicet illum imitatur* (Luciferum) *qui spretis in Sociali gaudio Angelorum legionibus ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens: super astra cœli exaltabo solium, &c. Ero similis Altissimo.* Epistola ad Mauritium Imp. quæ *lib. IV. Epist.* 32. est, eodem sensu: *Cunctis*, inquit, *Evangelium scientibus liquet, quòd voce Dominica Sancto, & omnium Apostolorum Petro principi Apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est. Cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur; & tamen Universalis Apostolus non vocatur. Et Vir Sanctissimus, Consacerdos meus, Johannes vocari Universalis Episcopus conatur. Exclamare cogor ac dicere: O tempora, O mores! Ea cuncta in Europa barbarorum juri sunt tradita. Destructæ urbes, eversa castra, depopulatæ provinciæ, nullus terrarum cultor inhabitat. Et tamen Sacerdotes, qui in pavimento & cinere flentes jacere debuerunt, vanitatis nomina sibi expetunt, & novis ac prophanis vocabulis gloriantur.* Cumque Mauritius Imperator præcepisset, ne frivoli vocabuli prætextu scandalum inter Episcopos digladiantes exoriatur, Epistola ad eundem data, quæ *lib. VI. Epist.* 30. est; *Imperialis*, inquit, *pietas penset, quia alia sunt frivola, valde innoxia, atque alia vehementer noxia; Numquid non, cùm Antichristus veniens se Deum dixerit, frivolum valde erit, sed tamen nimis perniciosum? Si quantitatem sermonis attendimus, duæ sunt syllabæ. Si verò pondus iniquitatis, universa pernicies. Ego autem fidenter dico, quia quisquis se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit: quia superbiendo se cæteris præponit. Nec dispari superbia ad errorem ducitur, quia sicut perversus ille Deus videri vult super omnes homines,*

mines, ita quisquis est, qui solus Sacerdos appellari appetit, super cæteros Sacerdotes se extollit.

Vaticinium Gregorii M. de sequentibus temporibus.

XXXV. Sunt hæc Gregorii Pontificis verè ταλανταῖα ῥήματα. Majus tamen illud est, quòd idem Gregorius proximè futuram tempestatem, tanquam ex specula quapiam ante prospiciens, de sequentibus temporibus ita *lib. VIII. Ep. 36.* vaticinatur: *Qui post nos vixerint, deteriora tempora videbunt, ita ut in comparatione sui temporis felices nos æstiment dies habuisse.* Alibi *lib. IV. Epist. 38.* expressius: *Omnia quæ prædicta sunt, fiunt. Rex superbiæ prope est, & (quod dici nefas est) Sacerdotum est præparatus exercitus.*



Ec-

ECCLESIÆ ROMANÆ PERIODUS TERTIA.

Seu

Historia Ecclesiæ Romanæ Dominationem in Spiritualibus, indultu Phocæ, adipiscentis, & in doctrina ac ritibus degenerantis.

Inde à Bonifacio III. seu A. C. DCVII. ad Gregorium VII. seu A. C. MLXXIII. usque.

BREVIARIUM.

XXXVI. *Phocæ Imperatoris decretum, quo Ecclesia Romana caput omnium Ecclesiarum declaratur, à Bonifacio III. confirmatum.*

XXXVII. *Syllogismo Pontificum verbis contexto Ecclesia Romana αὐτοκατάκριτος convincitur.*

XXXVIII. *Exceptiones eliſæ. Quo ſenſu Eccleſiæ Romanæ Epiſcopi Univerſales, Oecumenici à Patribus dicti?*

XXXIX. *Ab eo tempore verus Papatus in Eccleſiam Occidentis; & ſimul etiam in Eccleſiam Orientis Muhammediſmus introduci cæpit.*

XL. *Honorii Bonifacio succedentis in hæresin Monothelitarum lapsus, à Gregorio prædictus.*

XLI. *Pontificum sequentium studia quæ fuerint, exponitur. Agathonis Siculi superbissima effata. Theologiæ & bonarum literarum supinus iisdem temporibus neglectus.*

XLII. *Concilium Constantinopolitanum VI. in Trullo habitum, à Constantino Pogonato solo & convocatum, & directum est. Romani in eo in ordinem redacti.*

XLIII. *Leonis II. Benedicti II. Sergii I. ambitio.*

XLIV. *Synodus Quini-sexta Romanæ Ecclesiæ minùs propitia, & ab eadem rejecta.*

XLV. *Ecclesiæ Romanæ seculo octavo status, provehendæ Paparum dominationi idoneus fuit, Imperatore, Exarchis & Longobardis æmulis, Pontificum gratiam aucupantibus. Justinianus II. cum Ecclesia Romana conciliationem frustra quærit. Papæ Constantini pedes osculatur.*

XLVI. *Historia certaminis de imaginibus Ecclesiam inter Romanam & Orientales, cui Philippicus Bardanes, & Johannes Patriarcha Const. imagines Patrum Concilii VI. è porticu Sophiæ removentes; Constantinus verò Papa eas dem, aliasque etiam Romæ in porticu Petri collocantes, ansam dederunt. Ea occasione Ecclesia Romana ab Imperatore Orientali deficit, & mox Longobardis etiam à Pipino & Carolo M. domitis, Romanæ ditionis dominium feudali nexu adipiscitur.*

XLVII. *Historia Synodi Generalis septimæ Constantinopoli habitæ, qua imaginum cultus damnatus: nec non Nicænæ II. qua idem stabilitus est. Carolus M. adversus Synodum Nicænam illam Francofurti Synodum celebrat, & imaginum cultum, libris etiam editis, damnat.*

XLVIII. *Carolo tamen Imperatore liberiùs se Papatus movet, benevolentia & liberalitate tum Caroli, tum Inæ Saxonum Regis, in Britannia Denarium S. Petri Pontifici pensitandum instituentis adjutus, ceremoniis etiam in Franciam introductis, & Episcopis appellatione Romam concessa.* XLIX.

XLIX. *Religionis prora & puppis quibus tum in rebus constiterit? Novelli ritus Caroli tempore in Ecclesiam invecti. Crassa ignorantia Cleri.*

L. *Seculi IX. historia ex Pontificum ejusdem rebus liquet.*

LI. *Electio Stephani V. & Paschalis I. anomala.*

LII. *Eugenius II. in schismate eligitur. Valentinus osculum pedum à senatu Romano primus admittit.*

LIII. *Synodi Parisiensis ad Ludovicum Imp. de Nicæna II. Synodo rescriptum. Eugenii II. in iconolatria tuenda obstinatio.*

LIV. *Gregorius IV. Ludovici filios adversus Patrem fovet, & anathema comminatus, ab Episcopis Galliæ spernitur. Sergius II. Os porci, electus Papa, primus nomen mutat. Idem, & post ipsum Leo IV. sedem, neglecto Imp. consensu occupant. Johannes VIII. fœmina.*

LV. *Nicolai I. judicari se à seculari potestate, eò quòd Papa à Constantino Deus vocatus fuerit, vetantis: Lotharium excommunicantis: cum Michaele Imp. Constantinopolitano ob Photium Ignatio substitutum expostulantis, & anathema eidem intentantis: Ravennatensem Ecclesiam opprimentis: Sacerdotes conjugatos persequentis insolentia.*

LVI. *Historia controversiæ de Prædestinatione Godeschalcum inter & Rabanum Maurum ac Erigenam Scotum agitatæ, ex qua declinatio orthodoxæ de gratia & prædestinatione doctrinæ colligitur.*

LVII. *Hadriani II. molimina adversus Carolum Calvum, ab Hincmaro ab ipso Rege fortiter repressa.*

LVIII. *Historia Synodi octavæ Oecumenicæ, in qua Photio ob reprehensum Basilium Imperat. parricidam depositio Ignatius substituitur, parricidæ partes Hadriano fovente, in cujus gratiam in eadem primatus Papæ & imaginum cultus confirmatus est.*

LIX. *Johannes IX. tres Augustos pronuntiat. Unde posthac titulus Imperatoris Papæ beneficium esse cœpit.*

LX. Ha-

LX. *Hadriani III. decreta, ne in creando Pontifice Imperatoris authoritas exspectetur : utque post mortem Imper. Crassi Regnum Italicis Principibus cum titulo Imperii tribuatur.*

LXI. *Stephani VI. Sanctio, ut leges Ecclesiæ Rom. sint irrefragabiles. Stephani VII. adversus cadaver Formosi horrenda sævitia : vindicantibus mox Formosum successoribus.*

LXII. *Baronii de infelicitate illorum temporum, & monstris sedi Rom. ab Adelbertis Thuscis impositis querela. Successionis Paparum turbatio.*

LXIII. *Historia certaminis Sacramentarii inter Paschasium Ratbertum & Rabanum Maurum, ac Bertramum agitati.*

LXIV. *Potestatem Pontificis temporalem circa ea tempora multum fictæ donationes Constantini M. Ludovici Pii & Othonis M. promoverunt, quarum vsus hic panditur. Spiritualem eorundem potestatem firmârunt Epistolæ Decretales primis Pontificibus eodem tempore per fraudem suppositæ.*

LXV. *De Seculi decimi miseranda facie querela Bellarmini & Baronii.*

LXVI. *Romæ tum sordidissimæ meretrices, Theodora & Marozia imperitârunt. Gerberti & Genebrardi de eodem seculo querimonia.*

LXVII. *Infelicitatis illius causæ nunquid penes Imperatores Germanos hæserint ?*

LXVIII. *Seculi illius Pontifices à Gerberto,*

LXIX. *nec non Platina, Stella, Baronio, Genebrardo graphicè depicti. Exempla nonnullorum producuntur.*

LXX. *Cleri totius corruptio immanis.*

LXXI. *Novas hæreses seculum isthoc nullas protulit, quia in Prælatos & Monachos hæretici fugerunt omnes.*

LXXI. *Ecclesiæ circa annum millesimum status ex VVernero, Glabro Radulpho repræsentatur.*

LXXII. *Seculum decimum, ferreum à Dithmaro appellatum, quo revelandum, vel revelatum jam esse Antichristum, passim percrebuit.*

LXXIII.

LXXIII. *Silvestri II. Necromantia. Discipuli & successores ejus eodem, aliisque etiam criminibus infames.*

LXXIV. *Cardinalium nomen tempore Benedicti IX. in pretio esse incipit. Cardinalis fixus Ecclesiæ minister. Eorum definitio verbis M. Anton. de Dominis texitur.*

LXXV. *Potestas eorum unà cum Papæ potestate crevit; Seculo inprimis undecimo, quo primæ in eligendo Papa partes iis sub Nicolao II. decretæ, donec excluso ab ea electione Imperatore & Clero reliquo, solis iis jus hoc cessit. Ita sub appellatione ecclesiastica Principes seculares facti sunt.*

LXXVI. *Ea ratione Papa Christi æmulus collegium Apostolicum, ex Cardinalibus conflatum, constituit.*

LXXVII. *Cardinalium ex eo tempore prærogativæ multiplices.*

LXXVII. *Galerus ruber senatus hujus Edomitici tessera. Cujus auctoramento principes hujus seculi viri ad Pontificias partes trahuntur.*

LXXVIII. *Certaminis Sacramentarii continuatio per Berengarium, ad horribilem palinodiam coactum. Libertati restitutus idem veritatem ad finem usque vitæ asseruit.*

XXXVI. AN verò Gregorium, quem supra vaticinantem induximus, ex semet ipso ea prolocutum esse, an prophetâsse potiùs, quòd esset Pontifex anni illius, putabimus? Quicquid sit, augurium vatem non fefellit. Successores enim ejus, quod in Johanne Constantinopolitano gravissimè meritò detestatus Gregorius est, ipsimet avidissimè rapuerunt, raptum defensitarunt quibus libet interdictis, & præfractè, si quid aliud. Phocas enim, alter Zimri, Domini sui, Mauritii sub ipso ferali ictu justa Dei judicia celebrantis, cujusque centurio fuit, occisor nefarius, *Tyrannus Calydo-*

Phocæ Imperatoris decretum, quo Ecclesia Romana caput omnium Ecclesiarum declaratur, à Bonifacio III confirmatum.

nius σιδήρῳ περίφρακτ& μιξοβάρβαρ& ἀνθρωπ& ferro obtectus, homo semibarbarus, de Cyclopum genere, in modesta purpura centaurus petulantissimus, cui de ebrietatis Regno erat certamen (en notas, quibus Phocam Pontificii Regni architectum coætaneus ejus Theophylactus Simocatta insignivit:) *rogante Papa Bonifacio* (tertio, patria Romano, A. DCVII. electo Pontifice) *statuit, sedem Romanæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat*, uti Beda *de sex ætatibus mundi*, Paulus Diaconus *Rerum Romanarum lib. II.* Anastasius Bibliothecarius *in vita Bonifacii III.* aliique commemorant; vel, uti Pomponius Lætus *in Hist. Rom. compendio* loquitur: *Urbem Romam totius salutaris vitæ caput esse sanxit, cum antea propter sedem Principis Constantinopolis haberetur.* Erat nempe Phocas Cyriaco Patriarchæ infensus, tantoque magis Romani Pontificis exquisitis adulationibus appetitus, ut Constantinopolitani odio, & in favorem Romani non tantùm Ecclesiam Romanam *Ecclesiarum omnium caput*: Sed Romanum etiam Episcopum *Universalem* seu *Oecumenicum* Ecclesiarum scil. omnium *Episcopum* esse, dicique debere statuerit. Quod imperiale scilicet statutum Bonifacius mox in Synodo Episcoporum LXXII. sanciri jubens, simul definivit, *electionem Episcopi à Clero pariter & populo fieri debere, eamque ita ratam fore, si à Principe civitatis approbata esset, & si summus Pontifex denique his verbis authoritatem suam interposuisset: Volumus & jubemus:* uti in vita ejus Platina loquitur.

Syllogismo Pontificum verbis contexto Ecclesia Romana ἀυτεκατάκριτ& convincitur.

XXXVII. Fingamus hic ad vivos redire Gregorium, quid dicturum putamus, si successorem suum titulo superbientem *Universalis Episcopi*, quem tantopere in Johanne Constantinopolitano damnaverat, vidisset? Saltem ἀυτεκατάκριτ& Sedes Romana efficitur Syllogismo ipsorum Pontificum verbis consuto: *Qui Episcopus universalis appellari vult, Antichristi præcursor est. Bonifacius tertius Uni-*

ver-

versalis Episcopus appellari & vult, & ut appelletur, poscit; obtinetque. Bonifacius igitur tertius, si non Antichristus ipse, at ejus certè præcursor est.

XXXVIII. Neque hic tralatitia κρηπφύγετα moramur, cujusmodi sunt, *Phocam universalem Episcopatum Romani non instituisse, sed asseruisse: ante Phocam titulo capitis Ecclesiæ, universalis Episcopi ab imperatoribus aliisque Romanos exornatos esse.* Aliter longè Scriptores vetusti. Paulus Diaconus scriptor coævus *lib. IV. cap. 37. de gestis Longobard.* sic: *Phocas, rogante Papa Bonifacio, statuit,* (en statutum novum, non veteris statuti assertionem!) *Sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum,* &c. Sic etiam posteriores, Freculphus, Regino, Anastasius, Hermannus Contractus, &c. qui omnes: *Bonifacius rogavit, obtinuit, impetravit à Phoca, ut esset, vel haberetur caput omnium Ecclesiarum.* Nonnulli etiam Phocæ *authoritate* factum esse caput Ecclesiarum. Sigonius *de Regno Italiæ lib. II.* scribit, Bonifacium ad Phocam legationem misisse, quo *decretum* obtinuerit, *ut sedes B. Petri esset prima omnium Ecclesiarum.* Sane etiam Justinianus (siquidem γνήσιος ejus Epistola est) ante Phocam Ecclesiam Rom. *omnium Ecclesiarum caput* insignivit, sed eodem utique sensu, quo etiam Constantinopolin *caput omnium aliarum Ecclesiarum* esse dixit. Mos fuit S. Patribus, omnes Patriarchas Oecumenicos seu Universales, hoc est, universalis Ecclesiæ contutores, seu Catholicæ Ecclesiæ curam in sua portione, suoque districtu gerentes (quamquam ne is quidem sensus Gregorio placuit, apertè testato, à suis antecessoribus vocabulum id rejectum esse) nuncupare; quod abundè à nostris probatum. In ipsa Synodo Chalcedonensi Mennas Constantinopolitanus Episcopus passim *Oecumenicus*; in Nicæna Tharasius *Patriarcha generalis* ab ipso Adriano Episcopo Romano vocantur. Observatumque jam olim etiam Benedicto Renato,

Exceptiones elisæ.

Quo sensu Ecclesiæ Rom. Episcopi universales Oecumenici à Patribus dicti?

S. Eustachii apud Parisianos Parocho, in amica Disquisitione super Doctrina Hugenottorum, Patres aliquando universaliùs de Ecclesia Romana locutos esse, eò quòd per Romanam Ecclesiam Occidentalem seu Latinam, Orientali seu Græcæ, contradistinctam intellexerint, & à sede præcipua ac Metropoli utrumque Imperium atque Ecclesia denominata fuerit. Ut manifestum planè sit, Phocam *capitis Ecclesiarum*, & *Universalis Episcopi* titulum, qui communis antehac fuerat, Romano ita appropriâsse, ut ab ejus communione Constantinopolitanus, aliique excluderentur, & Romanus in posterum rerum in Ecclesia potiretur solus. Unde perpetuum Occidentalem inter & Orientalem Ecclesiam schisma posthac incessit, malumque paulatim factum immedicabile est.

Ab eo tempore verus Papatus in Ecclesiam Occidentis, & simul etiam in Ecclesiam Orientis Muhammedismus introduci capit.

XXXIX. Ex hoc tempore verus Papatus in Ecclesiam Romanam invehi, errores & superstitiones in ea incrementum capere, sacra omnia refigi & refingi, paulatim ex serpigine gangræna nasci. Plurimis tamen in Oriente & Occidente, Gallia cumprimis, Germania & Britannia in maximi momenti rebus, in quibus summa salutis vertitur, à Romani Pontificis sententia divortio facto discedentibus. Accedit, quòd circa id ipsum tempus in Oriente exortus est Pseudopropheta Muhammed, cujus sectatores Saraceni mirabiles adeò successus habuerunt, ut tertio post excessum illius anno, Omar dynastiam capessente, intra sexennii spatium Ægyptum, Arabiam, Phœniciam, Palæstinam, Syriam, Mesopotamiam occupaverint. Sic duæ voragines, duo scopoli, duo carcinomata Ecclesiæ externæ corpus invaserunt corripueruntque subitò.

Honorii Bonifacio successoris in hæresin Monothelitarum

XL. Jam ante Gregorius M. *Si unus Episcopus vocaretur Universalis, corruituram Ecclesiam universam, si unus caderet*, prædixerat. Augurio illi fidem statim fecit specimen notorium, Honorii, quarti post Bonifacium Papæ, qui A.

DCXXVI.

DCXXVI. Bonifacio V. succeſſit, lapſus, ex quo cernere fuit, quàm lubrica res ſit, à fide unius hominis pendere. In Monothelætarum ſcilicet hæreſin præceps lapſus, errorem ſuum literis ad Sergium Conſtantinopolitanum datis, & in Synodo Sexta Univerſali, actione duodecima & decima tertia prolatis, omniumque Patrum judicio igni damnatis, prodidit. Anathemati proin etiam in Synodo Nicænæ ſecundæ, actione ultima: nec non in Octava ab Adriano Papa ſubjicitur. Egregium ſcilicet Papam, Epiſcopum Univerſalem, & caput omnium Eccleſiarum! quem Wicelius dicit fuiſſe *bonum virum, ſed malum Papam & Paſtorem negligentem*, reformatorem ſcilicet Cleri in rebus ludicris obſervandis, non in Verbo Dei propagando. Licet verò ab hæreſeos nota liberare eum Bellarminus conetur, à doctiſſimo tamen nuper Sorboniſta Launoio, Epiſtolis ea de re editis, ejusdem reus apertè peragitur. *lapſus, à Gregorio prædictus.*

XLI. Sequentium Pontificum, Honorii ipſius, Zephyrini, Theodori, Martini Eugenii, Vitaliani &c. ſtudium fuit, non tam Eccleſiam Dei vivæ vocis præconio ædificare, & lapides vivos undique congerere: quàm magnifica Templa, ſacella, ſtatuas exſtruere: aliisque etiam ridiculis περιεργίαις operam omnem navare; ad exteras regiones quosdam à latere ablegare, non Evangelium promulgaturos, ſed ceremonias ritusque Romanos, Cantum, Latinum officium, Horas, altaria, organa, cereos, & nugamenta ſimilia; præ cæteris autem primatum Papæ, Phocæ ſuffragatione collatum obtruſuros. Agatho certè Siculus A. DCLXXVIII. Papale ſolium adeptus D. 19. *C. ſic omnes* 2. Papaliter ita pronunciat: *Sic omnes Sanctiones Apoſtolicæ ſedis accipiendæ ſunt, tanquam ipſius Divina voce Petri firmatæ.* Ad Conſtantinum etiam Pogonatum ſcribit idem, *Eccleſiam Apoſtolicam* (Romanam) *nun-* *Pontificum ſequentium ſtudia quæ fuerint, exponitur.* *Agathonis Siculi ſuperstitiosa effata.*

quam à Via veritatis deflexisse, sed illibatam permansisse, nec errare potuisse, secundum ipsius Salvatoris Divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi in Sacris Evangeliis factus est. Sub eodem tamen Papa tantam bonarum literarum sterilitatem, & Theologiæ universæ neglectum Ecclesiam pervagatum esse, ut ne unus quidem Romæ Theologus fuerit, & Theodorus Theologus nequicquam ex Britannia accitus fuerit; Papæ ipsius testimonio Baronius ad A. DCLXXX. confirmat. Scilicet omnia sapientiæ cœlestis mysteria in penetrale & adytum novi Apollinis, Universalis Episcopi immeârunt.

Theologia & bonarum literarum supinus iisdem temporibus neglectus.

XLII. Anno DCLXXX. Constantinopolitani in Trullo ad compescendos Monotheletas, Synodus VI. habita est, indicente non Agathone, sed Constantino Pogonato, uti Zonaras, Gratianus, Anastasius disertè testantur. Agatho ipse Cæsari vocanti *promptam obsequentiam se exhibere* testatur. In literis ad Agathonem & Episcopos Romanos, nec non Gregorium Constantinopolitanum, illos *Papas Universales*, hunc *Patriarcham Universalem* vocat. Præses seu *Præsidens* non alius in omnibus Concilii actis, quàm Constantinus designatur. Neque Agatho ipse in Concilio ὑπεροχὴν supra alias Ecclesias venditare ausus, se per Legatos suos in parium curia sedere perspexit. Quin Episcopum Romanum ejus Synodi Patres, juxta antiquum Synodi Constantinopolitanæ decretum ita in ordinem redigunt, ut ἴσων ἀπολαβεῖν πρεσβείων *pari dignitate frui* & Romanum & Constantinopolitanum scisant. Adeò nondum in Orientem *Universalis* potestatis fimbrias, ut ut concupiverint, dilatare Romanis integrum fuit.

Concilium Constantinopolitanum VI. in Trullo habitum à Constantino Pogonato solo & convocatum & directum est. Romani in eo in ordinem redacti.

XLIII. Agathonis Successor Leo II. à Constantino impetravit, ut qui Archiepiscopus Ravennæ imposterum eligetur, Romam ordinandus se conferat, ea tamen lege, ne quid pro Pallio ab eo exigatur. Amplius quid ab

Leonis II. Benedicti II. Sergii Lambitio.

eodem

eodem Benedictus II. obtinet, ut scilicet quem Clerus, populus & exercitus Romanus Pontificem delegerit, is è vestigio, non exspectata vel Imperatoris, vel Exarchi licentia, confirmetur & consecretur. Quæ libertas quàm noxia fuerit, mox in electione Cononis aliorumque emicuit. Cononis successor Sergius I. schismate populi suborto, aliis Theodorum Archipresbyterum, aliis Paschalem Archidiaconum obtrudere molientibus, ex media populi turba raptus Papa creatur, & ilico ab omnibus, ipsis etiam rivalibus, salutatur; vel, ut Sigonius, recentiori adulatione, ait, *adoratur*. Eo sedis hujus superbia, & invadendæ ejusdem cupiditas, & ambitio jam processerat.

XLIV. Eodem Sergio Pontifice Anno DCXCII. Constantinopoli in Trullo, authoritate Justiniani Rhinotmeti à Callinico Patriarcha convocata, celebrataque adeò est Synodus, cui vulgò πενθέκτης, *quini-sextæ* nomen indi-tum est, eò quòd quintæ & sextæ Synodi generalis, in quibus Canones de Disciplina, regimine, ritibus, moribus Clericorum & Monachorum decreti nulli fuerant; quoddam supplementum esset. Varios ibi Canones Ecclesiæ Romanæ disciplinæ, praxi, authoritati oppositos, seu, uti Anastasius in vita Johannis VII. loquitur, *capitula Romanæ Ecclesiæ contraria* videre est. Quamobrem etiam moderni Ecclesiæ Romanæ gnathones Synodum erraticam, & nonnulli etiam planè confictam appellare non verecundantur; licet ab ipso Sergio, ea parte, qua Ecclesiæ Romanæ authoritatem non lædit, subscripta, aliisque etiam Pontificibus approbata constet. Auxeruntque Canones hi schisma jam ante cœptum Orientales inter & Occidentales, fatente Baronio, *eorum causa diu Græcos inter & Latinos disceptatum esse.*

Synodus quini sextæ Romanæ Ecclesiæ minus propitia & ab eadem rejecta.

XLV. Seculi *octavi* status Romanorum Pontificum do-

Ecclesiæ

mi-

Romanæ sæculo octavo status provehendæ Papatui dominationi idoneus fuit, Imperatore, Exarchis & Longobardis æmulis, Pontificum gratiam aucupantibus.

minationi provehendæ idoneus fuit. In Oriente remoti adeò, sedebant Imperatores. Italiam barbari, Longobardi invaserunt. Subditi Romani ab obsequio paulatim Imperatoris Constantinopolitani se subduxerant, Exarchorum imperium exuere parati. Omnes hæ partes Romanorum Pontificum gratiam ambiverunt. Imperator & Exarchi, ut se adversus Longobardos & subditos infideles, favore eorum freti, munirent: Longobardi haud segniores, ut imperium malis artibus quæsitum stabilirent. Proin A. DCCV. Johanni VII. Aripertus Longobardorum Rex, immania scelera sua expiaturus, qui jam Seculi illius error & terror fuit, Alpes Cottias in patrimonium donavit, quas Taurino Genuam usque indeque in Gallias Blondus & Platina extendunt. Ex adverso Justinianus II. domesticis seditionibus conflictatus, imperio exutus, ac demum restitutus, & vindictam spirans, eundem Pontificem Johannem VII. demulcere conatur, missis ad eum Actis Synodi Sextæ, *ut*, verbis Anastasii utor, *quæ ei visa essent, stabiliret, & quæ adversa, renuendo excluderet.* Sic utriusque Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis reconciliationem tentare voluit. Cœterum Papa schisma sibi futurum conducibilius ratus, Legatos re infecta remisit. Post Imperator idem Callinicum Patriarcham, oculorum usura privatum, Romam ad Constantinum Papam gratificaturus ei, misit: Papamque ad se Constantinopolin invitavit, seu, uti Paulus Diaconus loquitur, *ad se venire jussit*, specie consilii de Republica cum ipso ineundi; revera, ut honoribus cumulatum sui eum beneficii faceret. Adventantis Papæ *pedes* Imperatorem *Regium* (diadema) *in capite habentem exosculatum*, Paulus Diaconus idem tradit, addens, Justinianum cuncta Ecclesiæ Romanæ privilegia innovâsse, & Papam Romam onustum muneribus dimisisse.

Justinianus II. cum Ecclesia Romana conciliationem frustra quærit.

Papa Constantini pedes osculatur.

XLVI. Mox

XLVI. Mox certamen de Imaginibus, earumque cultu, Romanam & Orientalem Ecclesiam admodum exercitam habuit. Certaminis occasio incidit in A. DCCXII. quo Philippicus Bardanes Imperator, & Johannes Patriarcha Constantinopolitanus Monotheleta uterque, Concilio Oecumenico sexto, quo Monotheletis Anathema dictum est, reprobato, Synodi ejus Patrum imagines è Porticu S. Sophiæ. ubi paulo ante à Justiniano collocatæ fuerant, sustulerunt. Mox Constantinus Papa in adversum nixus, Romæ celebrata Synodo, easdem imagines, additis etiam præcipuorum, qui præcedentibus Conciliis intererant, Patrum imaginibus, in porticu S. Petri collocavit: definiens insuper, etiam in Templa imagines inferendas esse. Hinc quæstio de imaginibus non accessoria ampliùs mansit, sed principalis evasit; Papa Constantino Philippicum *in Iconomachiæ hæresin lapsum* (ita Platina) imperio spoliare ausо. Leo tertius Isaurus A. DCCXVII. Imperio admotus mox edictum adversus imagines A. DCCXXVI. promulgat, & Constantini successorem Gregorium II. cui *Dialogi* nomen erat, ab imaginum tutela dehortatur graviter. Ille adversus Imperatorem æstuans, Ravennates, Venetos populumque omnem adversus Imperatorem & Exarchum concitat. Quo facto effrenes populi in Paulum, Ravennæ Exarchum, impetu facto, universam Italiam seditione, rapina, cædibus, implent. Ac tandem tot tantisque sceleribus obligati Romani, si quidem vera est narratio authorum Græcorum, Zonaræ, Theophanis & Cedreni (quam nuper tamen Launojus *Epist. lib. 7.* suspectam reddere conatus est) ab obsequio & fide Leonis Orientalis Imperatoris, sublato mox etiam Exarchatu, ducentos annos in Italia obtinente, desciscunt, & solenni Sacramento se Pontificis Romani vitam statumque in perpetuum defensuros, & authoritati ejus obtemperaturos reci-

Historia certaminis de Imaginibus Ecclesiam inter Romanam & Orientalem, cui Philippicus Bardanes & Johannes Patriarcha Constant. imagines Patrum Concilii V. è porticu Sophiæ removentes, Constantinus vero Papa easdem, aliasque etiam Romæ in Porticu Petri collocans, ansam dederunt.

Ea occasione Ecclesia Rom. ab Imperatore Orient. defecit, & mox Longobardis etiam à Pipino & Carolo M. domitis, Romanæ ditionis dominium feudali nexu adipiscitur.

recipiunt. De quo ita Sigonius *de Regno Italiæ lib.* 2. scribit: *Ita Roma Romanusque Ducatus à Græcis ad Romanum Pontificem propter infandam eorum hæresin* (Iconomachiam) *impietatemq; pervenit:* exactis à Romanis Episcopis Italia Orientis Imperatoribus deinceps oculos Romam versus cum suspiriis & gemitibus vix contorquentibus. Unus supererat metus à Longobardis, in Italia tum late dominantibus, quorum imperio Pipini, quem succollaturum sibi Zacharias Papa abdicato (si narrationi Trithemii & Sigonii, quam idem eodem libro Launojus in dubium etiam revocat; fides haberi potest) Childerico, ceu minùs ad destinata exequenda idoneo, Regem Francorum fecerat, & Caroli M. operâ excusso, adeoque vicina potentia remotioris auxilio subruta, Papa Romanæ ditionis dominium obligatum feudali vinculo adeptus est; quo jure, quave injuria, nihil ultra dicere attinet; *rebus certè*, ut Sigonius idem *loc. cit.* loquitur, *pro Ecclesiæ salute, & sedis Apostolicæ authoritate, non tam piè, quàm prosperè gestis.*

Historia Synodi Generalis Septimæ Constantinopoli habitæ, qua Imaginum cultus damnatus: nec non Nicæna II, qua illum stabilitus est.

XLVII. Anno DCCLIV. sub Constantino Copronymo Constantinopoli indicta & habita est Synodus Generalis Septima, ex Episcopis trecentis triginta octo conflata, qua, explosis aliis imaginibus *unica* definitur esse *imago ab ipso Christo instituta, nimirum panis & vinum in Eucharistia, quæ repræsentant Christi corpus & sanguinem.* Cui Synodo post triginta tres annos A. DCCLXXXVII. se opposuit Synodus Nicæna Secunda λατρευτὴ seu *latrocinalis* vulgò dicta, annitente Irene, Leonis IV. conjuge, & Constantini Septimi tum adhuc impuberis matre, quæ Adriano I. Rom. Pontifici & imaginibus simul addicta, cum eodem Papa conspirans eò denique rem perduxit, ut imagines honorandas, venerandas, salutandas, osculandas, incensis, cereis prosequendas, publico decreto sanciretur. Cui post decreto se opposuere Constantinus ipse factus adultior,

tior; à matre Irene, veriſſima Erynnide, & oculis & vita propterea orbatus: Conſtantini ſucceſſores, Nicephorus, alii, & Græci in univerſum: nec non Carolus M. ipſe ſcriptis quatuor adverſus cultum imaginum libris, & habita Francofurti A. DCCXCIV. Synodo, ex Epiſcopis Francis, Germanis, Italis, Anglis pluribus conflata, qua, uti Walafridus Strabo, Author Annalium Fuldenſium, loquitur, *Pſeudo-Synodus Græcorum pro adorandis imaginibus habita, & falsò Septima vocata ab Epiſcopis damnata eſt.* De eadem Synodo ſi Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus libro contra Hincmarum Laudunenſem edito: *Tempore Caroli Magni Imperatoris, juſſione Apoſtolicæ ſedis, Generalis Synodus in Francia, convocante præfato Imperatore, celebrata, & ſecundùm Scripturarum tramitem, traditionémque majorum, ipſa Græcorum Pſeudo-Synodus deſtructa, & penitus abdicata eſt. De cujus deſtructione non modicum volumen, quod in Palatio adoleſcentulus legi, ab eodem Imperatore Romam eſt per quoſdam Epiſcopos miſſum.* Paulò poſt: *Authoritate itaque hujus Synodi nonnihil repreſſa eſt imaginum veneratio. Sed tamen Hadrianus & alii Pontifices in ſua opinione perſeverarunt, & mortuo Carolo ſuarum puparum cultum vehementiùs promoverunt; adeò ut Ludovicus Caroli filius, libro longè acriori inſectatus ſit imaginum cultum, quàm Carolus.* Cùm igitur Græci, Occidentales Franci, Alamanni, Itali, Angli, à Concilio Nicæno, à Pontificiis Legatis directo, pro & univerſali ſe venditantis, & à Pontifice ipſo Hadriano confirmati definitione libere receſſerint, neque minùs tamen pro Chriſtianis & orthodoxis habiti fuerint, (quis enim Divum Carolum, quis tot Epiſcopos hæreticos dixerit?) citra orthodoxiæ periculum à definitionibus Conciliorum Pontificiorum, Tridentini nominatim, cùm ab iis violatam eſſe legem Dei credi poteſt, recedi, fuſè eruditéque Celeberrimus Allixius, diſſertatione peculiari confecit.

Carolus M. adverſus Synodum Nicænam illam Francofurti Synodum celebrat, & Imaginum cultum libris etiam editis, damnat.

Carolo tamen Imperatore liberius se Papatus movet, benevolentia & liberalitate adjutus, cæremonias etiam in Franciam introductis, & Episcopi appellatione Romam confert.

XLVIII. Liberius nihilominus Papatus Romanus, Carolo Imperatore, lacertos movit, Pontificum obsequiis claritudinem & protegens, & provehens. Stephanus Papa jam ante Pipino retaliaturus Francorum Regibus Imperiales dignitates & titulos decreverat, eúmque populi Romani nomine *Patritium* dixerat. Carolus Filius post aliquot in Italiam expeditiones prosperè susceptas, Franciæ jam, Italiæ & Germaniæ Dominus, meruit, ut primùm *Patritius Romanus*, mox etiam à Leone tertio, authoritate non propria, sed populi Romani, uti diserte Sigebertus Gemblacensis, Marianus Scotus, aliique testantur (quicquid etiam hic Baronius aliique sedis Romanæ gnathones pertendant, immane dogma indè eruentes, Episcopi Romani jus esse, Imperia & Regna mutare & transferre) Imperator Romanus proclamaretur, coronaretúrque. Ubi Leonem suo populíque nomine non imperium Carolo, seu rem (nam Franciæ, Italiæ, Germaniæ jam tum dominio potitus erat) sed rei & imperii titulum duntaxat contulisse, nuper Joh. de Bussieres Jesuita *Hist. Franc lib.* 4. fatetur. Transegeratque jam Carolus cum Imperatoribus Orientis, ea lege, ut *Imperator* diceretur uterque; Carolus & posteri Occidentis: Orientis cæteri. Sicut autem gratia gratiam parere, & manus manum lavare solet: ita Carolus benefactis Paparum hoc timentum retulit, Pipini donatione non confirmata duntaxat, sed immodicè etiam aucta: universis ferè opibus, quas Hunnis eripuit, in Ecclesiæ ærarium illatis: Episcopis viciſſim pro modo liberalitatis, (uti quidem ipse Petrus de Marca *de Concordia Sacerd. & Imp. lib. VIII.* 19: 2. fatetur) de rigore antiquæ pœnitentiæ remittentibus: Ecclesiæ Romanæ ceremoniis plerisque in Franciæ Regnum introductis; &, quod Pontificæ dominationis Palladium est, Episcopis Metropolitanorum vel Comprovin-

cia-

cialium judicio non acquiescentibus appellatione ad Papæ judicium concessa. Neque Francos duntaxat Reges propitios adeò Pontifices experti sunt; sed Inam etiam, Regem Occidentalium Saxonum, cui tum Britannia parebat. Ejus enim indultu Britanniam universam Gregorio III. ita factam tributariam esse, ut ex singulis domibus quotannis singuli denarii (*Denarium S. Petri* insignire moris erat) S. Petro, seu Romanæ sedi, pensitari debuerint, Polydorus Vergilius testatur.

XLIX. Quibus tum gradibus mediisque Romanorum Pontificum, qui legitimi Domini, Orientalis Imperatoris & Exarchorum jugum iniquis prætextibus excutere religioni non duxerunt, Francorum Reges deposuerunt, Longobardos Francorum operâ Italia exegerunt, Francorum Regum indulgentia abusi turpiter sunt; authoritas & potestas in majus processerunt, Catalogus Testium veritatis *lib. VIII. pag.* 732. &c. Aphorismis plus quàm quinquaginta κατὰ λεπτὸν edisserit. Præterea religionis circa ea tempora prora & puppis in propagando Papæ suprematu, imaginum & sanctorum veneratione, cantionibus, Missarum solennibus, consecrationibus, oblationibus, orationibus apud statuas, imagines, reliquias, Festorum observantia, Templorum ornatu, cœlibatu Sacerdotum, votis Monachorum, aliisque oculiferiis meris constituta est. Sigillatim autem circa id tempus Missæ solitariæ seu privatæ, lex abstinendi à certis cibis, puta graculis, leporibus, fibris aliisque, injuncta pœnitentibus, uti ex Gregorio II. Epistolis & Zacharia ad Bonifacium liquet: novæ peregrinationes institutæ ad Ecclesias noviter constructas, qualis in Galliciam ad Jacobum Maiorem, hoc potissimum tempore repertum Compostellæ, Carolo M. Ecclesiam illam privilegiis dotante; juramentum Episcoporum, quo se erga Romanam sedem obstrinxerunt, præ-

Religionis prora & puppis quoniam in rebus consistat?

Novelli ritus in Ecclesia.

eunte Bonifacio in formula Tomis Conciliorum inserta; apices dignitatum in Ecclesia, quales sunt Abbatum, Episcoporum, Archiepiscoporum, diribitore Papa; ritus ἀποθεώσεως à Leone III. Divinos honores Guiberto, Verdensi Episcopo decernente; (quam primam Canonizationem se legisse Bellarminus *lib.* 1. *de Sanct. Beat.* fatetur) originem sumpserunt. Et hæc omnia Ecclesia Romana Ecclesiis aliis, Gallicis, Britannicis, Germanicis, Hispanicis, cumprimis iis, quæ ad Christum recens conversæ sunt, obtrudere primas inter curas, nihil non in hisce indulgente Carolo, habuit. Denique ignorantiæ tenebris ita immerso clero, ut in ordinando Episcopo non doctrina quæpiam exquisitior, & in Sacris Literis subactum judicium, sed peritia modò cantandi orationem Dominicam, Symbolum & Psalterium, Computum recitandi requisita fuerit, *nihil mirum* (ita Mezeræus Pontificius *Hist. Gallic. Tomo I. in Carolo M.* arguit) *crassam ignorantiam occupâsse plebes. Religio tota conversa erat in superstitiones.*

Crassa ignorantia Cleri.

Seculi unius Historia ex Pontificum ejusdem rebus liquet.

L. Cujusmodi seculo *nono* Ecclesiæ Romanæ facies fuerit, Pontificum illius seculi historia, & res iis sedentibus gestæ propalant. Fuerunt autem Pontifices ordine Stephanus V. Paschalis I. Eugenius II. Valentinus, Gregorius IV. Sergius II. Leo IV. Johannes VIII. Fœmina, Benedictus III. Nicolaus I. Hadrianus II. Stephanus VI. Formosus, Bonifacius VI. Stephanus VII. Ἀξιομνημόνευτα nonnulla commemorare haud pigebit.

Electio Stephani V. & Paschalis I. anomala.

LI. Stephanus V. *contra legem*, ita Aimonius *lib. IV. p.* 103. loquitur: *electus & ordinatus*, non exspectato scilicet Imperatoris jussu; errorem mox emendaturus, *omnem populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico jussit.* Ejus etiam sanctio *D.* 69. *C. quia sancta* 28. extat, *ut Pontifex convenientibus Episcopis & universo Clero eligatur, præsente Senatu & Populo; utque sic electus ab omnibus præsentibus Legatis*

gatis Imperialibus consecretur. Neque tamen ei sanctioni pondus fuit in electione successoris Paschalis I. qui inscio Imperatore Ludovico Pio Papa creatus, Cleri & populi impetu apud Cæsarem causatus est, monente Romanos Cæsare, *ne deinceps Majestatem læderent, & Majorum ut statuta in Pontifice creando servarent.*

LII. Eugenius II. A. DCCCXXIV. Papa electus est in schismate, cujus componendi gratia missus à Ludovico Lotharius filius, *qui*, Aventini *lib. IV. Annal.* verba sunt, *statum Reipub. quem superiorum Pontificum ambitio immodica, insatiabilis avaritia, versutiaq; improba conturbârat, componit, intercepta direptaq; fraude à Flaminibus antiquis possessionibus reddidit.* Superbiæ quinetiam Pontificum specimen præbuit Successor Eugenii Valentinus, cujus electi & ad Lateranense Patriarchium deducti pedes *omnis Romanorum Senatus* (ita Anastasius loquitur) *osculatus est.*

Eugenius II. in schismate eligitur.

Valentinus osculum pedum à Senatu Romano primus admittit.

LIII. Anno DCCCXXIV. Michael & Theophilus Orientis Imperatores ad Ludovicum & Lotharium Occidentis Imperatores Legatos miserunt, de imaginum controversia & Nicæna Synodo consilium expetituros, rogaturosque, ut interventu suo Lenationem ad Papam ejusdem negotii causâ destinatam favorabiliorem redderent. Sequenti igitur anno Ludovici jussu Parisiis Synodum celebrant Gallicani Præsules, unanimique sententia sic ad Ludovicum inde rescribunt: *Nicænam Synodum cùm Sanctæ memoriæ genitor vester coram se suisq; perlegi fecisset, & multis in locis, ut dignum erat, reprehendisset, & quædam capitula, quæ reprehensioni patebant, prænotasset, atque per Angilbertum Abbatem Adriano Papæ dixisset, ut ab illius judicio & authoritate corrigerentur. Ipse rursus favendo illis, qui ejus instinctu tam superstitiosa, tamque incongrua testimonia memorato operi inseruerant, per singula capitula in illorum excusationem respondere, quæ voluit, non tamen, quæ decuit, conatus est. Talia quippe quædam sunt, quæ in illo-*

Synodi Parisiensis ad Ludovicum Imp. de Nicæna II. Synodo rescriptum.

illorum objectionem opposuit, quæ, remota in Pontificali authoritate, & veritati & authoritati refragantur. Imperatores collecta à Theologis contra cultum imaginum testimonia veterum Patrum ad Romanum Pontificem Eugenium II. per Hieremiam Senonensem, & Jonem Aurelianensem Episcopum transmiserunt, addito mandato, *ut patienter ac modestè cum eo de hac causa disputarent, ne nimis resistendo eum in aliquam irrevocabilem pertinaciam incidere compellerent.* Papa ea de re parum solicitus, rogantibus Imperatoribus testimonium sibi ex Divina Scriptura, quo imaginum adoratio confiaret, ut proferretur, Legatos uno verbo ablegat; *arrogantes esse, qui talia sciscitarentur.* Adeò pertinaciter εἰκονοδουλείαν Pontifices propugnârunt, & rectiora sentientibus præfractè se opposuerunt.

Eugenii II. in iconolatria tuenda obstinatio.

LIV. Gregorium IV. A. DCCCXXVII. lectum Papam Ludovici Imp. Pii filiorum adversus Patrem pessima machinantium partes fovisse, ut Lotharium sibi devinciat, historiæ tradunt. Cumque in Galliam venire eum, ut Ludovicum Patrem excommunicaret, fama tulisset, qui à partibus Ludovici stabant Episcopi, ausi sunt asserere, *nullo modo se ejus voluntati velle succumbere, sed si excommunicaturus veniret, excommunicatus abiret, cùm aliter se habeat antiquorum canonum authoritas.* Ejus Successor Sergius II. *Os porci* dictus, Papa factus, fœdum nomen mutavit; ejusque exemplo deinceps alii. Idem neglecto Imperatoris Lotharii consensu, sedem occupavit; & post ipsum etiam Leo IV. quo defuncto Johannes, seu potiùs Johanna Octava, Fœmina virilem sexum mentita A. DCCCLIV. Papalem thronum conscendit. Quod fabulis licet hodie gnathones Pontificum aliique deputent: Anastasius tamen Bibliothecarius coætaneus in Codice MS. Lutetiæ conservato, nec non iis Codicibus, qui ex Heidelbergensi Bibliotheca Moguntiam transmissi sunt Jesuitis, Anastasii edi-

Gregorius IV. Ludovici filios adversus Patrem fovet, & anathema comminatus, ab Episcopis Galliæ spernitur.

Sergius II. Os porci, electus Papa, primus nomen mutat. Idem & post ipsum Leo IV. sedem, neglecto Imp. consensu, occupant.

Johannes VIII. fœmina.

editoribus, crimen falsi, à Doctissimo Marquardo Frehero publicè iis impactum admittentibus (uti ex historia hujus seculi à Celeb. Böklero edita liquet) disertè affirmat. Affirmat etiam Radulphus Flaviacensis in Polychronico, & post cum innumeri Pontificii Reformationis temporibus antiquiores, ut, si fabulis accensere pro lubitu illi voluerint, saltem mendacium ex Papatu, in quo ante Reformationem plurimi testes rem liquidò affirmárunt, originem trahere ne ignorent.

LV. Anno DCCCLVIII. Nicolaus I. Paparum superbissimus, ad potentiam augendam per fas & nefas incitatus, Papatum iniit. Extat *Dist. 96. Satis evidenter*, ejus vox decretoria: *Satis evidenter ostenditur, à seculari potestate, nec solvi prorsus, nec ligari Pontificem, quem constat à pio Principe Constantino Deum appellatum, cùm nec posse Deum ab hominibus judicari, manifestum sit.* Ubi si utrobique Dei nomen idem significat, verum & æternum Deum blasphemè Papam profitetur: si diversum, manifestus paralogismus committitur. In Lotharium Galliæ Regem anathema vibravit primus omnium id ausus in Reges Galliæ. Epistola ad Michaelem Imperatorem Constantinopolitanum, Majestatis Papalis plena, ab Episcopatu remotum Ignatium, eique substitutum Photium, se inconsulto graviter conqueritur. Eidem excommunicationem, ni Calabritanum Siculumque patrimonium Ecclesiæ suæ debitum restituerit, comminatus. Magnanimo pectore Regibus & Tyrannis cum imperasse, eisque, ac si orbis terrarum dominus esset, authoritate sua præfuisse, Regino scribit. Sed & Ravennatensem Ecclesiam, quæ diu se primatui suo opposuit, unà cum Johanne Archiepiscopo, qui se Majestatis Pontificiæ læsæ reum fateri debuit, sibi Sediqué suæ subjicit. Quin & diris multis Sacerdotes conjugatos incessit, ob quas eum Huldricus Augustanus Episcopus graviter re-

Nicolai I. judicari se à seculari potestate, eò quòd Papa à Constantino Deus vocatus fuerit vetantis. Lotharium excommunicat: cum Michaele Imp. Constant. ob Photium Ignatio substitutum expostulantis & anathema eidem intentantis: Ravennatensem Ecclesiam opprimentis: Sacerdotes conjugatos persequentis insolentis.

prehendit. Denique extant ejusdem Epistolæ Decretales à Gratiano collectæ, quibus Majestatem Pontificiam mirè is statuminatum ivit.

Historia controversiæ de Prædestinatione Godeschalcum inter & Rabanum Maurum ac Erigenam Scotum agitatæ, ex qua declinatio orthodoxæ de gratia & Prædestinatione doctrinæ colligitur.

LVI. Nicolai ejusdem ætate in Gallia de Prædestinatione & Libero arbitrio vehementer agitata controversia est. Godeschalcus in Ecclesiæ Rhemensis Monasterio Monachus, non omnes ad vitam æternam, sed quosdam ad exitium prædestinatos, neque Christum pro omnibus mortuum esse, palàm docuerat. De sententia sua scriptum etiam libellum Synodo Moguntinæ jussu Ludovici Imper. A.DCCCXLVIII. exhibuit. Qua occasione sententia ea, quam antehac ipse S. Augustinus adversus Pelagianos propugnavit, à Rabano Mauro Archiepiscopo Moguntino, & Haimone Halberstadiensi, cæterisque Germaniæ Episcopis condemnari cœpit. Insuper iidem cum literis Synodalibus Godeschalcum ad Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum miserunt. Eò cùm venit, sententiam suam constanter asseruit: proin à Rhemensis Ecclesiæ & Galliæ Belgicæ Episcopis denuo damnatus, & cùm se iis irreverentiùs opposuisset, virgis cæsus, cœnobiique carceri mancipatus est. Interea adversus eundem præter alios Johannes Erigena Scotus librum novendecim capitulorum scripsit; refutatus mox à Remigio Lugdunensi Archiepiscopo, Godeschalci causam adversum Erigenam, aliosque suscipiente: Lugdunensis etiam, ut & Arelatensis ac Viennensis Ecclesiæ Episcopis in Synodo Valentina A.DCCCLV. Canones aliquot sancientibus, quibus, quid in Godeschalco, quid item in adversariis ejus desiderent, probentve, exponunt, simulque quatuor capitula ab Hincmaro Godeschalco opposita, & librum ab Erigena Scoto scriptum condemnant. Demum Hincmarus A. DCCCLIX. libro integro hac de materia scripto Valentinam Synodum oppugnat: Scriptumque suum Regi Carolo Calvo

Calvo exhibet, qui litem sopivisse videtur. Eam historiam doctissimus Usserius singulari libro *de Godeschalco* edito edisserit, & paucis etiam Forbesius *Instruct. lib. VIII.* 3. 4. nec non G. J. Vossius *de Histor. Pelag. lib. VII. pag.* 4. constringunt. Ex eo declinatio doctrinæ orthodoxæ de Gratia, Prædestinatione & morte Christi constare potest.

LVII. Nicolai successor Hadrianus II. Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo in mandatis dedit, ut Regem suum Carolum Calvum communione privaret, nî in Regno fratris sui Lotharii filio ejus Ludovico cederet. Cui Conventus Rhemensis nomine acriter admodum Hincmarus respondet, inter alia objiciens: *Regna seculi hujus bellis quæri, victoriis propagari, non Apostolicè, vel Episcoporum excommunicationibus obtineri: & Scripturam dicere, quia Domini est Regnum, per quem Reges regnant, & cui voluerit dare illud, ministerio Angelorum & hominum, &c. Antecessores ejus ordinem Ecclesiasticum, non Rempublicam, quæ Regum curæ sit, disposuisse: jugum Pontificis Francos portare non posse*, & quæ σηλιτόδικα plura in Epistola, à Bochello Decretis Ecclesiæ Gallicanæ *lib. 2. pag.* 37. inserta occurrunt. In literis verò ad ipsum Regem ejusdem Hadriani ὑπόμνημα hæc legere est: *Volumus & authoritate Apostolica jubemus, Hincmarum Laudunensem Episcopum, vestra fretum potentia, ad limina Sanctorum, nostramque venire clementiam.* Non parùm insolentia hæc Regem offendit, questus, *Seculi umbrosum typhum in Ecclesiam sic induci*; & inter alia sic Pontifici rescribens: *Nobis scribere non piget, sed exigente causa necessarium est; quia Reges Francorum, ex Regio genere nati, non Episcoporum Vice-Domini, sed terræ Domini hactenus fuimus computati. Et, ut Leo ac Romana Synodus scripsit, Reges & Imperatores, quos terris Divina potentia præcipit præesse, jus distinguendorum negotiorum Episcopis sanctis, juxta Divalia constituta permiserunt, non autem Episcoporum villici extiterunt. Quis igitur hanc inversam legè in-*

Hadriani II. molimina adversus Carolum Calvum, ab Hincmaro & ipso Rege fortiter repressa.

fernus evomuit? Quis tartarus de suis abditis & tenebricosis cuniculis eructavit?

Historia Synodi Octavæ Oecumenicæ, in qua Photio ob reprehensum Basilium Imp. parricidam depositio, Ignatius substituitur.

LVIII. Sedem Hadriano Pontifice Basilius Orientis Imperator, qui Michaele Imperii consorte nefariè cæso summam rei ad se contraxit, à Photio Patriarcha ob id facinus à sacræ Synaxeos communione repulsus, ulturus ignominiam istam, Synodum Generalem convocaturus, facilè assensum Papæ, discordiam illam in potestatis suæ incrementum versuri, & non obscurè Bonifacii III. Phocam parricidam laudantis exemplo, Basilio parricidæ supparasitantis, impetrat. Impetrat ab eodem Imperatore τὰ ἀμοιβαῖα Hadrianus, ut videlicet sibi in Synodo tali ληξικῇ A. DCCCLXIX. habita præsidere per Legatos, quos inter Anastasius Bibliothecarius principem locum obtinuit, integrum esset quod in nulla Synodo Oecumenica antehac factum. In ea Synodo Photio ob reprehensum Basilium parricidam depositio, restitutus est Ignatius. Libellum legatis suis tradiderat Hadrianus, à Nicolao I. ante confectum, quo quid de Primatu Papæ & adoratione imaginum tenendum in primis sit, continebatur, lege etiam præscripta, ne quisquam in Synodum eam cooptaretur, nî priùs signaculo suo ad eam fidem se devinxisset, quod religiosè adeò observatum, ut quotquot dicto audientes non essent, à Synodo excluderentur. Unde dominari & pervincere, adeóque omnia pro nutu gerere, & in Oriente etiam res suas strenuè promovere, lenocinante insigni parricida, facile licuit. Sed Synodum eam, quòd aperta vi omnia illic gesta, & per eam Ecclesia Constantinopolitana in Romanam potestatem redacta, & Symbolo etiam Nicæno-Constantinopolitano addita sit vox *Filióque*; vel pro legitima, vel pro Oecumenica Octava neutiquam Græci recipiunt: & contra eam Marcus Ephesinus in Concilio Florentino disertè protestatus est, de quo

Parricidæ partes Hadriano fovēte. Incujus gratiam in eadem Primatus Papæ & imaginum cultus confirmatus est.

doctissi-

doctissimus Beveregius, *Annot. in Synod. Constant. primam & secundam, p.* 170. plusçula dixit.

LIX. Hadriani II. Successor Johannes IX. intra decennium tres Imperatores, Carolum Calvum, (Ludovico Ludovici Pii filio & natu majore, & moratiore politicas ob rationes posthabito) Ludovicum Balbum, & Carolum Crassum ad se Romam invitatos Augustos pronunciat, consecrátque. *Hinc*, inquit Sigonius, *titulus Imperatoris Augusti posthac sincerum Pontificis beneficium esse, annique Imperii à consecratione Pontificia repeti cœpti.* Non exiguum etiam inde ad Pontificem lucrum rediit. Carolus enim Calvus ei Ducatum Spoletanum, Aricium & Clusium civitates Beneventi; Samnium, Calabriam, aliaque donavit. Sed & Ludovicum, qui ab Adalgiso Beneventi captus juramento multa ei, prius quàm liberaretur, promisit, juramenti religione, authoritate Dei & Sancti Petri exsolvit. Quod ante eum nemo, post eum plures tentârunt.

Johannes IX. ties Augustos pronunciat. Unde posthac titulus Imperatoris Papæ beneficium esse cœpit.

LX. Mortuo Johanni, & post hunc etiam Martino II. malis artibus ad fastigium hoc enixo, *à cujus tempore*, ita Sigonius *de Regno Italiæ lib. V. pag.* 137. loquitur, *Romana Ecclesia gravissimè laboravit, & paulatim vetus Ecclesiæ disciplina est lapsa*; successit A. DCCCLXXXIV. Hadrianus III. Is decreta duo Sedi Romanæ perquam favorabilia, uti sperabat, futura cudit. Prius, ne in creando Pontifice Imperatoris exspectaretur authoritas. Ita *aussos esse Pontifices suos contemnere* meritò Cranzius 5. *Metrop. n.* 4. *p.* 1. queritur. Posterius, *ut moriente Rege Crasso sine filiis, Regnum Italiæ Principibus unà cum titulo Imperii traderetur.* Utrumque Sigonius *loc. cit.* memorat, & prius quidem infra *lib. VI. pag.* 144. à Johanne IX. (x) statuente, *ne Pontifices designatos nisi in conspectu Legatorum Regiorum, jus esset consecrari*, abrogatum, testatur idem, *ad vitanda*, inquit, *quæ in Comitiis oriebantur, cum maxima Ecclesiæ offensione, dissidia.* Posterius verò secutos Italicos

Hadriani III. decreta, ne in creando Pontifice Imperatoris authoritas expectetur, utque post mortem Imp. Crassi Regnum Italicis Principibus cum titulo Imperii tribuatur.

Reges *inteſtinis populorum diſcordiis perturbâſſe, ac ſe ipſos prorſus unà cum Eccleſia perdidiſſe, ea tempora in Rempublicam inferentes, quibus nulla alia tetriora fuiſſe, vel principum nequitia, vel populorum inſania in tota antiquitate reperiuntur*: idem initio libri quinti commemorat.

Stephani VI. Sanctio, ut leges Eccleſiæ Rom. ſint irrefragabiles.

LXI. Quò Sanctitatis, doctrinæ, Virtutis in Pontificibus horum temporum minus, hoc audaciæ plus in iis extitit. Nihil iis prius, antiquius nihil, quàm ſtabilire Hierarchiam. Stephanus VI. Hadriani III. ſucceſſor ejuſmodi decretum eò pertinens, quod apud Gratianum *D. 19. C. enim vero* extat, ſanxit: *Quicquid Eccleſia Romana ſtatuit, quicquid ordinat, perpetuò quidem & irrefragabiliter obſervandum eſt.* Eum qui excepit Formoſus, qui ante Epiſcopatum Romanum nunquam ſe affectaturum juraverat, cùm à rivalis Sergii factione exagitaretur nimiùm, Arnulphum, Carlomanni filium in Italiam evocatum, Romamque armata manu ingreſſum, Imperatorem pronuntiavit, unxit, coronavit. Cumque poſt ejus & Bonifacii VI. mortem Sergiana factio caput exereret, eò deventum,

Stephani VII. adverſus cadaver Formoſi horrendi ſevitia; vindicantibus mox Formoſum ſucceſſoribus.

ut Stephanus VII. A. DCCCXCVII. Papa creatus, furore nefario percitus, Formoſi Pontificis cadaver ex Sepulchro refoſſum, præſente Synodo, in ſede Pontificatus Romani, Sacerdotalibus indumentis exornatum, collocari, atque ſic Formoſum tanquam *impium, doctrinarumque Sanctarum inſcium* (ita miſerum cadaver compellabat) ejuſque Acta condemnari, moxque exutum veſtimentis, digitiſque tribus, quibus benedicere moris erat, abſciſſis, in Tiberim jactari, curaverit. Hiſtoriam horrendam Luitprandus, Ticinenſis Eccleſiæ Diaconus, qui tum vixerat, *lib. 1. cap. 8.* Sigonius lib. VI. & alii, inprimis Auxilius in Dialogo *contra inteſtinam Eccleſiæ Romanæ diſcordiam*, cujus Sigebertus *lib. de Eccl. Scriptoribus*, à Miræo edito, narrant.

rant. Baronius nefas id extenuans *ad* A. DCCCXCVII. *art.* 2. *ait*, *non fuisse errorem in fide, sed violentam tyrannidem in facto.* Neque tamen vel horribile isthoc factum ex fide processisse, vel veritatis infallibilis Spiritum in ejusmodi raptoribus & latronibus habitâsse, persuaderi sanus quispiam poterit. Proin etiam Stephani hujus tyrannidem detestatos Successores ejus, Romanum, Theodorum, Johannem X. Ravennatem, alios, constat; utpote qui Formoso Papalis dignitatis formam restituerunt, ordinatos ab illo approbârunt, quin & Acta Stephani combusserunt. Ita gravissimo totius Christianismi scandalo Romanos Pontifices, velut *ebrios*, *furiosos* jactatos esse, Cranzius *Saxon. lib.* 2. queritur. Et Stephanus ipse dignam piaculari scelere pœnam luens, è throno dejectus, in carcere laqueo gulam fregit.

LXII. Baronius tamen de his temporibus loquens, inhorrescit totus. Ad A.DCCCXCVII. *n.* 4. infelicissima & luctuosissima Romanæ Ecclesiæ tempora fuisse, *quibus ipsam contigit domestico bello exagitari, atque persecutione vexari, ita ut nullam unquam sive à Gentilibus, sive ab Hæreticis, sive à Schismaticis, diuturniorem atque molestiorem persecutionem passa sit illa, quam pertulit ab Adelbertis Thusciæ Marchionibus*, queritur. Imputat nempe mala isthæc Adelbertis Thuscis Principibus, per quos sive pecuniis, sive armis, populo Cleroque Romano dominantes, *intrusi in cathedram Petri, solium Christi, sint homines monstrosi, vita turpissimi, usquequaque fœdissimi. Tum*, inquit, *Domina gentium* (Ecclesia Romana) *vestimentis exuta gloriæ atque lætitiæ mœrens, dolens & lugens sedit in tristitia.* Sed nec alii omnes sanctiores Pontifices dederunt, & per ambitum malasque artes plures alii solium isthoc jam pridem invaserunt. Et labat mirè jactata illa Successio Pontificum, cùm familias à monstris proleminari, nemo unquam viderit.

Baronii de infelicitate illorum temporum & monstris Sedis Rom. ab Adelbertis Thuscis impositis querela.

Successionis Papalis turbatio.

LXIII.

Historia certaminis Sacramentarii inter Paschasium Ratbertum, & Rabanum Maurum, ac Bertramum, agitati.

LXIII. Incidit in Seculum ist hoc *nonum* certamen Sacramentarium, quod originem erroris de Cœna Domini, & corporali in ea præsentia propalat. Definiverat jam ante Synodus Generalis septima, *unicam esse imaginem à Christo institutam, panem & vinum in Eucharistia.* Exortus verò hoc seculo Paschasius Ratbertus, Corbejensis in Diœcesi Ambianensi Monachus, libellum *de Sacramento Eucharistiæ*, seu *de Corpore & sanguine Domini* edidit, eoque corporalem præsentiam primus omnium asseruit. Novello errori statim se oppossuerunt viri doctissimi, Rabanus Maurus, Bertramus, Corbejensis quoque Monachus, vulgò Ratramnus dictus, Scotus Erigena, alii. Et Rabani quidem Mauri, cui *nec Italiam similem, nec Germaniam peperisse æqualem* Trithemius affirmat; *de instit. Cleric. lib.* 1. *cap.* 31. luculenta de Cœna Domini confessio ejusmodi fuit: *Maluit Dominus Corporis & sanguinis sui Sacramenta fidelium ore percipi, & in partem* (alii *pastum*) *eorum redigi, ut per visibile opus invisibilis ostenderetur effectus. Sicut enim cibus materialis forinsecus nutrit corpus, & vegetat; ita etiam Verbum Dei intus animam nutrit & roborat.* Quam ob causam ab authoribus Pontificiis, Guilhelmo Malmesburiensi quarto, & Thoma Waldensi sexto post Seculo in *Stellarum erraticarum* relatus numerum est. Ratramnus verò, seu Bertramus libello *de Corpore & sanguine Domini* scripto, & Carolo Calvo inscripto, eidem Carolo quærenti, *an ipsum corpus, quod de Maria natum, passum, mortuum & sepultum est, quodque ad dextram Patris consideat, sit, quod ore fidelium per Sacramentorum mysterium quotidie in Ecclesia percipitur?* respondit: *discrimen esse tantum, quantum est inter pignus & eam rem, pro qua pignus traditur: quantum inter imaginem & rem, cujus est imago; & quantum inter speciem & veritatem.* Denique eandem adversus subnascentem corporalis præsentiæ errorem tutatus est Johannes Scotus Erigena tractatu de Eucharistia edito, & Anno de-

demum ML. in Synodo Vercellensi, sub Leone IX. damnato. Taceo Scriptores hujus Seculi haud minùs celebres, Walafridum Strabonem, Christianum Druthmarum, Heribaldum Altissiodorensem, alios, quibus ob impugnatum corporalis præsentiæ errorem à Paschasii asseclis per insignem Contumeliam *Stercoranistarum* nomen fœdum impositum est, eò scilicet, quòd assererent, ea quæ ore corporis assumuntur, Symbola secessui obnoxia esse.

LXIV. Potestatem verò Pontificis tum temporalem, tum Spiritualem dici nequit, quantum commenta callidissima circa hæc potissimùm tempora miseræ hominum credulitati propinata promoverint firmaverintque. Et ad *temporale* quidem imperium statuendum plurimum contulerunt, ex quæstuosissima falsorum chirographorum officina petitæ Donationes, Constantini puta Magni, Ludovici Pii, & Ottonis M. Donationis *Constantinianæ*, quam pro idoneo documento allegârunt Pontifices Leo IX. Nicolaus III. aliique & in Jus Canonicum Gratianus, Yvo, Anshelmus, Deusdedit, ipseque etiam Gregorius XIII. retulerunt; putidissimum commentum per Johannem quemdam Diaconum, cognomento *Digitorum*, uti quidem ipsum Diploma Ottonis tertii, quod etiamnum Assisii inter cimelia & Archiva Paparum asservatur, & à Marquardo Frehero editum ac notis illustratum est, testatur, nefariè suppositum, orbi persuadere sustinuit, Constantinum M. Imperatorem non solùm Romanam urbem sed etiam omnes Italiæ, seu Occidentalium Regionum Provincias, loca & civitates, Romano Pontifici Silvestro ac ejus Successoribus perpetuo dono tradidisse. Ludovici quoque Pii prodigiosa donatio Paschali, & Sedi Romanæ A. DCCCXVII. facta, ferebatur, qua scilicet, Volaterrano, Sigonio, Baronio aliisque narrantibus, Romanus Ducatus, Ravennæ Exarchatus, & pleraque omnis Italia in

Potestatem Pontificis temporalem circa ea tempora multum fictæ donationes Constantini M. Ludovici Pii & Ottonis M. promoverunt.

Sedis illius potestatem concesserit: Simulque Ludovicus Pontificum electioni, quam Leonis III. & Stephani V. Canones Imperatori vindicaverunt, absolutè renuntiaverit. Accessit sequente Seculo non minùs ampla Donatio, quam ad A.D CCCCLXII. Baronius affert Ottonis M. nomine, qua ille Johanni XII. & Romanæ Sedi donat *civitatem Romanam cum Ducatu suo, suburbanis suis, atque viculis omnibus & territoriis ejus montanis & maritimis, littoribus & portubus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis ac viculis, Thusciæ partibus, id est, Portum, Centum cellas, Cerem, Bledam, Maturianum, Sutrium, Nepem, Castellum, Gallisem, Ortem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Perusiam cum tribus insulis suis &c. nec non Exarchatum Ravennatem, Pentapolim, territorium Sabinense, Almum cum Insula Corsica, Ducatum Spoletinum; Patrimonium Neapolitanum, &c.* Quando nempe verecundiæ fines semel transire statutum erat, bene & graviter impudentes esse oportebat. *Multum* certè *grani paleæ illæ Ecclesiæ attulerunt* uti vetus de Constantini *Palea* illa proverbium sonat. Omnesque curiosos Canonistas *magnum semper de hoc* (Constantini) *diplomate fecisse festum*, Paulus Langius in Chronico ad A. MCCCCIV. ait. Sed critico Donationes illæ virorum Doctorum Freheri, Goldasti, Mornæi, Vœtii, Usserii, Conringii, aliorum veru confossæ, pridem *vodoiæ* suæ notas & fraudis simplicioribus à Papæ ciniflonibus enormiter nimis factæ, indicia plurima prodiderunt. Ad *Spiritualem* verò Principatum confirmandum, veterum Romanorum Episcoporum nomine prodierunt ore & calamo plus quàm ferreo confictæ Decretales Epistolæ supra §. *IX.X.* memoratæ, quas ex Hispania tempore Caroli M. Riculfum, Archiepiscopum Moguntinum in Gallias primùm attulisse, Hincmarus Rhemensis in libro contra Hincmarum Laudunensem scripto, testatur. Quas quidem Epistolas unà cum Pseudo-Constantini Donatio-

Donationum Papalium vodoiæ prodantur.

Spiritualem eorundem potestatem firmârunt Epistolæ Decretales primis Pontificibus eodem tempore per fraudem suppositæ.

ne,

ne, atque aliis etiam Decretis Ecclesiasticis in unum volumen compactas Isidorus non Hispalensis ille, sed cognomento *Mercator*, planus post homines natos nequissimus & improbissimus, qui posteris tamen

Ignaris scelerum tantorum, artisque Pelasgæ,

feliciter sic imposuit, venditare non dubitavit. Quo in genere an quidquam unquam prodierit simile, quod plus ad causæ Pontificiæ firmamentum momenti attulerit, haud scire se Doctiss. Usserius profitetur meritò.

LXV. *Decimum* Seculum ejusmodi fuit, ut eo nullum *indoctius aut infelicius* extitisse Bellarminus *de Pontif. Rom. lib. IV.* 12. fateatur. Baronius etiam *ad A.* DCCCC. §. 1. ejus explicationem sic orditur: *En incipit annus Redemptionis nongentesimus, Indictione tertia notatus, quo & novum incipit Seculum, quod sui asperitate, & boni sterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia Scriptorum appellari consuevit obscurum. In cujus limine constituti, antequam progrediamur ulteriùs, hic Lectorem monendo, præfari aliquid necessarium duximus, ne quid scandali pusillus animo patiatur, si quando videre contigerit abominationē desolationis in Templo, sed magis miretur, & cognoscat in ejus custodia Divinam invigilare potentiam, cùm non, ut olim, tantam abominationem secuta mox fuerit desolatio Templi, intelligatq́, solidioribus illo niti hoc fundamentis, promissionibus Christi, &c.* Sed fortè non parùm opinio Baronium fefellit, cùm abominationem illam spiritualis Templi desolatio & ἄλωσις, captivitas Babylonica magis magisque insecuta fuerit, & nondum sera vespera venerit.

De sæculi decimi miseranda facie querela Bellarmini & Baronii.

LXVI. Sic porro luridam Ecclesiæ Romanæ hoc Seculo faciem idem ad A. DCCCCXII. §. 8. Baronius depingit: *Quæ tum facies sanctæ Ecclesiæ Romanæ? Quàm fœdissima, cùm Romæ dominarentur potentissimæ æquè ac fœdissimæ meretrices.* (Theodora, Marozia) *quarum arbitrio mutarentur Sedes, darentur Episcopi, & (quod horrendum auditu & infandum est) intruderen-*

Romæ tunc fœdissimæ meretrices imperitârunt.

derentur in Sedem Petri earum amasii, Pseudo-Pontifices &c. Sic vendicaverat omnia sibi libido, seculari potentia freta, insaniens, æstro percita dominandi. Dormiebat tunc planè alto sopore Christus in navi, cùm hisce flantibus validis ventis navis ipsa fluctibus operiretur, &c. Et quod deterius erat, deerant, qui Dominum sic dormientem clamoribus excitarent, discipuli, stertentibus omnibus. Quales-nam reris delectos ab his monstris Presbyteros & Diaconos Cardinales putandum: cùm nihil tam natura sit insitum, quàm unumquemque sibi similem generare? &c. Platinæ, Sabellici, aliorum querelis ad compendium positis, paucis multa, sub finem hujus seculi, Epistola ad Stephanum Ecclesiæ Romanæ Diaconum scripta, Gerbertus dixit: *Romanorum mores mundus perhorrescit.* Et Genebrardus *Chronogr. lib. IV.* his coloribus seculum isthoc depingit: *Infelix dicitur hoc Seculum, exhaustum hominibus ingenio & doctrina claris, sive etiam claris Principibus & Pontificibus, in quo nihil ferè dignum memoria posteritatis gestum sit. Unde ferunt, tunc repertum fuisse quoddam monstrum capite Leonino, & cæteris membris humanis, quod statum illius temporis mirificè referret. Hoc verò uno infelix, quod per annos 150. Pontifices circiter 50. à virtute majorũ prorsus defecerunt, Apotactici, Apostatici vè potiùs, quàm Apostolici.*

Gerberti & Genebrardi de eodem seculo querimonia.

Infelicitatis illius causa nunquid penes Imperatores Germanos hæserit?

LXVII. Infelicitatis tantæ illius Seculi causam idem Genebrardus nequissimè fingit hæsisse penes Imperatores Germanicos, *sub quibus*, inquit ille, *captiva & gemens fuit Ecclesia usque ad Henricum IV. in ordinem redactum.* Dolet scilicet Papæ gnathonibus nimiùm, quòd eo seculo Otto I. alias Magnus, remoto Johanne XIII. (aliis XII.) scelerum plurium, incestûs cumprimis & necromantiæ convicto, surrogavit Leonem VIII. sub quo restitutum Imperatoribus est jus eligendi Pontifices, & investiendi Episcopos, Clerumque omnem: quodque Otto III. nepos depositò, & de monte Tarpejo præcipitato Johanne Placentino, Gregorium V. ante à se electum & factione

Cre-

Crescentii deturbatum restituit, & si quæ alia illi Pontificiæ potestati minùs propitia gesserunt. De cæt. *Sanctitatem Papam dimisisse & ad Imperatores hoc tempore accessisse*, Wernerus, Monachus Carthusianus *Fascic. Temp. ætat. 6. art. 744.* disertè queritur.

LXVIII. Et Pontifices quidem cauteriatum ist hoc seculum triginta passum est, de quibus vetus illud adagium : *Sardi venales, alius alio nequior* ; usurpaveris meritò. Gerbertus Archiepiscopus Rhemensis, qui post ad Papale culmen evectus Silvester II. cognominatus est, coram Synodo Rhemensi adversus seculi sui Pontifices multa inclementer satis dixit; quæ *ad A.* C.M X C. Baronius ipse non dissimulat. Inter alia Antichristi nota sic illos aspergit : *Quid hunc, Reverendi Patres, in sublimi solio residentem, veste purpurea & auro radiantem, quid hunc, inquam, esse censetis? Nimirum si charitate destituitur, sola scientia inflatur, & extollitur, Antichristus est in Templo Dei sedens, & se ostendens tanquam sit Deus. Si autem nec charitate fundatur, nec scientia erigitur, in Templo Dei tanquam statua, tanquam idolum est, à quo responsa petere, marmora consulere est.* In eadem Oratione sic ἐπιλαμβάνει *O Lugenda Roma! quæ nostris majoribus clara Patrum lumina præbuisti, nostris temporibus monstruosas tenebras, futuro seculo famosas offudisti!* &c. *Quid sub hæc tempora non vidimus? Vidimus Johannem, cognomento Octavianum, in volutabro libidinum etiam contra eum Ottonem, quem Augustum creaverat, conjurâsse. Quo fugato, Leo Neophytus in Pontificem creatur. Sed Ottone Cæsare Roma discedente, Octavianus Romam redit, Leonem fugat, Johannem Diaconum naso dextrisq; digitis ac lingua mutilat, multaq; cæde primorum in urbe debacchatus brevi moritur. Cui Benedictum Grammaticum, cognomento Diaconum Romani substituunt. Eum quoq; Leo Neophytus cum suo Cæsare non longè post aggreditur, obsidet, capit, deponit, perpetuoq; exilio in Germaniam dirigit, succedit Ottoni Cæsari Cæsar Otto. Succedit*

Seculi illius Pontifices à Gerberto ;

cedit Romæ in Pontificatu horrendum monstrum, Malefacius (Bonifacium sic appellat) *cunctos mortales nequitia superans, etiam prioris Pontificis sanguine cruentus. Sed hic etiam fugatus & in magna Synodo damnatus est. Talibus monstris hominum ignominiis plenis scientia humanarum & Divinarum rerum vacuis innumeros Sacerdotes Dei per Orbem terrarum scientiæ & vitæ merito conspicuos subjici decretum est?*

Nec non Platina, Stellæ, Baronio, Genebrardo graphicè depicti. Exempla nonnullorum producuntur.

LXIX. Quid verò multis? Platinam, Baronium, Genebrardum, Johannem Stellam consulentibus occurrent ea ætate frequentes *fures, invasores, Magi, prodigiosi, Simoniaci, tyranni, facinorosissimi, monstra & portenta, perjuri, grassatores, ἀσπονδοι, sacrilegi in manes defunctorum, Divini humanique juxta juris violatores, scelestissimi.* Romanus, Theodorus II. Johannes IX. Christophorus, Sergius III. Formosis actis vel rescindendis, vel vindicandis insudant. Sergius etiam Marozia adulteræ suæ, ex qua Johannem XI. sustulit, artibus Papatum invadit. Johannes X. alterius Glycerii Theodoræ Marozia matris artibus Papa creatur, & harâ quàm arâ dignior, ab altero scorto Marozia cervicali in os conjecto, necatur. Johannes XI. Patre Sergio & matre Marozia natus ille est, de cujus tempore Baronius exclamavit: *Quæ tum facies Ecclesiæ Romanæ?* Johannes XII. puer annorum duodecim Papa eligitur, sceleratissimus omnium, in adulterio deprehensus ab adulteræ marito confossus, & *à Diabolo*, Luitprando teste, *verberibus percussus interiit.* Leo VIII. Laicus adhuc Papatum invadit. Bonifacius XII. Benedicto VI. vi priùs deturbato, & in carcere strangulato, Papatum rapit, bestia veriùs, quàm homo, *Malifacius* à Gerberto dictus. Johannes XV. Divina & humana omnia cognatis & affinibus suis erogavit, Nepotismi studiis prælucens posteris. Silvester II. seu Mathematicus, seu Necromanta (quod posterius plerique affirmant) statuæ caput ex cer-

to

to siderum cursu conflatum, sibi Oraculum, ex quo fata expiscaretur, constituit. Johannes XVII. *fur, latro & proditor* Stellæ cluet. En Romæ ea ætate Archiflamines & Antistites!

LXX. Cleri igitur totius, quæ tum conditio etiam fuerit, monstris ejusmodi clavum tenentibus, divinare licet. Edgarus Rex Angliæ ad Episcopos Anglicanos habita Oratione disertissima, quæ ab Alredo Abbate Rhievallense literis consignata extat, sic ejus mores depingit: *Dicam, dicam, quod boni lugent, mali rident. Dicam dolens, si tamen dici potest, quomodo diffluant in comessationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis, ut jam domus Clericorum putentur prostibula meretricum, conciliabulum histrionum. Ibi aleæ, ibi saltus & cantus; ibi usque ad medium noctis protractæ cum clamore & horrore vigiliæ. Sic, sic patrimonia Regum, eleemosynas Principum, imò quòd magis est, illius pretiosi sanguinis pretium profligatis.* Ab eadem etiam Pontificum inertia factum est, ut passim *Monachi in Sacerdotum collegia venerint, & mox velut jure suo ubique gentium opes immodicas sibi parere inciperent*, uti Polydorus Virgilius *lib. VI. Histor. Angl.* notat. Et quid multis? *Accidit illi ætati*, inquit, in vita Benedicti IV. Johannes Stella, *quod omnis virtus, tam in capite, quàm in membris ex hominum ignavia consumpta fuerit.*

Cleri totius corruptio immanis.

LXXI. Sed forte hoc uno nomine haud planè infelix hoc seculum dixeris, quod novas hæreses protrusit nullas. Equidem Gabriel Prateolus in suo successionis hæreticorum catalogo notat, seculo nono & decimo *Hæreticorum interregnum factum esse.* Scilicet fugerunt Hæretici, atque in Prælatos & Monachos Pontificios sese abdiderunt. *Par enim erat*, ut magnus Usserius *de Eccl. Success. cap.* 2. loquitur, *ut hæretici, qui tanquam devoti milites Antichristi copias sunt antegressi, summo Imperatore cum stativis castris proximè accedente, retrahere sese, omnesq; minutiores atque angustiores hæreses*

Novas hæreses seculum istud nullas protulit, quia in Prælatos & Monachos hæretici fugerunt omnes.

Apo-

Apostasiæ, cui hactenus viam parârant omnia longè lateq; jam occupaturæ concederent.

Ecclesiæ circa annum millesimum status ex Wernero, Glabro Radulpho repræsentatur.

LXXI. De Ecclesiæ circa annum millesimum statu sic Wernerus in fasciculo Temporum : *Tempus effœminatum incipit circa annum Domini* 1000, *in quo fides Christiana valde cœpit deficere & declinare à pristina virilitate; uti patet in prophetia Sanctæ Hildegardis, & in multis regionibus Christianitatis. Nec sacramenta, nec Ecclesiastici ritus servabantur: Erántque auguriis & maleficiis intendentes. Et erat Sacerdos sicut populus.* Neque aliter Glaber Radulphus, ejus temporis scriptor, qui *lib.* II. 6. queritur, circa annum millesimum plus solito *friguisse charitatem, ac superabundasse iniquitatem, ut ille antiquum Leviathan fiduciam conceperit, quòd inundatio Jordanis fluvios illaberetur illius; ut videlicet baptizatorum multitudo per avaritiæ appetitum viam veritatis deserens demergeretur in interitum.*

Seculum decimum ferreum à Dithmaro appellatum, quo revelandum, vel revelatum jam esse Antichristum, passim percrebuit.

LXXII. Sequens verò seculum undecimum *ob malorum excrescentiam ferreum* à Dithmaro appellari solitum, Baronius ad A. MI. narrat; præfatus etiam, asseruisse tum nonnullos, adesse tempus, quo revelandus esset, ille homo peccati, filius perditionis dictus cognomine *Antichristus.* Quæ in Galliis promulgata, & Parisiis primùm prædicata, ac per orbem vulgata, creditaque à plurimis, addit Aventinus quoque *lib. V. p.* 59. fatetur, *plerosque omnes bonos, apertos, justos, ingenuos, simplices, tum imperium Antichristi cœpisse, quòd ea, quæ Christus Servator noster tot annos ante nobis cantavit, eo tempore evenisse cernebant, memoriæ literarum prodidisse.* Genebrardus *ad A.* MLXXIX. *Quàm tum deploratus fuerit status Ecclesiæ, cernere licet apud Sigebertum, Vincentium & Antoninum. Magnæ simultates inter Imperatorem & Pontificem. Sacerdotes erant moribus depravatissimis.* Berengarius *lib. de Corpore & sang. Dom.* Veritatem ait expertam esse *non Sanctam Ecclesiam, sed Ecclesiam malignantium*

tium, concilium vanitatis, non Apostolicam, sed Sedem Sathanæ. *Silvestri II. Necromantia.*

LXXIII. Initio seculi sacerrimam illam sedem tenuit Silvester II. de cujus necromantia testes Pontificii plures, Benno, Wernerus, Rollfink, Martinus Polonus, Nauclerus, Platina, Matthæus Westmonasterienſis, alii, dubitare non sinunt. Ei dæmon, consultus, quamdiu regnaturus esset, respondit, non prius moriturum, quàm in Hierusalem missam celebrâsset. Quod oraculum ἐπαμφοτερίζον dæmon de Ecclesia S. Crucis Romana, cui Hierosolymæ nomen, Silvester de civitate Hierosolyma, intellexit. Sed posterior deceptus à cacodæmone suo, cùm in Ecclesia S. Crucis sacra fecisset, orci victima piacularis subitò factus est; quam tragœdiam pluribus Malmesburiensis edisserit. Discipulos eum habuisse Theophylactum (postea factum Papam, Benedictum IX.) & Laurentium, qui dæmonibus litaverint, Benno Cardinalis affirmat. Eum exceperunt Johannes XIX. XX. Sergius IV. Benedictus VIII. IX. Johannes XXI. Silvester III. Gregorius VI. nulla re insignes, nisi quòd plerique illi factione Comitum Thusculanorum, adeoque vitio creati, & magiæ crimine, si quæ fides suis authoribus constat, *infames* fuerunt. Certè Benedictum IX. (quem *Sacris dæmoniorum fuisse deditum & in silvis ac montibus mulieres post se currere fecisse, quas magicis artibus ad sui amorem coëgerit*, ex libellis domi ejus inventis Benno probat.) Silvestrum III. & Gregorium VI. Henricus Imperator convocata Synodo ceu *Simoniacos, sanguinarios, monstra* damnavit; Ingemuisse tum orbem, ob intrusos Papas, Papatum *intercedente thesauro pecuniarum emptum*, & Prælatos *auro potiùs quàm merito exaltatos*, Glaber Radulphus *lib. IV. 5. & V. 5.* & Leo Cardinalis Ostiensis scribunt. *Discipuli & Successores ejus eodem, aliique etiam crimine infamet.*

LXXIV. Benedicti IX. quem insuper ut *ignavum & nullius pretii* Platina & Stella; *probrosum & infamem* Volaterranus; *Cardinalium nomen tempore Benedicti IX. impressio esse incipit.*

ranus; *hominem nefarium* Baronius perſtringunt; tempore *Cardinalium* nomen eſſe in pretio, Genebrardo *Chronogr. lib. IV.* fatente, occœpit. Et Cardinales quidem dicti à cardine, παρωνύμως fixos & proprios Eccleſiæ ſuæ miniſtros ſignificant. Unde vocabula *incardinandus, incardinatus, annexus cardini.* Eorum tamen appellatio neque in S. Literis, neque in antiquis Patribus, ne hiſtoricis quidem, ſive Chriſtianis, ſive etiam gentilibus, qualis eſt Marcellinus, occurrit. Scribunt quidam, à Marcello I. Cardinales conſtitutos eſſe propter Baptiſmum. Sed in actis ejus Cardinalium nomen non comparet. *Viginti quinque titulos in urbe, quaſi diœceſes, propter baptiſmum & pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex Paganis, & propter ſepulturas Martyrum* eum conſtituiſſe, Baronius ad A. CCCIX. 4. memorat, ſine Cardinalium mentione ulla. Demum circa A. DLX. prima Cardinalium mentio extat, quando Johannes III. *dilectis filiis Cardinalibus Clericis* ſcribens, ſignificat, ſe Eccleſiam illam *Titulum Cardinalem* conſtituere. Id verò certum, Cardinalium nomen ab initio nihil aliud ſignificâſſe, quàm ordinarios atque fixos in certa Eccleſia Clericos; neque Romanæ duntaxat Eccleſiæ fuiſſe Cardinales ſuos, ſed etiam Eccleſiis aliis titulatis. Unde Cardinales Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, Mediolanenſis, Compoſtellanæ, aliarum, legere eſt. Teſtimonia eam in rem plura Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccl. IV.* 5. 8. 19. 20. 21. allegat, ubi etiam, qui propriè Cardinales olim fuerint, definit, aſſerens fuiſſe *Clerum proprium cujuscunque Eccleſiæ in ea fixum, & titulatum, & ordinarium. Et quæcunque*, inquit, *Eccleſia eſſet collegiata, illa plures etiam in ſe continebat Cardinales, ſive etiam ſubdiaconos.*

Cardinalis ſimul Eccleſiæ miniſter eſt.

Eorum definitio verbis M. Antonii de Dominis tenitur.

LXXV. Tales ſcilicet Cardinales Epiſcopis etiam ſubjecti fuerunt ad tempora uſque Caroli M. quibus Papatus imperio multarum Provinciarum auctus eſt. Incremen-

Poteſtas eorum una cum Papæ poteſtate crevit.

ta

ta enim potestas eorum una cum Pontificiæ potestatis incrementis nacta est. Acciditque sic Romæ, quod in eadem Roma aliquando accidisse apud Tacitum A. II. 33. 3. Gallus Asinius his verbis asseruit: *Auctu Imperii adolevisse etiam privatas opes, idque non novum, sed vetustissimis moribus; aliam apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam, & cuncta ad Rempub. referri; qua tenui angustas civium domos; postquam eò magnificentiæ venerit, glisscere singulas*, &c. Non potuerunt ergo hi non attolli magnificè, cùm plerumque Papæ curam gererent, eumque ope & consilio juvarent. Certè A. DCCLXIX. Stephano IV. Pontifice in Synodo Romana decretum est, ne Papa nisi ex Cardinalibus legeretur. Neque tamen ea ætate tanta est facta mutatio, ut non adhuc vetus institutum, licet variè jam labefactatum, agnosceretur. Undecimo demum seculo, quo Pontificum in Imperatores odia in primis flagrare, adeoque Pontificia potestas majoribus auctibus increscere cœpere, eorum etiam authoritas & potestas altiores radices egit. Nam & Legationibus magnificis fungi cœperunt, in quibus, quod de Cardinalibus à Johanne XVII. in Galliam missis testatur Glaber, Pontificis Romani authoritatem assumpserunt: & Anno MXXVI. Pontifice Nicolao II. in Concilio Lateranensi de Pontificis Romani electione edita est constitutio, qua, teste Gratiano *Dist.* 23. *cap.* 1. *In nomine.* Cardinalibus Episcopis in eligendo Pontifice primæ partes delatæ sunt. Tandem etiam excluso à Pontificis electione tum Imperatore, tum populo Romano, ad solos Cardinales tum Episcopos, tum Presbyteros, tum Diaconos, eligendi Papæ jus devolutum est, atque sic novo quodam eorum principatu paulatim exorto, Cardinales sub appellatione Ecclesiastica seculares Principes facti sunt. Creatos enim à se sic Papa alloqui suevit: *Estote fratres nostri & principes mundi.* Pius vero se-

Seculo imprimis undecimo, quo primæ in eligendo Papa partes ita sub Nicolao II. decretæ. Donec excluso ab ea electione Imperatore & Clero reliqua, solis in jus hoc cesserit.

Ita sub appellatione Ecclesiastica Principes seculares facti sunt.

cundus primos Cardinales à se creatos sic, uti *Sacr. Ceremon. Eccl. lib. 1. sect. 8. cap. 2.* legere est, compellavit: *Maxima, dilectissimi filii, & excellentissima dignitate donati estis: ad Collegium Apostolicum vocati, consiliarii nostri & conjudices orbis terrarum eritis: inter causam & causam, inter sanguinem & sanguinem, inter lepram & lepram discernere vos oportebit. Successores Apostolorum circa thronum sedebitis. Vos Senatores urbis & Regum similes eritis veri mundi cardines, super quos militantis ostium Ecclesiæ volvendum ac regendum est.*

Ea ratione Papa Christi æmulus Collegium Apostolicum ex Cardinalibus constatum constituit.

LXXVI. Parum scilicet erat Romano Pontifici, quòd ab hominibus pro Apostolico vel Apostolo etiam haberetur, nisi æmulum etiam se ostenderet Apostoli & Pontificis confessionis nostræ, Christi. Sicut igitur Apostolos instituit Christus, iisque thronos, in quibus sessuri duodecim tribus Israëlis judicent, promisit: ita instituti hujus æmulus Papa ὁ ἀντὶ τοῦ Χριστοῦ, Apostolicum etiam Collegium constituit, Apostolorum loco tradito Cardinalibus, quos Manfredus *Tractat. de Card. cap. 6.* vocat *Apostolorum Antecessores*, quique circa thronum ejus sedentes orbis terrarum cum eo conjudices forent. Neque certè desunt, qui ipsos Apostolos Cardinalatus munere functos pertendant, atque ea mirabili ratione institutionem eam Divino jure niti asserant, quòd Cardinales, Papæ Vicario Christi tanquam Principi assistentes, Apostolorum Christo assistentium personas repræsentent. Quam in rem sic Cardinalis Petrus de Aliaco *Tract. de Eccl. & Card. autheritate. p. 1. col. 899.* loquitur: *Apostoli Petro tanquam Papale officium gerenti assistebant, tanquam Cardinalatus ministerium exercentes, de quorum Cardinalatu spiritualiter intelligi possit illud Propheticum:* (*1. Sam. II. 8.*) *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos Orbem.*

Cardinalium ex eo tempore prærogativæ multiplicatæ.

LXXVII. Certè Cardinalium ex eo tempore mirum in modum prærogativæ multiplicatæ sunt hodiernum usque

in

in diem, quò his ferè πλεονεκτήμασι gaudent, quòd scilicet, præter vestem eximiam, soli creant & coronant Pontifices, soli creantur: quòd post Papam antèponuntur omnibus; Papæ consiliarii & Senatores, totius Ecclesiæ procuratores & Commissarii sunt: quòd conjunctim cum Papa nominantur; & sine iis Papa legem generalem condere non potest; quòd veniunt in partem Majestatis Pontificiæ & cognati Regum dicuntur: Regibus æquiparantur, & Electoribus atque Regibus cedere gravantur: quòd purpurati sunt; purpura Imperatoribus olim eximie donati à Papa: quòd Regum in aula Pontificia protectores sunt: quòd Papa invito convenire & Concilium cogere possunt, monendique Papam jus habent: quòd denique Patriarchis præferuntur. Quas aliasque eorum Prærogativas ex variis authoribus collectas Celeberr. Freinshemius, libro de S. R. I. Electorum & Rom. Eccles. Cardinalium Præcedentia edito, *Diatriba* 4. copiosiùs retulit.

LXXVIII. Galerum rubrum Cardinalibus Innocentius IV. A. MCCXLIII. donavit, tesseram scilicet conjurationis Pontificiæ cum Cardinalibus, ceu Senatu quodam Edomitico Romanæ Ecclesiæ adversus Cæsares, Potestates humanas, omnes denique Papalem Majestatem dedignatos. De quo sic Onuphrius Panvinius in Epitome Romanorum Pontificum: *Papa Innocentius IV. Pileum rubrum Cardinalibus dedit. Quo significare voluit, illos qui in illum ordinem legerentur, paratos esse debere pro libertate Ecclesiastica*, (Papali puta licentia & libidine) *si opus erit, propriam vitam morti exponere. Hinc deinceps Cardinales Eccles. Rom. rubro pileo uti consuevere, qui tantæ pietatis insigne factus est, ut tiara Pontificatus & Episcopatus.* Non sine Numine sanè rubro vestitu amiciri cœperunt, ne ambiguum esset, sanguinariis eos consiliis adversus heri sui Pontificis adversarios quoscun-

Galerus ruber Senatus hujus Edomitici tessera, ejus adjumento principes hujus seculi viri ad Pontificias partes trahuntur.

que innecti. Opportunumque ita Pontifici fuit quoscunque in Orbe terrarum viros doctos, peritos, spirituali Monarchiæ suæ vel profuturos, vel obfuturos, rubri galeri auctoramento suas in partes pertrahere. Neque ex una, sed variis ex gentibus familiisque nobilioribus senatum hunc conflare placuit, ut unà cum Cardinalibus ipsas quoque diversas gentes illustresque familias sui beneficii faceret, arcana populorum per clientes hosce expiscaretur, & per instrumenta hæc dominationis latissimè regnaret. Non aliam certè instituti hujus rationem fuisse, seculorum sequentium experientia docuit.

Certaminis sacramentarii continuatio per Berengarium, ad horribilem palinodiam coactum.

LXXVIII. E diverticulo hoc in viam ut redeamus, in seculum idem *undecimum* incidit continuatio controversiæ sacramentariæ. Floruerant ea ætate Berengarius Turonensis, Andegavensis Ecclesiæ Diaconus, Bertrami & Scoti Erigenæ partibus addictus. Is animadvertens, serpere & in animis hominum radices agere errorem de corporali præsentia Christi in Cœna Domini, quin etiam locutiones S. Scripturæ & veterum improprias & sacramentales ad incrustandum errorem novum detorqueri, veram sententiam ex orthodoxo sensu repetitam corruptelis invalescentibus, libris etiam de eo editis, opposuit. Thesis ab eo asserta, uti constanter historiæ tradunt, fuit, *in Cœna non ipsum corpus & sanguinem Christi, sed ejus figuram & sacramentum præstò esse.* Quæ Thesis pro erronea & hæretica primùm in Synodo Vercellensi, Pontifice Leone IX. damnata est. Neque tamen cessit errori Berengarius, sed contra audentior ivit, donec Pontifice Nicolao II. Synodo Romæ habita, strenuè licet confligens cum Alberico Diacono Cassinensi, *nullo volente absistere*, ut Leo Ostiensis *lib. III. 33.* loquitur; & post etiam A. MLXXIX. Pontifice Gregorio VII. palinodiam canere subactus est. Palinodiæ formulam Capernaitæ Romani sub Nicolao II.

Papa

Papa ejusmodi ipsi præiverunt: *Ego Berengarius indignus Diaconus Ecclesiæ S. Mauritii Andegavensis, cognoscens veram & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresin, præcipuè eam, de qua informatus sum, quæ astruere conatur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, nec posse sensualiter, nisi in solo sacramento, manibus sacerdotum tractari, vel frangi, vel fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ sedi, & ore & corde profiteor, de sacramento Dominicæ mensæ eam me fidem tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus authoritate Evangelica & Apostolica tenendam tradidit, mihiq; formavit: scilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse: & sensualiter non solùm in sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri, jurans per sanctam & homousion Trinitatem, & per hæc sacro-sancta Christi Evangelia.* Crassius etiam est juramentum posterius A. MLXXIX. Hildebrando Pontifice in hæc ipsi verba præitum: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per mysterium sanctæ orationis, & verbo nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram & propriam ac vivificam carnem & sanguinem Jesu Christi Domini nostri, & post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dextram Patris: & verum sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est, non tantùm per signum & virtutem sacramenti, sed in proprietate naturæ & veritate substantiæ, sicut in hoc Brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.* Hæc quidem ille temerè jurata, præstanda tamen resipiscens neutiquam duxit. Libertati enim resti-

Libertati restituit eadem veritatem ad finem usq; vitæ asseruit.

restitutus,& voce & scripto errorem novitium, superstitionemque Papæ,damnavit , discipulos , quos in Gallia & Germania habuit permultos, in veritate confirmavit , & in eadem,uti etiam Baronius conjicit,ad finem usque vitæ perseveravit.



Ec-

ECCLESIÆ ROMANÆ PERIODUS QUARTA.

Seu

Historia Ecclesiæ Romanæ, Dominationem etiam in temporalibus affectantis, & in doctrina ritibusque in pejus in dies vergentis.

Inde à Gregorio VII. seu A.C. M. LXXIII. ad Bonifacium VIII. seu A.C. M.CCXCIV. usque.

BREVIARIUM.

LXXIX. *Gregorius VII. sede Pontificia rapta strenuè Papatum provehit. Sub quatuor Pontificibus Dominus Papæ cluebat. Dæmoniacis artibus imbutum fuisse, testes sunt Episcopi 30. Brixinæ coacti, aliiq.*

LXXX. *Henrico Imp. se opponit, potentia Mathildis & Normannorum fretus. Senatusconsultum Imp. & Ordinum adversus eum Vormatiæ factum, quo Papatu exuitur. Vicissim is in concilio R. Imperatorem excommunicat, S. Petro vindice compellato. Henricus Romam pergens, supplex Gregorio, & iniquas leges accipiens, anathemate solvitur. Nihilominus à Confœderatis Germanis à Gregorio inflammatis Porcemii Regno idem, Rodolpho Sueviæ & Burgundiæ Duce surrogato, exuitur; & injuriam vindicans, denuo à Gregorio excommunicatur. Vicissim*

sim Brixinæ Gregorius ab Henricianis denuo scelerum multorum reus peractus deponitur: & mox Rodolphus prælio victus perit, atque Roma occupata Gregorius pulsus Salerni exul moritur.

LXXXI. *Dictatus Gregoriani, Papatus Hildebrandini fundamenta, recensiti.*

LXXXII. *Ejusdem Gregorii de abstinentia à cibis certis, & sacerdotum cœlibatu decreta dæmoniaca.*

LXXXIII. *Hæresis Simoniacorum & Nicolaitarum fictitia.*

LXXXIV. *Urbani II. Hildebrandini, & Clementis III. Cæsarei Papæ contraria studia Aventini verbis memorata.*

LXXXV. *Bellum sacrum ab eodem Urbano decretum, exitu infelix.*

LXXXVI. *Ejus belli prætextus.*

LXXXVII. *nec non causæ suasoriæ, Pontificum avaritia, dominandi libido, & Christianorum Principum oppressio, distinctæ.*

LXXXVIII. *Concilii Claromontani Canones, Potestatem & superstitionem Papalem amplificantes.*

LXXXIX. *Seculi XII. historia. Ejus etiam initio fama fuit, Antichristum mox revelatum iri. Bernhardi & Platinæ eam in rem testimonia.*

XC. *De calamitosa circa id temporis Ecclesiæ Romanæ facie testimonia Malmesburiensis, Hildeberti, Bernhardi, Martinensis, Honorii Augustodunensis (qui Babylonem R. describit graphicè) Arnoldi de Brixia.*

XCI. *Bernhardi Claræ-vallensis de corruptione Hierarchiæ R. querelæ acerbæ.*

XCII. *De eadem Joh. Sarisburiensis ad Hadrianum IV. Epistola.*

XCIII. *Cleri Leodiensis ad Paschalem II. responsio, qua R. Ecclesiam Babylonem esse pertendit.*

XCIV. *Tot querelarum causa hærebat in Pontificibus. Paschalis II. Henricum IV. ad mortem usque persequitur. Callistus II.*

ab

ab Henrico Vjus investituræ extorquet. Ita Papa fit Rex absolutus, & schisma expirat. Innocentii II. Hadriani IV. Alexandri III. Urbani III. Clementis III. Innocentii III. Antichristianus in deprimendis Imperatoribus & Regibus fastus.

XCV. *Verbi Divini Majestas & legum humanarum authoritas Theologiæ scholasticæ & juris Canonici præsidiis hoc seculo infringi cœperunt.*

XCVI. *Juris Canonici origo & progressus.*

XCVII. *Eo jure Papalis Majestas munita validissimè.*

XCVIII. *Theologia scholastica juri Divino succenturiata. Quæ hinc facies Ecclesiæ emerserit.*

XCIX. *Non iccirco Ecclesia Christi extincta est, quin potiùs passim numerosi cœtus sese corruptioni publicæ opposuerunt.*

C. *VValdensium origo & dogmata. Oppugnantur variè.*

CI. *Seculi XIII. historia. Joachimi Abbatis de eo Vaticinium. Paris de Ecclesiæ Anglicanæ misero statu querela.*

CII. *Innocentius III. alter Hildebrandus in Germania & Anglia cuncta turbis miscet.*

CIII. *In Concilio Lateranensi Transsubstantiationem, confessionem auricularem, aliaque definit, Deum Maozim extollit, Ordines Monachorum mendicantium quatuor instituit. Dominicus & Franciscus par ignobile.*

CIV. *VValdensium historia continuata sub Innocentio: cruciatam militiam & Prædicatores Monachos adversus eos concitante. Diversum eorundem fatum.*

CV. *Honorii III. Gregorii IX. Innocentii IV. adversus Fridericum II. inexpiabile odium & dira molimina. Historia certaminis fusè narrata: Post mortem Friderici Cæsares remissiores facti Pontificibus succumbunt.*

CVI. *Causæ odii illius veræ ex Aventino promuntur.*

CVII. *Friderici Epistola ad Othonem Bavariæ de Pontificum Rom. tyrannide, Antichristianismo, gravissima.*

CVIII. *Eberhardi Salisburgensis Archiepiscopi Oratio adversus*

Hierarchiam, R. Babylonis flamines, pathetica.

CIX. *Pontificum erga Monachos mendicantes favor. Guilhelmi de S. Amore adversus eos liber.*

CX. *Monachorum æternum Evangelium meditantium horribilis conatus eodem libro detectus.*

CXI. *Et à Pontificibus segniter repressus.*

CXII. *Evangelium illud æternum blasphemiis refertum horum & sequentium temporũ nudum Papatum repræsentare, ostenditur.*

CXIII. *Alexandri IV. Urbani IV. Clementis IV. Gregorii X. Nicolai III. Honorii IV. &c. historia. Rodolphus Imp. Romam ire detrectat, & Papam bolo Romandiolæ donatæ placat.*

CXIV. *Mænardi Comitis Tirolensis oratio adversus effœminatos Antichristos & prodigiosos Eunuchos acris.*

Gregorius VII. Sede Pontificia rapta strenuè Papatum provehit.

LXXIX. IMprimis verò Papatus Gregorii VII. *Hildebrandi* vulgò dicti, Pontificium Regnum, depressa Majestate Imperatoria, ad ἀκμὴν strenuè perduxit. Erat Hildebrandus ille natione Hetruscus, Sena oriundus, professione Cluniacensis Monachus. Papatum A. M. LXXIII. spreta authoritate Imperatoris, contemptoque Cleri & populi suffragio, vi remotis, qui obstare improbis conatibus viderentur, rapiens, abusus eam in rem pupillari ætate Henrici III. juxta quosdam IV. Imperatoris, qui quinquennis tum sub tutela matris Agnetis educabatur. Jam ante sub quatuor Pontificibus Pontificiis artibus assuetus, earumque callentissimus, plus quàm Papam se gessit, adeò ut eum Petrus Damiani *Dominum Papæ* appellaverit, eique dicere non erubuerit:

Sub quatuor Pontificibus Dominus Papa dicebat.

Papam rite colo, sed te prostratus adoro,
Tu facis hunc dominum, te facit ipse Deum.

Dæmoniacis artibus impetus.

Ejus adventum fuisse ex operatione Sathanæ, insigni-

gnis & prodigiis mendacibus, non unus Cardinalis Benno prodidit, asserens scilicet eum Diabolicarum artium studiis ab antecessoribus Benedicto IX. & Gregorio VI. *pessimis magistris pejorem discipulum* imbutum esse, ex mantica ignem, quoties vellet, excutere *edoctum*: sed affirmârunt etiam Episcopi triginta, qui A. M.LXXX. ex Italia, Gallia, Germania Brixinæ Noricæ convenerunt. In eo conventu Hildebrandum accusatum, *quòd per artem magicam, necromanticam, & Dæmonum suffragio, sedem Apostolicam invaserit*; condemnatumque, ceu *falsum Monachum, magnum divinaculum, somniorum prodigiorumq; conjectorem*, & Cæsareanarum & Pontificiarum partium scriptores, Marianus Scotus, Aventinus, Sigonius, Trithemius, alii testantur.

butum fuisse testes sunt Episcopi 30. Brixinæ coacti, aliique.

LXXX. Sperni proculcarique à Monacho tali Majestatem Imperatoris, iniquè meritò Henricus Imp. tulit, certus collectis copiis jus Imperii Majestatemque adversus eum tueri. Succesferatque propositum, si præeuntem bona fide subsecuti essent ii, quos id facere planè decuerat. Gregorius haud segniter Imperatori obsistens, se Mathildis opulentissimæ fœminæ (quam non sine suspicione incesti amoris eum deperiisse, ex Lamberti Schafnaburgensis narratione prudentibus pridem suboluit,) & Normannorum potentia muniit. Atque insuper Saxones duce Ottone, antehac Bavariæ Regulo, adversus Imperatorem Dominum suum concitavit. Cumque A. M.LXXV. Saxones ingentem stragem passi essent, aliâ viâ adversus Dominum suum grassandum rati, eum apud Gregorium ceu scelerum gravium compertum accusant; qui Legatos Imperatoris causam acturos in vincula rapit, frigore, fame, siti excruciat, per urbem circumductos Româ pellit. Quo comperto, Imperator Wormatiæ Concilium cogit, cui Episcopi omnes Galliæ & Germaniæ, præter Saxones

Henrico Imp. se opponit, potentia Mathildis & Normannorum fretus.

Senatusconsultum Imp. & Gelasium

adversus eum Wormatiæ factum, quo Papam exuit.

xones (quorum nomina Polyhistor Stumpfius *Chron. lib. IV.* 40. ex Abbatissano Tigurinorum Cœnobio eruta repræsentat,) interfuere, lectis ibi literis flaminum primorum Populi Romani, quas Hugo Bloncus Cardinalis Roma attulerat, factum senatusconsultum, quod ejusmodi verbis Aventinus *Annal. Boj. lib.* 5. recitat: *Hildebrandus, qui se Gregorium nuncupat, primus sine consensu nostro adversus Imperatoris Romani, rerum domini à Deo constituti, voluntatem, contra auspicia Pontificatum maximum, quem pridem ambivit, & judicio convictus perpetuò abjuravit, invasit, Monachus desertor est, novis dogmatibus sacro-sanctam philosophiam adulterat, Divinas literas falsò interpretando suæ causæ servire cogit, concordiam Collegii scindit, sacra, profana, Divina, humana commiscet, utrumque juxta polluit. Diabolicis, hoc est, acerbissimorum hostium spurcissimis criminationibus, iniquorum maledictis aurem commodat & credit. Testis, judex, accusator, inimicus idem est. Maritos ab uxoribus separat, scorta pudicis conjugibus, stupra, incestus, adulteria casto præfert connubio, populares adversus Sacerdotes, vulgus adversum Episcopos, concitat. Neminem ritè initiatum esse docet, nisi qui ab eo sacerdotium emendicaverit, atque ab ejus aurisugis mercatus fuerit. Vili plebeculæ gratificari studet, vulgi imperiti auram captat, simulata religione decipit, defraudat, circumvenit, in senatulo mulierc ularum de sacratissimis mysteriis religionis pertractat, Supremi Numinis legem, qua se idem quoque ligavit, solvit, utrumque & Imperium & Pontificatum, sicut Decii & falsorum Deorum cultores factitare consueverunt, usurpat, &c. Divinæ Majestati refragatur. Christianissimo Principi Divinitus constituto, & à Deo inaugurato, resistit, versutus, fallax, obscurus, callidus imperium orbis, titulo Christi, sub ovina pelle ambit.* Inde exauthorandi ejus sententiam his verbis ferunt: *Hasce ob causas Sanctissimus Imperator, Pontifices, Senatus Populusq; Christianus illum Hildebrandum abdicandum, sibi eundem non placere, nec oves lupo committen-*

mittendas censent. Cui decreto non solùm Germaniæ, Galliæque, sed Italiæ quoque, Episcopos, conventu Ticini acto, subscripsisse jurâsseque, *se nunquam Pontificem Maximum isthoc nomine recepturos*, Aventinus, qui & superiora refert, *Annal. lib. V.* testis est. Ad ipsum quoque Gregorium Synodus ea literas misit, quas apud Goldastum *Constit. Imper. lib.* 1. adversus Baronium defensas videre est; ubi inter alia hæc habentur: *Quia & introitus tuus tantis periculis est initiatus, & Ecclesia Dei tam gravi tempestate per abusionem novitatum tuarum periclitatur, & vitam per conversationem tuam tam multiplici infamia deboneſtâsti, obedientiam, quam nullam promisimus, nec de cætero ullam servaturos esse, renuntiamus. Et quia nemo nostrûm, ut tu publicè declamabas, tibi hactenus fuit Episcopus, tu quoque nulli nostrûm à modo eris Apostolicus.* Neque tamen Gregorius animum abjecit, quin eò potiùs audaciæ processit, ut A. M. LXXVI. in concilio Romano promulgatis priùs Dictatibus, de quibus paulò post dicemus, Imperatorem ipsum excommunicare, Regno Germaniæ & Italiæ spoliare, Principes & populos juramento fidelitatis ei præstito liberare non erubuerit. Eo decreto Petrum vindicem hic compellat: *Audi me, Apostolorum Princeps Petre, Tu mihi, beatusq; Paulus frater tuus, optimi præter crebros testes esse potestis, me invitum ad sanctæ tuæ Ecclesiæ gubernationem esse protractum; Ob eam rem mihi persuadeo, tibi placere, ut ego populo Christiano, Tibi præcipuè à Deo commisso, præsim. Hac igitur fiducia nixus, pro Ecclesiæ tuæ honore ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii & Spiritus S. jure authoritatis tuæ, Henrico Regi, Henrici Imperatoris filio, qui adversus Ecclesiam tuam inaudita superbia insurrexit, toto Regno Germaniæ atque Italiæ interdico, &c. ut gentes sentiant, quòd tu es Petrus, & super tuam Petram filius Dei ædificaverit Ecclesiam suam.* Contradicentibus nonnullis, ea ratione, quòd Reges anathemate feriri nequeant, respondit: *An verò cùm*

Vicissim is in Concilio Romano Imperatorem excommunicat, S. Petro vindice compellato.

cùm Deus Ecclesiam suam ter beato Petro commisit, dicens: Pasce oves meas, ipsos Reges excepit? Atque ita Henricus Hildebrandum exauthoravit. Hildebrandus exauthoratus Henricum potestate omni abdicavit, quod novissimum facinus detestantes Sigebertum Gemblacensem, Gothofredum Viterbiensem, aliosque videre est. Certè etiam Gallicanam Ecclesiam Hildebrandinis moliminibus adversus seculares Potestates nunquam consensisse, nuper *Doctiss.* Petrus de Marca *de Concord. Sacerd. & Imp. lib. VI. 33. VIII. 21. &c.* demonstravit. Hildebrandi partibus sese addixerunt *Hugo*, Alsatiæ Dux, ære alieno oppressus, Rodolphus Sueviæ Dux, Imperatoris Sororius, imperii spe lactatus, Bertholdus Zeringiæ Dux, ejus gener, Welpho Dux Bavariæ, Moguntinus, Metensis & Wormatiensis Episcopi; nec non Abbates aliquot, sive anathematis terrore perculsi, sive Principibus illis obnoxii, qui rebellibus pridem Saxonibus auxiliares manus porrigentes Germaniam universam ferro flammaque peragrarunt; donec Henricus, remoto exercitu, pœnitentia acta, reconciliationem cum Gregorio attentaturus, Romam proficiscceretur, ubi intra secundum murorum ambitum receptus, abjecto cultu Regio omni, sine calceis, sæviente hyeme, jejunus usque ad vesperam, *forfices & scopas* (uti Malmesburiensis loquitur) *in manu habens*, ut se attonderi & flagellari paratum ostenderet, responsum Gregorii nequicquam operitur; & quarta demum vice redux, inaudita patientia præfractum Pontificis animum hactenus expugnat, ut Henricum in conspectum suum admitteret, atque ita cum eo paciscceretur, ut die & loco, quem ipse constitueret, in communi Germanorum conventu, in judicio se sisteret, & criminibus objectis, quæstionem exercente Gregorio, responderet, atque extremo ejus judicio staret: interea omnia Regiæ dignitatis ornamenta deponeret, ac de rebus

Henricus Romam pergens, supplex Gregorio, & iniquas leges accipiens anathemata solvitur.

bus publicis nihil pro suo jure statueret: eos, quorum hactenus usus erat consilio, Bambergensem Episcopum, cœterosque à sua familiaritate in perpetuum depelleret, & qui sacramento ei dixissent, ejus religione exolveret omnes. Quæ cùm se facturum per omnia sacra juràsset, anathemate à Gregorio solvitur, magno adhuc in lucro, id, quod consecutus erat, reputans. Sed fluxam fidem gerens Pontifex, missis ad confœderatos Germanos, Saxones cumprimis, Legatis, ne pacta cum Henrico attendant, monet. *Nam licet reconciliatus sit Curiæ Cœlesti, non tamen Regno, quo auspicatò Romæ privatus sit, restitutum esse.* Ita cum Legatis illis juncti Fœderati Porcemii mense Martio Anni MLXXVII. convenientes, communi consilio Rodolphum Sueviæ & Burgundiæ Ducem, Henrici Sororium, Imperatorem eligunt, ea scilicet lege, *ut omnia Pontificalia abjuret, clientelas Episcoporum abdicet, néve velut hæreditario jure filios suos successores declaret.* Cui mox etiam Imperialem coronam Papa misit, his verbis inscriptam.

Nihilominus a Confœderatis Germanis à Gregorio inflammatis Porcemis Regno idem, Rodolpho Sueviæ & Burgundiæ Duce surrogato, exuitur; & injuriam vindicans denuò à Gregorio excommunicatur.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Qua quidem insigni injuria ignominiaque accensus Henricus, Italia profugus, & pœnitudine ductus servilis patientiæ, animum & amicos colligit, ac instructo exercitu Rodolphum justo prœlio fusum fugatumque insigni clade afficit. Gregorius ejus rei nuncio fauciatus non parum, denuo Henricum anathemate ferit, Rodolphum confirmat. Ex altera parte Italiæ, Galliæ, Germaniæ Episcopi A. MLXXX. Brixinæ, quæ Bojorum urbs est, habito Concilio, Gregorium iterum ambitionis, hæreseos, impietatis, Sacrilegii reum peragunt, & ceu *falsum Monachum, magum divinaculum, somniorum prodigiorumque conjectorem, malè de religione sentientem; conjuratum hostem Reip. atque sacro-sancti Imperii, Sacrilegia, perjuria, mendacia, homicidia, incendia, velut bene facta, indulgentem & collaudantem, & ad ea perpe-*

Vicissim Brixinæ Gregorius ab Henricianis denuo sceleratum multorum reus peractus deponitur, & mox Rodolphi prœlio victus perit, atque Româ

Occupata Gregorius pulsus Salerni exul moritur.

tranda classicum canentem, sacerdotes conjugatos ab altari removentem, scortatores verò, adulteros, incestuosos eidem admoventem; auctore Deo O. M. Pontificatu maximo amovendum decernunt. Gregorius susque deque habito decreto, denuo animos Rodolpho & Saxonibus facturus, *ex revelatione scire se*, inquit Sigebertus, asseverat, *falsum Regem*, Henricum scilicet eodem anno moriturum; vetans se haberi pro Papa, si falleret augurium. Fretus eo Oraculo Rodolphus, secunda, tertia quartáve vice instaurato prœlio non solùm, falsus scilicet Rex superatur, sed amputata dextra, qua fidem Henrico dederat, interit. Mox etiam Henricus cum exercitu Romam perrexit, eam obsedit, occupavit, in locum Gregorii Clemente constituto Pontifice. *Fugit Apostolicus*, (Gregorius) *& qui omnes in periculum impulerat, amnes in periculo deseruit*, inquit Benno. Demum reverso in Germaniam Henrico, Hildebrandus Salerni VIII. Kal. Junii A. MLXXXV. exul moritur, postquam, Gemblacense narrante, confessus est, se Diabolo suadente odium & iram contra humanum genus concitâsse. Hæc Hildebrandinæ tragœdiæ catastrophe fuit.

Dictatus Gregoriani, Papatus Hildebrandini fundamenta, retensii.

LXXXI. In Concilio Romano A. MLXXVI. habito, in quo Henricum Gregorius exauthoravit, & sacrorum etiam communione privavit, idem Gregorius Canones edidit, quibus Hildebrandini Papatus fundamenta continentur. Eos *Dictatus Papæ* novus Dictator appellavit, quorum *major pars*, uti in ejus vita Onuphrius loquitur, *antea parum in usu fuerat, & à nemine prædecessorum ejus unquam attentata*. Sunt autem decreta ejusmodi: *Quòd Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata; quòd solus Pontifex Romanus jure dicatur universalis; quòd ille solus possit deponere Episcopos, vel reconciliare: quòd Legatus ejus omnibus Episcopis præsit in Concilio, etiam inferioris gradus, & adversus eos sententiam depositionis possit dare: quòd absentes Papa possit deponere; quòd*

cum

cum excommunicatis ab illo, inter cætera nec in eadem domo debemus manere: quòd illi soli licet pro temporis necessitate novas leges condere, novas plebes congregare; de Canonica Abbatiam facere, & è contra divitem Episcopatum dividere, inopes unire: quòd solus possit uti imperialibus insignibus: quòd solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur: quòd illius solius nomen in Ecclesiis retinetur: quòd unicum est nomen in mundo: quòd illi liceat Imperatores deponere; quòd illi liceat de sede ad sedem, necessitate cogente, Episcopos transmutare: quòd de omni Ecclesia, quacunq; voluerit, clerum valeat ordinare: quòd ab illo ordinatus alii Ecclesiæ præesse potest, sed non militare: & quòd ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accipere: quòd nulla Synodus absque præcepto ejus debeat generalis vocari: quod nullum capitulum, nullus q; liber Canonicus habeatur absque illius authoritate: quòd sententia illius à nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit: quòd à nemine ipse judicari debeat: quòd nullus audeat condemnare Apostolicam sedem appellantem: quòd majores causæ cujuscunq; Ecclesiæ ad eum referri debeant: quòd Romana Ecclesia nunquam erravit: nec in perpetuum, Scriptura testante, errabit: quod Rom. Pontifex, si canonicè fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur Sanctus, testante Sancto Ennodio, Papiensi Episcopo, ei multis Sanctis Patribus faventibus, sicut in decretis beati Symmachi Papæ continetur: quòd illius præcepto & licentia subjectis liceat accusare: quòd absque Synodali conventu ei liceat Episcopos deponere & reconciliare: quòd Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ: quòd à fidelitate iniquorũ subjectos potest absolvere. Non aliud scilicet supererat, quàm ut pauca superadderet; *quod Papa sit Christus*, proin & Antichristus ipse.

LXXXII. Illud quoque non prætereundum, fuisse Gregorium, sicut dæmoniacarum artium studio infamem, ita dæmoniorum etiam doctrinæ, quæ abstinere à cibis, quos Deus condidit ad participationem cum gratiarum actione fibelibus, jubet, & matrimonium contra-

Ejusdem Gregorii de abstinentia à cibis certis & sacerdotum cœlibatu decreta dæmoniaca.

here prohibet, propagatorem acerrimum. Liquet id ex duabus Synodis Romæ sexto Pontificatus ejus anno habitis, in quarum altera editus est hic Canon: *Quia dies Sabbathi apud sanctos Patres nostros in abstinentia celebris est habitus, nos eorundem authoritatem sequentes salubriter admonemus, ut quicunque se Christianæ religionis participem esse desiderat, ab esu carnium eadem die, nisi majore festivitate interveniente, vel infirmitate impediente, abstineat.* In altera verò damnavit scriptum sancti Udalrici ad Papam Nicolaum, de nuptiis Presbyterorum, & Paphnutii de eadem re capitulum. De eo sic Sigebertus Gemblacensis in historia A. MLXXIV. *Gregorius Papa, celebrata Synodo, Simoniacos anathematizavit, & uxoratos sacerdotes à Divino officio removit, & laicis Missam eorum audire interdixit, novo exemplo, & (ut multis visum est) inconsiderato præjudicio, contra sanctorum Patrum sententiam* &c. *Ex quare tam grave oritur scandalum, ut nullius hæresis tempore sancta Ecclesia graviori schismate discissa sit; his pro justitia, illis contra justitiam agentibus; continentiam paucis tenentibus, aliquibus eam modò quæstus ac jactantiæ causâ simulantibus; multis incontinentiam perjurio aut multipliciori adulterio cumulantibus, adhæc hac opportunitate laicis insurgentibus contra sanctos Ordines, & se ab omni Ecclesiastica subjectione excutientibus. Laici sacra mysteria temerant, & de his disputant, infantes baptizant, sordido humore auriumpro sacro oleo & chrismate utentes: in extremo vitæ viaticum Dominicum, & usitatum Ecclesiæ obsequium sepulturæ à Presbyteris conjugatis parvipendunt, decimas Presbyteris deputatas igne cremant, & (ut in uno cætera perpendas) laici corpus Domini à Presbyteris conjugatis consecratum sæpe pedibus conculcaverunt, & sanguinem Domini voluntariè effuderunt; & multa alia contra jus & fas gesta sunt in Ecclesia. Et hac occasione multi Pseudomagistri exsurgentes in Ecclesia profanis novitatibus plebem ab Ecclesiastica disciplina avertunt.* Lambertus Schafnaburgensis addit, adversus decretum hoc protinus vehemen-

menter infremuisse totam factionem Clericorum, hominem planè hæreticum & væsani dogmatis esse clamitantem, utpote qui oblitus Sermonis Domini, qui ait: *Non omnes capiunt hunc sermonem: qui capere potest, capiat*; & Apostoli: *Qui se non continet, nubat. Melius est enim nubere, quàm uri*, violentâ exactione homines cogat vivere more Angelorum; & dum consuetum cursum naturæ negaret, fornicationi & immunditiæ fræna laxaret. Quas porro turbas ferale isthoc Gregorii decretum passim inter contendentes renitentesque excitaverit, scribere heic nihil attinet.

LXXXIII. Controversia gemina, quæ Hildebrando huic partim cum Henrico Imperatore, secularique adeò potestate, partim cum sacerdotibus conjugatis intercessit, ansam eidem præbuit fingendi duas novitias hæreses, earumque improperio imparentes dicto suo deprimendi. Henricianos enim *Simoniacorum & hæreticorum Henricianorum*: Sacerdotes verò conjugatos *Nicolaitarum* probrosis, Simoniacorum & Nicolaitarum pessimus ipse, titulis aspersit, exososque reddidit. Hæretici nempe Papæ jam dici meruerunt, non qui doctrinam verbo Dei repugnantem, & æternæ saluti perniciosam propugnarent pertinaciter, sed qui Papæ libidini suæ lenocinantis imperio audientes non essent. *Hæresi Simoniacorum & Nicolaitarum fictitia.*

LXXXIV. Mortuo Gregorio factione Pontificia annitente, Victor III. Beneventani Principis filius successit. Is Clementem III. Gregorio ab Imperatore Henrico surrogatum, anathematis vinculo constrictum deposuit, & post biennium moribundus Ottonem de Castellione, Cardinalem Ostiensem, successorem designavit, qui post mortem ejus electus Urbani II. (*Turbanum* vocant alii, ob excitatas turbas multifarias) nomen sumpsit. Quibus studiis Urbanus ille, qui Gregorii VII. causam egit acerrimè, cum Clemente III. Cæsareo Papa collisus fuerit, *Urbani II. Hildebrandici, & Clementis III. Cæsarei Papæ contraria studia. Adventus memorata.*

fusè Aventinus commemorat, cujus verbis continuatam tragœdiam narrare juvabit. Sic ille *lib. V. Annal.* scribit: *Clemens III. urbe à Conrado pellitur, Urbanus restituitur. Mox invicem diras inferias q; dicunt. Urbanus acta Hildebrandi tueri: Clemens rescindere pergit. Imperator quoque summa ope contra Urbanum nititur. Moveri rursus civitas Christiana, & dissensio civilis, quasi permistio terræ erumpere cœpit; scinditur q; populus Christianus; pauci reperti, qui veram pietatem injustæ potentiæ anteponerent; partium studia, quæ extincta erant, gliscunt,* &c. *Dum alteri alteros quovis modo vincere volunt; Urbanus criminando Imperatorem, plebem Christianam exagitat occultè largiendo, indulgendo, pollicitando magis incendit, ita ipse clarus, potens factus ex libidine suæ victoriæ nititur, plus q; sibi ac successoribus spinarum ac potentiæ, quàm pietatis atque amoris comparavit; sub titulo Christi pro sua magnitudine amplitudine q; laboravit. Namque, ut paucis verum absolvam, post illa tempora, quicunque concionem divinam agitavere, honestis nominibus, quasi jura Ecclesiæ libertatem q; Religionis defenderent, & quo Romani Episcopi authoritas maxima foret, bonum publicum simulantes pro sua quisque potentia certaverunt. Imperator quidem contra hæc summa ope connisus fuit: utraque pars miraculis se tutata est.* Deinceps fictitia quædam miracula visiones que recenset.

Bellum Sacrum ab eodem Urbano decretum, exitu infelix.

LXXXV. Inter πὰ κύρια seu supremæ potestatis civilis jura politici belli decernendi potestatem numerare solent. Hanc quoque ad se rapere Pontifices cœperunt. Urbanus quippe Bellum, quod *Sacrum*, eò quòd ad expugnationem terræ *Sanctæ*, & à personis *Sacris*, Episcopis, Monachis &c. suscipiendum esset, appellari placuit; Monachi cujusdam Petri Eremitæ, seu Franci, seu, ut alii scribunt, Hispani, Divinam visionem jactantis, suasu, in Concilio Claromontano (quod cum Synodo illa, quæ I. Reg. XXII. describitur, celebrata sub Josaphato & Achabo, de Ramoth Gilead ex manibus Syrorum recuperanda,

da, scitè Bullingerus *in Apoc. cap.* 20. comparat, eò quòd in utroque fuerint spiritus seductor, Achabi, Josaphati, aliaque similia) decrevit. Sic A. MXCV. Ducibus Gothofredo Bullionense, sive de Bullo, Lotharingiæ Principe, Eustathio & Balduino ejus fratribus, Hugone Magno, fratre Regis Francorum, Aniciensis in Auvernia Episcopo, aliisque cum exercitu ex millies sexcenties millenis militibus cruce ex lana rubra facta signatis omnibus, (unde militiæ *cruciatæ* nomen, non quòd *crucem* Christi prædicare, sed quòd infideles *crucifigere* destinâssent) conflato, in terram sanctam adversus Saracenos properatum, & post fœlicia satis prœlia A. MXCIX. ipsa urbs Hierosolyma obsessa & occupata, sed A. MCCXLIV. imperante Friderico Barbarossa iterum amissa est, rebus Christianorum Orientalium in deterius longè inde vergentibus.

LXXXVI. Belli hujus sacri πρόφασιν à causis ejusdem suasoriis distinguere haud ἄτοπον fuerit. περιφάσεις fuere *damna, contumeliæ, supplicia gravissima, quæ Christiani sepulchrum Domini visitantes quotidie à Saracenis patiebantur*, uti Sigonius ad A. MLXXIV. loquitur: addo, injuriæ etiam & contumeliæ, quas fideles Hierosolymis commorantes ab infidelibus perpetiebantur, quas fusè Wilhelmus Tyrius, Regni Hierosolymitani Concellarius, belli sacri scriptor, *Historiæ belli sacri lib.* 1. *cap.* 4. &c. Robertus Monachus *de Christ. Principum bello contra Saracenos suscepto lib.* 1. aliique edisserunt. Urbani Papæ exhortatio ad populum in Concilio Claromontano facta, & ab eodem Tyrio *lib.* 1. *cap.* 15. recitata prætextus eosdem propalat. Inter alia sic ille: *Hæc salutis nostræ cunabula, Domini patriam, religionis matrem, populus absque Deo, ancillæ filius Ægyptiæ possidet violenter: & captivitatis liberæ filiis extremas imponit conditiones, quibus versa vice meritò servire tenebatur. Sed quid scriptum est? Ejice ancillam & filium ejus. Saracenorũ enim gens impia & immundarum sectа-*

Ejus belli prætextus.

sectatrix traditionum, loca sancta in quibus steterunt pedes Domini, jam à multis retrò temporibus violenta premit tyrannide, subactis fidelibus, & in servitutem damnatis. Ingressi sunt canes in sancta, profanatum est sanctuarium, humiliatus est cultor Dei populus, angarias patitur indignas: genus electum servit in luto & latere: regale Sacerdotium, Principes Provinciarum, factum est sub tributo, civitas Dei. Cujus non liquefiat anima? Cujus non labescant præcordia, iis ad animum recurrentibus? Quis hæc siccis oculis audire potest, fratres charissimi? Hæc certè ut vera fuerint (de quo nulli ambigimus) justam tamen bello inferendo causam præbuerunt minimè. Neque enim vel terra sancta Christiani populi peculium & proprietas ἀ αφαίρετον fuit: vel injuriæ illatæ Christianis sive indigenis, sive advenis tanti fuerunt, ut propterea possessione terræ illius exui infideles debuerint. Inprimis cùm post Christi ascensionem in Cœlum Palæstina terra aliis locis sanctior ampliùs non fuerit, & affectatio ejus superstitionem potiùs, quàm veram religionem aluerit. Considerandum fuit illud, quod à Pindaro dictum est; ἔα πόλεμον, ἔα μάχαν χωρὶς θεῶ. *Mitte bellum, mitte pugnam sine Deo.* Equidem ex Verbo Dei satis constat, sic Deum irasci terræ sanctæ, ut benedictionem in maledictionem converterit, & templum urbemque Hierosolymam ita everti funditus voluerit, ut reparari nunquam possit. Et quid est Ecclesia per omnes gentes dispersa, si vetus Templum, unde nova Ecclesia prodiit, requiris?

Nec non causæ suasoriæ, Pontificum avaritia, dominandi libido & Christianorum principum oppressio, distincta.

LXXXVII. Diversæ longè fuerunt belli illius suasoriæ causæ, avaritia Pontificum, dominandi libido, perfidia & oppressio Christianorum Principum. Ablegatis in Orientem per speciem pietatis Principibus proclive Papæ fuit vacua in aula dominari; cùm ambitioni avaritiæque Pontificum totus se Occidens aperiret, & ad frænandam domandamque eam exhaustis ejusmodi expedi-

tioni-

tionibus Principum subjectorumq; opibus, impares posthac essent. Immensam etiam pecuniarum vim cruciata hæc militia Pontificib⁹ conciliavit. Certè *Innocentius Papa*, ita Matthæus Paris, Monachus Albanensis, Anglus, *Histor. Major. pag.* 200. loquitur, *ad expeditionem terræ sanctæ, ut dixit, ad occultandam suam avaritiam, infinitam pecuniam ab ordine Cisterciensi extorquere proposuit.* Addit, à B. Virgine correptum ab exactione cessasse, timore percussum. *Pag.* 707. narrat idem, cruce signatos voti pœnitentes non modica pecuniæ summa votum redimere coactos fuisse. Non omnibus licebat ire in expeditionem. Neque tamen manentes domi carere debuerunt hac persuasione suæ salutis. Ut igitur indulgentiarum & illi participes fierent, pecuniam erogabant, exigentibus insatiabiliter Ecclesiasticis. Cognoscere id licet ex eodem Matthæo Paris; cujus inter alia *pag.* 388. Hæc verba sunt: *Hæc* (à Gregorio Papa de negotio crucis perscripta) *cùm per Christianorum climata, præcipuè per Angliam Christi fidelibus innotescerent, & Prædicatio per Prælatos, maximè per fratres Prædicatores, & Minores fieret, quibus data fuit potestas cruce signandi, & votum data pecunia* (confer pag. 346.) *relaxandi, se multi, quorùm non erat numerus, cruce signaverunt. Sed citò in tantam nobilitatem, ne dicam, arrogantiam elevabantur Prædicatores, Minoresque, qui spontaneam paupertatem cum humilitate elegerunt, ut recipi curarent in cœnobiis & civitatibus in processione solenni, in vexillis, cereis accensis, & in dispositione vestimenti festivis indutorum, & concessum est eis veniam multorum dierum suis conferre auditoribus, signatósque hodie, cras data pecunia à crucis voto absolverunt. Parvóque tempore succedente, facta est tanta commutatio, tam multiformis pecuniæ exactio, nec sciri poterat, in quam abyssum tanta pecunia, quæ per Papales Procuratores colligebatur, est demersa, quòd fidelium circa negotium crucis tepuit, imò potiùs charitas refrixit generalis. Unde negotium terræ sanctæ nunquam*

felix super hoc susceptit incrementum. Sed & *pag.* 864. exemplum prodit summæ Pontificis perfidiæ, qui crucem prædicari voluit, non ut periclitantes Christianos in Oriente juvaret, sed ut Siciliam & Apuliam invadere posset. Eodem cruce signatorum exercitu etiam contra Albigenses, teste eodem Paris *pag.* 336. nec non Imperatorem ipsum Fridericum Barbarossam, Fridericum II. ejúsque filium Conradum, Imperatores, aliósque etiam Christianos Principes invisos sibi, Pontifices usi sunt.

Concilii Claromontani Canones, Potestatem & superstitionem Papalem amplificantes.

LXXXVIII. In Concilio Claromontano, quo bellum illud minimè sacrum decretum fuit, conditi, eodem Urbano annitente, sunt varii Canones, quibus Pontificia potestas & superstitio amplificata non parùm fuit. Inter alia capitula hæc etiam à Paris *pag.* 20. commemorantur: *Quòd Ecclesia Catholica* (Romana) *sit in fide casta, & ab omni seculari servitute libera; ut Episcopi vel Abbates, vèl aliquis de Clero aliquam Ecclesiasticam dignitatem de manu Principum, vel quorumlibet laicorum non recipiat: Quòd nullus cujuslibet sacri ordinis carnali commercio utatur: Quòd nemo laicorum à capite jejunii, nemo Clericorum à quinquagesima usq; in Pascha, carnes comedat: Quòd omni tempore primum jejunium quatuor temporum, prima hebdomada quadragesimæ fiat. Quòd qui apprehenderit Episcopum, omnino exlex fiat: Quòd qui sacri ordinis viros, vel eorum famulos apprehenderit, anathema sit: Quòd una quæque Ecclesia decimas suas habeat, nec ad aliam transferantur: Quòd laicus decimas non emat, nec vendat:* aliáque id genus plura.

Seculi XII. historia. Ejus etiam in initio fama fuit, Antichristum mox revelatum iri. Bernhardi & Platinæ eam in rem testimonia.

LXXXIX. Seculo *duodecimo* ad majorem etiam gradum corruptionis Ecclesia Romana processit. Vulgarem famam fuisse, Antichristum eo tempore revelatum iri; Baronius *ad* A. C. MCVI. non diffitetur. Bernhardus certè, qui in ea tempora incidit, *Epist.* 56. *ad Gaufridum* eam in rem sic scribit. *Cùm ante hos paucos dies Norberti faciem videre, & de cæleſti fistula, ore videlicet ipsius plurima haurire meruerim,*

rim, de Antichristo cùm inquirerem, quid sentiret, durante adhuc ea, quæ nunc est generatione, revelandum illum certissimè se scire, protestatus est. At cùm eandem certitudinem unde haberet, scisscitanti mihi exponere vellet; audito quod respondit, non me illud pro certo credere debere putavi. Ad summam tamen hoc asseruit, non visurum se mortem, nisi prius videat generalem in Ecclesia persecutionem. De Paschali etiam Papa, qui initio hujus seculi Romanam Ecclesiam moderatus est, commemorat idem, quòd dum in itinere positus Florentiam perveniisset, *de Antichristi adventu proximè futuro, fama fuerit sparsa.* In ejusdem vita scribit Platina: *Florentinum Episcopum affirmare solitum, Antichristum natum esse; sed ab ipso Papa silentium ei impositum esse.*

XC. Neque certè desunt plura scriptorum, qui eo ipso seculo scripserunt, testimonia, ex quibus, quæ circa id temporis facies Ecclesiæ Romanæ fuerit liquidò cognoscitur. De Romanis igitur, uti Guilhelmus Malmesburiensis *de gestis Reg. Angl. lib.* 4. loquitur, olim rerum Dominis, gente togata, qui nunc dicuntur hominum inertissimi, auro trutinantes justitiam, pretio venditantes communem regulam; carmen edidit Hildebertus Cenomanensis Episcopus, atque hoc disticho (quod in Lilii Giraldi quinto de Poëtis Dialogo Hispani Censores ferre non potuerunt) concluſit:

De calamitosa circa id temporis Ecclesiæ Romanæ facie testimonia Malmesburiensis & Hildeberti.

Urbs felix, si vel Dominis urbs illa careret,
Vel Dominis esset turpe, carere fide.

eos scilicet Dominos innuens, quos simili disticho perstrinxit alius:

Servierant tibi, Roma, diu Domini Dominorum;
Servorum Servi nunc tibi sunt Domini.

De eadem sic Bernhardus Morlinensis, ex Cluniacensi Ordine Monachus *lib.* 3. *de contemptu mundi* canit:

Bernhardus Morlinensis.

Aurea tempora, castáque pectora præterierunt,

Tempora peſſima, ſcilicet ultima jam ſubierunt.
Stant modo ſtantia lucra, ſuperbia, pax ſine pace,
Fraus, Venus, otia, furtáque conſcia noctis opacæ,
Schiſmata, prælia, vis, homicidia, traditiones,
Ira, protervia, livor, inertia, ſeditiones.
Stat ſimulatio, corruit actio religionis
Heu! ſua propria deputat omnia Rex Babylonis.

Honorii Auguſtodunenſis;

Neque aliter Honorius Auguſtodunenſis Eccleſiæ Presbyter *Dial. de Prædeſt. & lib. Arb.* ſui temporis Babyloniam depingit: *Intuere*, inquit, *Principes & Judices: Ecce poſita in eis eſt Beſtiæ ſedes. Omni tempore ad malum ſunt intenti, ſemper negotiis iniquitatis inexplebiliter occupati, flagitia non ſolùm faciunt, ſed & alios facere inſtruunt: Sancta vendunt, ſcelera emunt: totis viribus laborant, ne ſoli ad tartara veniant. Verte te ad Clerum, & videbis in eis Beſtiæ tentorium. Dei ſervitium negligunt, terrenis lucris inſerviunt; ſacerdotium per immunditiam polluunt, populum per ſimulationem ſeducunt, Deum per mala opera abnegant, omnes ſcripturas ad ſalutē pertinentes abdicant, omnibus modis ſe laqueos & ruinam populo ſubſternunt, quem cœlum ipſi cœci ad interitum præeunt. Contemplare & Monachorum conciliabula, & videbis in eis Beſtiæ tabernacula. Per fictam profeſſionem Deum irridentes, iram ejus provocant, normam regularium moribus & vita calcant, per habitum ſeculum fallunt, multos deceptos ipſi decepti deciptunt. Secularibus negotiis implicati ſunt, in Dei ſervitio deſides exiſtunt, plerique illorum gulæ illecebris dediti ſunt, quidam immunditiæ ſordibus computreſcunt. Aſpice etiam habitacula Monialium, & cernes in eis Beſtiæ præparatum thalamum. &c. Verte te ad plebem reliquam, & videbis in ea Beſtiæ effigiem &c. Vulgus quoque indoctum Beſtiæ habet idolum &c.*

Arnoldi de Brixia;

Taceo Arnoldum de Brixia, à quo Arnoldiſtis nomen, qui quòd tyrannidem, luxum, ſuperbiam, corruptionem Cleri & Pontificis palam argueret, A. MCLV. Romæ ultricibus flammis παῤῥησίαν ſuam expiavit: ipſo etiam Platina ejus innocentiæ teſtimonium perhibente, & pie-

pietatem extollente. Quem etiam Tigurinis, apud quos aliquandiu prædicavit, ſanioris doctrinæ guſtum præbuiſſe, Guntherus Ligurinus, facto iſthoc verſu:

Servat adhuc uvæ guſtum gens iſta paternæ;

prodidit.

XCI. Incidit in ſeculum iſthoc infelix Bernhardus Clarævallenſis Abbas, nobili familia Burgundiæ ſatus. Addictus is Pontifici licet, calamitate ſeculi illius optimis quibuſque faſcinum quodammodo inducente, ſubinde tamen Hierarchiam Romanam graphicè depingit. Libro ad Eugenium Papam & ejus ſatellites Epiſcopos & ſpirituales *Antichriſti miniſtros* diſertè nominat, & *Apoſtolica authoritate ambitioſos, avaros, Simoniacos, concubinarios, inceſtuoſos, & quæque iſtiuſmodi monſtra honores Eccleſiaſticos obtinere:* Denique *Dæmonum magis quàm ovium paſcua Romæ eſſe* queritur. Et *ſerm.* 33. *ſuper Cantica* querimoniam iſthanc graviſſimam inſpergit: *Væ generationi huic à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis, ſi tamen hypocriſis dici debet, quæ jam latere præ abundantia non valet, & præ impudentiâ non quærit. Serpit hodiè putida tabes per omne corp⁹ Eccleſiæ, & quò latiùs, eò deſperatiùs, eóque periculoſiùs, quò inteſtiniùs. Nam ſi inſurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras & exareſceret; ſi violentus inimicus, abſconderet ſe quis forſitan ab eo, nunc verò quem ejiciet, aut à quo abſcondet ſe? Omnes amici, & omnes inimici: Omnes neceſſarii, & omnes adverſarii: omnes domeſtici, & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes quæ ſua ſunt, quærunt. Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Antichriſto. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, Regius apparatus; inde aurum in frenis, in ſellis & calcaribus. Et plus calcaria, quàm altaria fulgent, &c. Inteſtina & inſanabilis eſt plaga Eccleſiæ, & ideo in pace amaritudo ejus amariſſima.* Et *Serm.* 6. *in Pſal.* 90. *ſupereſt*, inquit, *ut revelletur homo peccati, filius perditionis, dæmonium non modò diur-*

Bernhardi Clarævallenſis.

num, sed & meridianum: quod non solùm transfiguratur in Angelum lucis, sed extollitur supra omne, quod dicitur Deus: Nimirum insidiatur crudelis, calcaneo matris Ecclesiæ, à qua dolet caput suum esse contritum, &c. Creditur idem Bernhardus author Sermonis in Rhemensi Concilio coram Innocentio II. & ejus Clero A. MCXXXI. habiti, in quo sic παῤῥησιαζόμενος Episcopos compellat: *Fratres, aliam Synodum pronuntio vobis, ubi Dominus Deus sedebit in judiciis, & ibi omnes nos oportet repræsentari, & ibi Deus justè judicabit orbem terrarum. Hic includitur injustitia in marsupio: sed justè judicabit Deus in illo judicio, & ibi omnes nos oportet repræsentari, sive sit Papa sive Cardinalis, sive Archiepiscopus, sive Episcopus, sive dives, sive pauper, sive doctus, sive indoctus, ut referat unusquisq; rationem de his quæ gessit in corpore, sive bonum, sive malum. Et si reddenda est ratio de his, quæ quisque gessit in corpore suo, heu quid fiet de his, quæ quisque gessit in corpore Christi, quod est Ecclesia? Ecclesia Dei vobis commissa est, & dicimini Pastores, cùm sitis raptores. Et paucos habemus, heu, Pastores, multos autem excommunicatores. Et utinam vobis sufficeret lac, sititis enim sanguinem.* Idem *Serm. 1. in conversionem S. Pauli* hujusmodi ad Deum querelam ingeminat: *Amici tui, Deus & proximi, adversus te appropinquaverunt & fleverunt. Conjurâsse videtur contra Te universitas populi Christiani à minimo usque ad maximum: à planta pedis usque ad verticem non est sanitas ulla. Egressa est iniquitas à senioribus judicibus, vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. Non est jam dicere: Sicut populus, sic sacerdos: quia nec sic populus ut sacerdos. Heu, heu, Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum. Arcem Sion occupaverunt, apprehenderunt munitiones, & universam deinceps liberè & potestativè tradunt incendio civitatem.*

Joh. Sarisburiensis.

XCII. De corruptione hujus seculi vocem populi ad Hadrianum IV. Pontificem Johannes Sarisburiensis, quem nupe-

nuperus Cardinalis Bona in *Notitia Scriptorum*, ceu *virum gravem, etiam cùm de nugis scribit*, commendat; *Policrat.* seu *de Nugis Curialium lib. VI.* 24. perscripsit: Scisciranti enim Hadriano, *quid de se & Ecclesia Romana sentirent homines*, respondet in hæc verba: *Romana Ecclesia, quæ mater omnium Ecclesiarum est, se non tam matrem exhibet aliis, quàm novercam. Sedent in ea scribæ & Pharisæi, ponentes onera importabilia in humeris hominum, quæ digito non contingunt. Dominantur in Clero, nec forma fiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam: pretiosam supellectilem congerunt: aureo & argento onerant mensas, siti etiam ab avaritia nimis parci. Nam pauper aut nullus, aut rarus admittitur, quem interdum non tam Christus, quàm vana gloria introducit. Concutiunt Ecclesias; lites excitant, collidunt Clerum & populum, laboribus & miseriis afflictorum nequaquam compatiuntur, Ecclesiarum lætantur spoliis, & quæstum omnem reputant pietatem. Justitiam non tam veritati, quàm pretio reddunt. Omnia námque cum pretio hodie, sed nec cras aliquid sine pretio obtinebis. Nocent sæpius, & in eo dæmones imitantur, quòd tunc prodesse putantur, cùm nocere desistunt, exceptis paucis, qui nomen & officium pastoris implent. Sed & ipse Romanus Pontifex omnibus gravis, & ferè intolerabilis est*, &c.

XCIII. Aperto verò ore Episcopi, Canonici & Clerus universus Diœcesis Leodiensis Romanam Ecclesiam Babylonem eodem jam tempore insigniunt. Extat enim in secundo Volumine Conciliorum, eorum ad Paschalem II. ejusmodi responsio: *Quæ major olim fuit confusio in Babylonia, quàm hodie est in Ecclesia? In Babylonia confusio fuit linguæ gentium; in Ecclesia dividuntur linguæ & mentes credentium. Ait Petrus in Epistola sua: Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta. Hactenus interpretabar; ideo voluisse Petrum per Babylonem signare Romam, quia tum temporis Roma confusa fuit idololatria & omni spurcitia. At nunc dolor meus mihi interpretatur, quòd Petrus Prophetico spiritu dicens Ecclesiam in Babylone collectam,* *Cleri Leodiensis ad Paschalem II.*

lectam, prævidit confusionem dissensionis, qua hodie scinditur Ecclesia &c. Qui sint turbines ab Africo, discimus patiendo magis, quàm legendo, de terra horribili, à Romana scilicet Ecclesia, visio dura nuntiata est mihi; inde turbo ut tempestas venit ab Africo. &c. Sed & Petrus Blesensis in Epistola ad Officialem apertè Romam *Babylonem* vocat, monétque Officialem, ut ex ea discedat.

Petri Blesensis.

Tot querelarum causa hærebat in Pontificibus.

XCIV. Miraris causam acerbarum adeò querelarum? Hæret illa in Pontificum maximè Romanorum tyrannide, dominandi libidine, rerum Divinarum contemptu, persecutione Imperatorum & verè fidelium, aliisque profligatæ eorundem mentis natis. Paschalis II. Hildebrandinis partibus addictus Henricum Imperatorem Romæ in Synodo denuo excommunicat, hæresin Henricianam, docentem contemnere bruta adversus Imperatores fulmina, damnat; Episcopos obedientiam sedi Romanæ jurare subigit; Henricum filium seducit, ut Patrem ad deprimenda Imperii insignia compelleret, adeóque serpentinam parenti gratiam referret. Henricum Romam venientem, de investituris omittendis interpellat; ab eodem cùm Episcoporum Regalia, ut priùs promiserat, Imperatori relaxare detrectaret, captus, ut liberationem obtineret, juramenti fide denuo promittit, se Imperatorem nec de investituris interpellaturum ampliùs, nec excommunicaturum: at mox in Concilio Lateranensi fallens fidem privilegium hoc, seu, uti vocabant alii, *pravilegium*, damnat, & laicos investituras, seu jus prodendi Flamines Episcopulósque, & sacerdotia per virgam & baculum confirmandi, sub anathemate dantis & accipientis laici prohibet; (quam in rem plura doctissimus Petrus de Marca *Concord. Sac. & Imp. lib. VIII.* 20. narrans consuli potest) in mortuum Imperatorem ita sævit, ut cadaver Leodii jam sepultum ex sepulchro extrahi jusserit, staréque

Paschalis II. Henricum IV. Imp. ad mortem usque persequitur.

que in ſecreto quinquennium totum coegerit. *Gelaſius II.* Henricum V. diris devovet & excommunicat. Calliſtus II. A. MCXXII. Henrico extorquet, ut juri inveſtituræ renunciaret. Ita Papa abſolutus Rex factus eſt, & dirum Schiſma diúque agitatum exſpiravit. Quanquam alia etiam Schiſmata horrenda idem ſeculum exercuerunt; frequentiſſimis ſcilicet Antipapis, cùm ſederent Paſchalis II. Gelaſius II. Calixtus II. Honorius II. Innocentius II. Alexander III. Taceo Innocentium II. à Lothario Imperatore juramentum fidelitatis exigentem, & eundem ante pedes ſuos proſtratum, coronámque Imperii expetentem, Antichriſtiano faſtu, in tabula pingi curantem, cum ſuperba inſcriptione; *Rex venit ante fores &c.* denique Ludovicum VII. eò quòd Gallicanæ Eccleſiæ libertates defenſitaret, anathemate obſtringentem. *Eugenium III.* quem bellum cum Romanis gerentem ſic Bernhardus pullavit: *Habent hæc infirma & terrena Reges, Judices, Principes terræ. Quid vos alienos fines invaditis? Sibi Sarculo opus eſt, non ſceptro, ut opus facias prophetæ*, &c. Hadrianum IV. cum Hildebrandi nequitia paria facientem, utpote qui tum Imperium Romanum contendit eſſe Papale feudum, coronam & dignitatem Imperialem Papale beneficium; óque nomine Friderico Barbaroſſæ impotenter inſultavit, compellens ei de equo deſcendenti ſtrepam ſiniſtram tenere, uti Helmoldus *Hiſtor. ſclav. lib.* 1. ſcribit, eundémque Majeſtatem tueri conatum excommunicans; tum Hiberniam & omnes inſulas ad jus B. Petri pertinere pertendit; tum denique Guilhelmum Siciliæ Regem ad pedes ſuos proſtratum, Siciliam omnem patrimonio Petri conſecrare ſubegit. *Alexandrum III.* qui pulſo Victore, palam aſſerente, *Alexandrum Antichriſti tempora præfigurare, in Templo Dei ſedere, oſtendentem ſe, tanquam ſit Deus, abominationem deſolationis, ſtantem in loco ſancto eſſe*; & Papæ in Concilio

Calliſtus II. ab Henrico V. jus inveſtituræ extorquet. Papa ſit Rex abſolutus & Schiſma expiravit.

Paparum quorundam ſubſequentium Antichriſtianus in deterimendis Impp. & Regibus faſtus ſecutus Innocentii II.

Eugenii III.

Hadriani IV.

Alexandri III.

cilio Alexandro prælato, aliisque etiam Antipapis superatis Papatum rapuit; Henricum II. Anglorum Regem, insimulatum quòd conscius esset necis Thomæ Bequeti (qui protestatus licet, *Romam factam esse meretricem*, ab Alexandro inter Martyres relatus est) nudum virgis cædi à Religiosis jussit, dicente uno Legatorum ejus: *Domine noli minari. Nos enim nullas minas timemus, qui de tali curia sumus, quæ consuevit imperare Regibus & Imperatoribus*; in Waldenses persecutionem immanem excitavit; Cardinales in Concilio Laterani habito ad supremæ potestatis apicem evexit; Fridericum Barbarossam, cujus filius Otto à Sebastiano Venetorum Duce maritimo prœlio victus, & Venetias ad Papam captivus abductus ibidem inter Patrem & Papam pacem conciliavit; Venetiis, quò postero die ipse Imperator se contulit, indignissimè habuit, collo eius ad pedes suos provoluti compresso, additisque ex Psalte vocibus: *super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis leonem ac draconem.* Cúmque honorem huncce χαμευνίας se Petro, non Alexandro habere Imperator protestaretur, denuo deprimens collum Cæsaris, respondit: *Et mihi & Petro*, teste Historia Veneta, antiquissimo in primis Codice Chronico Venetiis asservato, aliisque etiam pluribus à Viris doctissimis, Gerhardo *Præfat. in part. 2. Confess. Cath.* Wagenseilio *de Impp. XI. & XII. Seculi*, & Reisero *Romæ Non-Gloriosæ pag.* 467-481. copiosissimè allegatis: *Urbanum III.* Anathematis fulmen in Fridericum eundem intorquentem, & majora etiam moliturum, nisi fatis præpeditus esset; *Clementem III.* & Danos, qui sacerdotes conjugatos retinebant, excommunicantem, & Philippum Gallorum Regem (cui Messinæ Abbas Curatii Joachimus, explicans Apocalypsin, dixit, *Antichristum jam Romæ natum esse, & in sede Apostolica sublimandum*) jussa ejus detrectantem, ejusdem fulminis metu nequicquam

Urbani III.

per-

percellentem: *Cœleſtinum III.* Coronam inter pedes ſuſten- *Cœleſtini III.*
tatam, proſtrato ad pedes Pontificis Henrico VI. offeren-
tem, & mox capiti ejus impoſitam denuo proturbantem,
& pede percutientem, ac in terram dejicientem, documentum
ſcilicet imminentis ipſi fortunæ, ſiquidem exemplo Paren-
tis Friderici Ænobarbi Pontificis frœnum admordere præ-
ſumeret; Baronio *ad A.* MCXCI. *n.* 10. Franciſco Carriere
Chronol. Pontif. ex Rogerio aliiſque horribile ſcelus neuti-
quam diſſimulantibus; ſacris toti Franciæ ob divortium
Philippi Regis ab Ingeberga, interdicentem, & adverſus
Henricum Imperatorem excommunicationis ſententiam
machinantem: denique *Innocentium III.* fabrum Capituli *Innocentii III.*
Venerabilem, *lib.* 1. *Decret.* 6. in quo jus ſibi vendicavit ele-
ctum Cæſarem examinandi approbandique, ſi ſit idoneus,
rejiciendi contra, ſi ſit indignus; imò etiam eligendi, ſi E-
lectores eligere nolint; ac, ſi Electorum ſuffragia paria ſint,
gratificandi utri parti velit. De cujus impietate plura infe-
riùs dicenda ſe offerent.

XCV. In primis autem hoc ſeculo ad ſtabilimentum ſa- *Verbi Divini Majeſtas & legum humanarum authoritas Theologiæ Scholaſticæ, & juris Canonici præſidiis hoc ſeculo infringi cœperunt.*
cræ Monarchiæ Pontificibus graſſari duobus modis placuit.
Obſtare ſuis moliminibus Verbi Divini Majeſtatem, &
legum humanarum authoritatem animadverterunt facilè.
Ad convellendum igitur & labefactandum utrumque hoc
præſidium hanc ſibi viam muniverunt, ut refractis juris di-
vini & humani clauſtris, ad ſuum arbitrium libidinémque
omnia miſcerent temperaréntque: juríque adeò Cæſareo
jus Pontificium, Divino vero Theologiam Scholaſticam
opponerent.

XCVI. Erat ea ætate recens juris Romani ſeu Cæſarei *Juris Canonici origo & progreſſus.*
reparatio, & in forum quaſi poſtliminii jure reductio,
Irnerii opera, Lotharii verò authoritate ſuſcepta. Id ve-
rò tanquam frœnum ſuis cupiditatibus injectum, ut elu-
deret Pontifex, callidè jus novum ex Pontificum decre-

tis seu statutis compilatum protulit, quo scilicet ad firmandum Regnum suum commodè uteretur. Cui rei operam strenuam navavit Gratianus Monachus Bononiensis, qui ad imitationem Juris Civilis Pandectarum, ex veterum Conciliorum decretis, Patrúmque scriptis, composuit decretorum opus, quod Juris Canonici fundamenta, Regníque Pontificii nervos continet. Factum id est circa Annum Christi MCLI. auspiciis Pontificis summi Eugenii III. qui opus ad umbilicum perductum authoritatis suæ robore firmavit, prælegíque etiam in Academiis curavit. Gratianum Ducem secuti sunt alii; Gregorius quidem IX. ad imitationem Codicis Justinianei, operâ Raymundi Barcinonensis, Decretalium libros ex Pseudepigraphis Romanorum Pontificum Epistolis, A. MCCXXVII. conflavit & publicavit, quibus Eugenii decretis quasi alas circumdare voluit. Bonifacius verò A. MCCXCIV. circiter opera usus Richardi Senensis, Berengarii Widerensis Episcopi, & Wilhelmi Eberodunensis Archiepiscopi, sextum Decretalium librum, in quo suas & antecessorum proximorum constitutiones novas ex novellis constitutionibus expressit, adjecit. Qui tamen, quòd maximam partem flagrante adversus Philippum Galliarum Regem odio cusus esset, in Gallia, teste Duareno, *Præfat. lib. de Sacr. Eccl. minist. pag.* 2. receptus non fuit. Tandem A. MCCCXVII. Johannes XXII. inchoato pridem operi fastigium impositurus, Clementinas Institutiones, Extravagantésque edidit, mandans severè, ut in judiciis & scholis usurparentur. Utque adeò à pluribus & majori cum applausu jus hoc sacrum acciperetur & excoleretur, Doctores etiam Juris Canonici creati sunt Bononiæ, additis constitutionibus de promotione & ritibus in ea adhibendis. Canonistarum nomine tales posthac venerunt, quos *Papalis Monarchiæ Janizaros* nonnemo rectiùs insignivit.

XCVII.

XCVII. Ita jure, tanquam septo quodam, dominationem suam Pontifices muniverunt. Quo verò jure? Validissimo utique omnium; utpote quod Papam tum supra omnes creaturas effert, Imperatores, Reges, Principes & mortales quosque ei subjicit: tum legibus etiam solvit, & ἀνυπεύθυνον, hoc est, nullis rationibus reddendis obnoxium pronuntiat. Alibi omnia jura in scrinio pectoris ejus recondit; alibi omnis creaturæ Dominum constituit; alibi auro Pontificem summum, Imperatorem verò plumbo, alibi eundem soli, Imperatorem verò Lunæ, comparat; alibi Imperatorem facit ferram, quæ, nisi à Pontifice trahatur, navare & efficere nihil queat; alibi nullius judicio subesse Papam, alibi à potestate seculari nulla vel ligari, vel solvi posse, scisscit. Vin' textus eam in rem? Paucos prodere lubet. Dist. 19. cap. 2. Sic omnes. *Leges Romæ servandæ sunt, tanquam ipsius Petri voce pronuntiatæ.* Ib. cap. 3. in memoriam. *Quod Ecclesia Romana jugum imponit, etiamsi tolerabile non sit, perferendum est.* Dist. 40. C. Si Papa. *Si Papa innumerabiles populos catervatim secum ducat in gehennam, culpam redarguere nemo Mortalium præsumat. Quia cunctos ipse judicaturus, à nemine judicandus est.* Dist. 22. cap. omnes. *Christus beato Petro æternæ vitæ clavigero terreni simul & cælestis imperii jura commisit.* Dist. 96. cap. 10. Si imperator. Item cap. 12. *Imperator debet subesse Papæ, non præesse.* Extravag. comm. lib. 1. tit. 8. *Uterque ergo in potestate Ecclesiæ, spiritualis sic. gladius & materialis. Ille sacerdotis, is manu Regum & militum, sed ad sacerdotis* (Papæ) *nutum & patientiam. Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem spirituali subjici potestati.* C. 6. Solicitæ. X. de major. & obed. *Duo præsunt mundo luminaria magna, Sol atque Luna. Solis locò Papa est, Cæsar verò Lunæ.* cap. unam sanctam. De major. & Obed. Extravagant. Com. *Ad salutem necessarium est, omnes homines Pontifici Romano subsint.* Extat denique *tit.* 9.

Eo jure Majestas Papalis munita validissimè.

de jure jur. lib. 2. Clem. expressa jurisjurandi formula, qua ad fidem & obedientiam Papæ Imperatores diserte obligantur.

Theologia Scholastica juri Divino succenturiata. Quæ hinc facies Ecclesiæ emersit.

XCVIII. Ex altera verò parte Pontificiis conatibus Divini Verbi vis atque Majestas obstitit. Hanc ut retunderent, inducta est eadem ætate *Theologia Scholastica*, qua ex humanis traditionibus & commixtione Philosophiæ religio Divina posthac comprobari cœpit; curiositate inutili veram Theologiam fœdante, uti jam olim Trithemius questus est. Parens hujus Theologiæ fuit Lanfrancus, qui A. MLXXI. Archiepiscopum Cantuariæ egit, quem in eodem munere & professione A. MXCIV. Anshelmus, mox Hugo de S. Victore, & circa A. MCXXVII. Petrus Lombardus, Magister sententiarum, exceperunt. Theologiæ hujus historiam & crisin alibi fusius prosecuti sumus. Desitum sic est legere libros Propheticos & Apostolicos, qui fontes Ecclesiæ limpidissimi & saluberrimi sunt, & id totum habitum ratum fuit, quod vel Magister sententiarum docuisset, vel Romana Ecclesia approbâsset, aut decrevisset. Ita Ecclesia Christi alligari cœpit Ecclesiæ Papæ, & Ecclesia universalis Catholica restricta est ad Ecclesiam particularem Romanam, quæ non ampliùs verbum Dei, sed decreta Papæ & figmenta hominum professa est. Nec libertati Evangelicæ aliquid relictum, sed paulatim subjecta omnia sunt servituti Pontificiæ, ut à Scriptura, quàm à Decretis Papæ recedere tutius longè fuerit. Et quod rei caput est, turpissimo mercatu venalia facta sunt, quæ Christus credentibus in se gratis offert: detrectantésque imperata Papæ ilico supplicii metum, vel periculum capitis subire coacti sunt.

Non ideirco Ecclesia Christi extincta est; quin potiùs passim numerosi cœtus sese corruptioni publicæ opposuerunt.

XCIX. Neque tamen sic Ecclesia Christi extingui, vel portæ inferorum ei prævalere potuerunt. Præterquam enim quòd in medio Papatu Deus electos suos servavit atque ex ignorantia, qua Pontifices vulgus detinendum

dum censuerunt, id boni consecuti sunt, ut τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ *profunditates Sathanæ*, hoc est, præcipuas & maximè pernicioſas Papatus corruptelas ignoraverint, Divina providentia ita disponente, *ut sub Antichristi sacerdotibus* (ita cum Hilario *contra Antin.* loquimur) *Christi populus non occideret:* quòdque præcipua religionis Tridentinæ capita nondum pro fidei articulis, ne inter ipsos quidem Doctores Pontificios constanter recepta, sed inter doctos controversa, variéque disputata sunt; longéque etiam plurimi sub Pontificia tyrannide ingemuerunt propter abominationes, quas in medio Babylonis grassari viderunt. Non defuerunt etiam in omnibus ferè terris numerosi piorum cœtus, qui Antichristo procedente tempore bellum indixerunt. Cujusmodi erant, quos Papistæ à quodam Petro Waldo Lugdunensi *VValdensium, Pauperum Lugdunensium, & Leonistarum* nominibus insigniverunt. Quam in rem Doctoris Pontificii, qui in rerum Bohemicarum Scriptoribus à Frehero editis extat, quémque esse Reinerum Inquisitorem Pontificium, XII. vel XIII. seculo inclarescentem, ex opere Ingolstadii integriùs edito constat; grave firmúmque testimonium habemus. *Sectæ* (ita ille *pag.* 222, 223.) *hæreticorum ab olim fuerunt multæ. Inter quas omnes sectas, quæ sunt, vel fuerunt, non est pernicioſior Eccleſiæ Dei, quàm pauperum de Lugduno, tribus de cauſis. Prima, quia* DIUTURNIOR. *Quidam dicunt, quòd duraverit à tempore Silveſtri: alii dicunt; quòd à tempore Apoſtolorum. Secunda eſt, quia* GENERALIOR. *Ferè enim nulla terra eſt, in qua hæc ſecta non ſerpat. Tertia, quòd omnes aliæ cum immanitate blaſphemiarum in Deum horrorem inducant, hæc Leoniſtarum magnam habet ſpeciem pietatis, eò quòd coram hominibus juſtè vivant, & bene omnia de Deo credant, & omnes articulos, qui in Symbolo continentur; ſolam Romanam Eccleſiam blaſphemant & oderunt; cui multitudo facilis eſt ad credendum.*

C. De

Waldensium origo & dogmata. Oppugnantur varie.

C. De origine Waldensium seu Albigensium varias opiniones Cl. Usserius *de Christ. Eccl. Success. cap. 8. p. 257. &c.* Forbesius, Legerus, aliique referunt. Ad seculi XII. annum MCLX. vel MCLXX. adeóque tempora Hadriani IV. vel successoris Alexandri III. plerique revocant. Alii etiam altiorem originem pandunt. De eo quicquid sit, hoc, quod tractamus, seculo XII. nomen eorum innotuisse, & Pontifici Cleróque ejus exosum supra modum fuisse, satis constat. Crimini illis datum, quòd à praxi & doctrina recepta Ecclesiæ Romanæ recederent: quòd Ecclesiam Romanam Babylonem, & confusionis omnis Matrem, appellarent; ejus tyrannidem ac superstitionem ex Scripturis coarguerent: S. Literas in sermonem vernaculum transfunderent; familiaritérque declararent. Impacta iisdem ab adversariis multa sunt, Manichæismi inprimis impietas, non tam ex vero, quàm ad invidiam, uti fieri solet, conflandam, seu quòd revera talia asserentes se iis immiscerent, hoc unum cum iis commune habentes, quòd Pontificis Romani communionem aversati sunt. Excitati mox plurimi Proceres, Episcopi, Viri, Fœminæ, literati, illiterati, qui luce hac capti, & S. Scripturæ deliciis inescati, segreges conventus primò Lugduni, mox Tolosæ & in Gallia Narbonensi, unde in omnem fere Europam, factis velut agminibus, dispersi sunt, instituerunt. Sed oppugnari hoc jam seculo iidem variè cœperunt, à Pontificibus cumprimis, puta Alexandro III. habitis Romæ & in Gallia Synodis, missóque Cardinale, qui Castrum Vauri obsedit; Lucio III. in Generali, quam vocant, Synodo; Clemente III. ac post in primis Innocentio III. sub quo bellum contra eos crudelissimum exarsit. Plurima eam in rem ex monumentis indubiis apud Usserium *loco cit.* legere est.

Seculi XIII. historia Joachimi Abbatis de eo Vaticinium. Paris de Ecclesia Anglicana miserо statu querela.

CI. Ad seculum *Decimum tertium* pergimus. Prædixerat

rat autem jam ante Joachimus Abbas *Comment. in Jerem.* periculosum fore tempus inde ab anno Domini MCC. usque ad ultimos dies. *In quibus*, inquit, *apparebit lex libertatis. Evangelium enim Christi tunc praedicabitur & Ecclesia purgabitur, ut à palea & zizanio triticũ.* Quæ verò seculi hujus facies fuerit, verbis Matthæi Paris *Histor. p.* 411. Ecclesiæ suæ Anglicanæ miseriam explanantis pandere lubet. Sic autem ille: *Temporibus illis ignis caulus fidei cœpit nimis refrigescere, ut pene in cinerem redactus vix videretur scintillare. Jam enim Simonia sine rubore perpetrata, usurarii manifestè diversis argumentis à popularib⁹ & minoribus pecuniam impudenter extorquebant. Exspiravit charitas, libertas Ecclesiastica emarcuit, religio viluit suppeditata, & est facta filia Sion quasi meretrix effrons, non habens ruborem. Quotidie vilissimæ personæ & illiteratæ, bullis Romanis armatæ, in minas stativ erumpentes, reditus à piis Patribus in victus religiosorum & sustentationem pauperũ, & hospitalitatem peregrinorum collatos spretis privilegiis à sanctis nostris antecessoribus indultis, dirripere non formidaverunt. Fulgurantibus enim sententiis sine dilatione raptim postulata receperunt. Quod si ad refugium appellationis vel privilegii recurrerent injuriam patientes & spoliati, statim suspendentes per aliquem Prælatum, authentico Papæ compellente, fecerunt excommunicare. Et sic non prece, non Canonicè, sed imperiosa exactione, simplices spoliârunt, juxta illud Poetæ: Armato supplicat ense potens. Unde factum est, quòd ubi solebant Nobiles & dapsiles Clerici, Ecclesiarum custodes & patroni, circumjacentis patriæ latitudinem sua opulentia nobilitare, transeuntes suscipere, pauperes recreare: ibidem abjectæ personæ moribus vacui, versutia pleni, Procuratores & firmarii Romanorum, quicquid pretiosum interrà fuit & utile, abradentes, dominis suis in remotas terras deliciosè ex patrimonio Crucifixi viventibus, & ex alieno superbientibus, transmiserunt. Erat igitur videre dolorem præcordialem, gemas sanctorum irrigare, querelas erumpere, suspiria multiplicare: dicentibus multis cum singultu ruentato:*

Melius esset nobis mori, quàm videre mala gentis nostræ & sanctorum. Et *pag.* 878. sic exclamat: *O Romanæ curiæ sterilis solicitudo, cæca ambitio! Ecce in tuis jacturis omnes punimur. Omnes enim compatimur; universalis Ecclesia, quæ à Romana tenetur curia defendi, in multis se queritur prægravari.* In eadem Anglia Waltherus Mapez, Archidiaconus Oxonienſis, libro, cui titulus: *Diversa Poëmata de corrupto Ecclesiæ statu*, quem his versibus exorsus est:

Roma mundi caput, sed nihil caput mundum,
Quod pendet à capite, totum est immundum;

nec non altero libro, qui inscribitur, *Apocalypsis Pontificis Goliath*; aliisque etiam adversus Romanam curiam vulgatis Libris Ecclesiæ Romanæ ulcera masculè tetigit.

Innocentius III. alter Hildebrandus in Germania & Anglia cuncta turbis miscet.

CII. Initium seculi hujus Romæ occupaverat Innocentius III. furialis fax multarum turbarum; alterque velut Hildebrandus; qui Abbate Urspergensi συγχρόνῳ narrante, multúmque quiritante, de Imperio certantibus Philippo Henrici defuncti fratre, & Othone Saxoniæ Duce oleum addens, Principibus Germaniæ, ut Othoni obsequantur, mandat, sacramenti erga Philippum nexu Archiepiscopos solvit; & nî pareant, diras interminatur. At Philippo usque quaque victore, ita Othonem ei conciliat, ut hic illius filia ducta Othoni, paulò post trucidato, ex pacto succedat; filia verò Philippi altera nepoti suo nubat, ea spe, ut Hetruria, Spoletum, Marcha Anconitana per hoc conjugium in manum ejus venirent. Anglorum quoque Regis Johannis, quòd Cardinalem Langetonum Cantuariensi Archiepiscopatui obtrudi non pateretur, Regnum interdicto subjicit, primi occupantis arbitrio exponit, Regem exauthorat, subditos sacramento solvit, Philippum Francorum Regem executorem sententiæ facit, ei & Regnum *Angliæ* & remissionem peccatorum ceu laboris præmium, donat; denique cruciatam

tam contra Anglos undiquaque concitat; donec periculis circumventus Rex Angliæ & Hiberniæ Regna in manus Papæ resignaret, & ejus se vasallum profiteretur, magnamque ei pecuniarum vim, salvo Petri denario promitteret, quam etiam, ceu subjectionis arrham Pontificius Legatus pedibus priùs calcatam accepit. Cùmque Rex Papæ sic reconciliatus vindictam adversus Langetonum, aliosque qui adversus se pro Papa steterant, meditaretur, Papa ampliori pecuniæ summa à Rege accepta, suppetias eidem fert, & anathemate ferit eos, qui paulò ante sua adversus Regem imperata fecerant. Quæ fusiùs à Matthæo Paris narrata pium lectorem in stuporem facilè abripiunt. *Toti mundo*, inquiebant Angliæ Episcopi, *propter excommunicationes suas volunt dominari ignobiles usurarii & Simoniales!*

CIII. Celebratum est Pontifice eodem A.MCCXV. Romæ in Laterano Concilium, cui plus quàm mille Prælati interfuisse feruntur. *In actis ejus Concilii cap.* 1. *asseritur, Corpus & Sanguinem Jesu Christi, in sacramento altaris, sub specibus panis & vini veraciter contineri transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate Divina.* Quod *transsubstantiationis* vocabulum in nullo priùs Concilio usurpatum, primus quidam Stephanus Eduensis Episcopus *Tract. de Sacr. Alt. cap.* 13. adhibuit. Concinnati quoque Canones sunt de Confessione peccatorum auriculari quotannis semel edenda, de cura tegendi ea, quæ in confessione aperiuntur. De Chrismate & Hostia includendis & asservandis; de Divorũ reliquiis ex capsa non monstrandis, de fidelitate laicis à clericis non promittenda; de immunitate Ecclesiæ à tributis; de electione civilis Magistratus in sacris beneficiis irrita; de damnatis ab Ecclesia Romana morte plectendis, &c. quibus rebus Regni Pontificii nervus continetur. Scripsit idem Papa sex libros de sacramento Altaris, in quib⁹ præ aliis omnibus Deum Maozim exaltavit. Sacerdotes conjugatos idem

In Concilio Lateranensi Transsubstantiationem, Confessionem auricularem, aliáque definit. Deum Maozim exaltat.

Ordines Monachorum mendicantium quatuor instituit.

igni mancipavit. Denique ordines Monachorum Mendicantium, puta Prædicatorum, Franciscanorum, Augustinianorum & Carmelitarum, totidem videlicet fulcra & sustentacula Ecclesiæ Pontificiæ, *quique*, uti Azorius *Institut. Moral. XIII.* 1. loquitur, *multa præter Monachorum commune jus, institutum, morem ac disciplinam solitam introduxerunt*; idem instituit. Et Prædicatorum quidem, seu potiùs Ismaëlitarum, utpote quorum manus contra omnes, & omnium vicissim contra ipsos, gliscebant; princeps Dominicus, seu mavis Dæmonicus: Franciscanorum verò Franciscus extiterat: Pseudo-prophetarum, qui ea ætate floruerunt, par ignobile; ille Hispanus, hic Italus: hic ab Innocentio, ille à Successore Honorio, comprobatus; à clientibus verò & sectatoribus Christo coæquatus, imò supra Christum evectus uterque; uti detestabiles libri Conformitatum, Bartholomæo Pisano authore editi, & à Gregorio IX. sub pœna hæreseos obtrusi, nec non Antonini Archiepiscopi de Dominico, aliorúmque de utroque, Bonaventuræ cumprimis, qui in vita Francisci à Christo sibi revelatum scripsit, quòd Franciscus sit *Angelus ascendens ab ortu solis*, de quo Apoc. VII. 2. (confer Cl. Usserium *de Success. Eccles. p.* 323. &c.) scelesta scripta testantur.

Dominicus & Franciscus par ignobile.

Waldenſium hiſtoria continuata ſub Innocentio;

CIV. Propagabantur interim in Gallia Waldenses seu Albigenses, qui doctrinam Pontificiæ oppositam strenuè propugnârunt, indeab Alpibus ad Pyrenæos usque montes diffusi. Eis adhæserant etiam Proceres plerique, Raimundus Comes Tolosæ, & S. Ægidii, Regis Franciæ consobrinus, Raimundus Rogerius Biterrarum & Carcassonæ Comes, Petrus Rogerius Gabareti Regulus, Raimundus Foxensis, Regis Aragoniæ propinquus, Guasto Bearnii Princeps: Comes Bigerronum, Comes Carmanii, Raimundus de Thermis, Americus de Monstrolio, Guielmus

mus de Minerbio, & innumeri alii nobilitate insignes. Quos non alio nomine, quàm quòd Ecclesiæ Romanæ corruptelas reprehenderint, vexatos Gulielmus Paradinus in Annalibus Burgundiæ testatur. Innocentius igitur A. MCCVIII. duos primùm Legatos mittit, Episcopum Oxoniensem & Dominicum, qui Colloquium Carmanii cum iis ineant; addito mox Abbate Cistercienſe, cum aliis duodecim ejusdem Ordinis. Ex parte Albigensium Theodorus, Canonicus ante Nivernienſis, Balduinus & Bernhardus de Simorra congrediuntur. Cúmque primoribus illis colloquia non satisfacerent, neque etiam Dominici, quem Innocentius in somniis, uti dicebat, admonitus, ædem Lateranensem aliàs ruinam minitantem sufful turum, delegerat; cuíque post Reinerium & Guidonem Inquisitionis officium mandaverat; concionibus non moverentur quicquam; ad asperiora consilia Papa deflectens, Raimundum Comitem, cujus præcipua erat authoritas, Sacrorum Communione, aqua & igne interdicit; & in ejus sociorúmque, perinde ut in Saracenorum, capita sæviendi potestatem, iisdem etiam promissis indulgentiis, concedit; denique crucem in infideles olim, prætextù saltem, assumptam, crucifigendo verè in membris suis Christo adhibet. Ubi strenuam Papæ operam Monachi Prædicatores navârunt, qui sumpto hujusmodi themate: *Quis consurget mihi adversus malignantes, aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem* (Psal. XCIV. 16.) concíones ad populum habitas tali Epilogo claudere consueverunt: *Ecce videtis, charissimi, quanta est malitia hæreticorum! Videtis etiam, quantum nocent in mundo! Videtis, quàm piè laborat Ecclesia eos revocare. Sed apud tales nihil ista poterunt proficere. Et ideo sancta mater Ecclesia contra eos convocat exercitum Christianorum. Quicunque igitur habet zelum fidei &c. veniat & accipiat signum crucis, adjungat se* mili-

Cruciatam militiam & Prædicatores Monachos adversus eos concitants.

militiæ crucifixi, &c. Fregítque primus cruciatorum certatim concurrentium impetus Raimundum, ut obsequium Pontifici sponderet, quem mox Almaricus, Pontificis Legatus, exercitûs & ipse Dux, stola collo injecta, flagris Templum intrare compellit, ditionibus ejus omnibus Simoni Montfortio Comiti in Lateranensi Concilio resignatis: qui tamen paulò post Raimundo & Albigensibus animos virésque recolligentibus, Tholosam obsidens ictu lapidis misere periit, & Albigensibus victoriam cessit. Sed dispersi magis Albigenses variam fortunam experti sunt. Author enim Trithemius, & ante ac post eum alii, Argentinæ octoginta combustos fuisse, inque vicino agro trucidatos centum uno die. In Italia Nauclerus doctrinam hanc mirificè tum in equestri, tum in plebejo ordine crevisse narrat. Bruschius Moguntiæ triginta novem ustulatos scribit. Nec quicquam deinceps frequentius: cineribus quippe his, tanquam difflante Dei Spiritu, in omnes Europæ fines disseminatis. Horribilis cum primis Inquisitor Generalis, Frater Conradus de Marpurg, eodem Trithemio teste, miseros judicio ferri candentis, si negâssent hæresin, probare consuevit. *Quos* enim, inquit ille, *exussisset ferrum, velut hæreticos judicio seculari comburendos tradidit. Unde paucis exceptis omnes, qui semel fuissent accusati, & ad ejus Examen perducti, per eum ad incendium condemnabantur. &c. Eodem die, quo quis accusatus, sive justè, sive injustè, nullius appellationis, nullius defensionis sibi refugio proficiente damnatus, & crudelibus flammis injectus est.* Non idem tamen eorum fatum fuit in Lombardia, Provincia aliisque regnis, *in quibus* (ita hostis illorum infensissimus Rainerius scribit) *plures auditores habebant, & in publico disputabant, & populum vocabant ad stationes solennes in foro, & in campo, & in lectis prædicabant. Non erat qui eos impedire auderet, propter potentiam & multitudinem fautorum suorum. Inquisitioni & exa-*

Diversum eorundem fatum.

mina-

minationi frequenter interfui, & computatæ sunt 40. *Ecclesiæ, quæ hæresi infectæ fuerunt. Ac in sola Parochia Cammach fuerunt decem scholæ hæreticorum.* Eam porrò Albigensium historiam Celeb. Usserius *de Succeſſ. Eccleſ. cap.* 9. *&* 10. ex monumentis certissimis eruit.

CV. Innocentii successores, Honorius puta III. Gregorius IX. & Innocentius IV. adversus Fridericum II. Imperatorem Sapientissimum fortissimúmque, virtutum plurium concentu pœne incomparabilem, πολυγλώτταον (nam Græcæ, Latinæ, Saracenicæ Linguæ callentissimus fuit) conceptum odium inexpiabile atrocibus cum eo certaminibus prodiderunt. Longæ sunt ambages, injuriæ verò acerbissimæ. Fuit is Innocentii III. post excommunicatum Othonem pupillus. Anno verò MCCXX. Imperium capessens, & in Italiam iter molitus, Conradum Episcopum Spirensem Cancellarium cum ampliſſimo mandato præmittit. Eum Honorius diplomatum, in quibus se Regem Romanorum & Siciliæ ferebat, tenore, & quod à Principibus Italiæ juramentum fidelitatis, aliáque jura, *ita ut ab eo nulla appellatio fieret*, postularet, offensus, fecialem interpretatur, ipsique Friderico Italiam ingressuro nullum non negotium facessit. Mediolanenses, eo instigante, Legato portas occludunt; aliæ urbes idem parant. Cæsar illos nihil moratus, Romam pergit, & Urbium Legatos eodem sequi jubet. Ibi à Papa coronari petit, oblato juramento solito. Annuit Papa, sed ea lege, ut in certum tempus expeditionem sacram suscipiat. Nihil enim Papæ antiquius erat, quàm ut sudem hunc in oculis procul ab Italiæ finibus & rebus amandaret. Fridericus Sicilia lustrata, & statu Regni ejus composito, nec non Conrado in Italia relicto, in Germaniam revertitur, ibíque biennium, non sine Papæ tædio consumit. Inter has moras A. MCCXXIII. Johannes Brennensis, seu *de Bregna*, Rex Hierosoly-

Honorii III. Gregorii IX. Innocentii IV. adversus Fridericum II. inexpiabile odium, & diræ molimina.

Historia certaminis fusè narrata.

ſolymitanus Romam appellit, cui Papa ſuadet, filiam Jolandam Friderico deſpondeat, & Regnum Hieroſolymitanum eidem deſtinet, ea tamen lege, ut infidelibus illud eripiat. Accipit conditionem Fridericus, excipiens tamen biennium componendis rebus Lombardiæ. Honorio A. MCCXXVII. Gregorius IX. ſuccedit; quo urgente Fridericus expeditioni ſacræ ſe accingit, ſed vix tridui ſpatio ſulcato mari, morbo preſſus littus repetit. Hic Papa in eum debacchari, anathema denique vibrare. Fridericus verò rebus Siculis compoſitis (eorum enim gratia morbum ſimulâſſe putabatur, gnarus Papam Siciliæ inhiare) cum claſſe Palæſtinam adit, excandeſcente Papa, quòd id nondum ſibi reconciliatus tentaret. Proin Apuliam invadit, ſocias Lombardiæ urbes in Fridericum accendit, denique totam Italiam factionibus Guelforum (qui à Guelfone Bavariæ Duce, ita dicti, à partibus Pontificiis ſtabant), & Gibellinorum (qui à villa Giblingen, in qua Fridericus Dux Sueviæ à nutrice lactatus fuerat, ita dicti, Imperatoriarum partium erant) factione jam ante Innocentio II. Pontifice cœpta, miſcet. Fridericus cœptis inſiſtens Hieroſolymam capit, diadema ibi recipit, & res Chriſtianas conſtituit. Gregorius & unà cum eo Templarii ac Hoſpitalarii cum Sultano adverſus Fridericum conſpirant, eumque, ut ad Jordanem eum opprimat, rogant. Sultanus horrens Papæ perfidiam, ejus literas Friderico mittit, qui inducias cum eo pactus Italiam repetit, cum quo Papa, metuens pœnam perfidiæ, pacem exambit, diſſoluto anathemate. Pax certis legibus facta eſt. Fridericus pedes Papæ oſculari juſſus, vix ſumma genua amplectitur & oſculatur, indignante denuo Papa, & gliſcentibus odiis Fridericum in die S. Cœnæ ante Paſcha iterum excommunicante; denique filium Henricum adverſus Patrem nefariè inſtigante. Hic verò ſe defendere certus, Papæ hos verſus miſit:

Roma-

Roma diu titubans; longis erroribus acta,
Corruet, & mundi desinet esse caput.

Post Romam cum exercitu petit, & Papam cum cruciatorum, & Venetorum, quos sibi fœdere univit, exercitu se ei opponentem vincit, sacratúmque hunc exercitum orco mactat; mox etiam Romam petens, Papæ, qui nudis pedibus capita Petri & Pauli circumgestaverat; exercitum turpiter fundit. Induciæ ita pactæ ad Concilium usque, quas iterum Papa, pecuniis in Gallia sacræ expeditionis prætextu corrogatis, abrumpere tentaverat. Qua re cognita Rex Galliæ pecuniam in Regno suo collectam Pontificio Legato extorquet, sibíque servat. Pergit Papa Friderici subditos fidelitatis sacramento solutos, aliósque etiam adversus Fridericum bullis per Albertum Beham clam emissis, & tentatis etiam ejus consiliariis, concitare; Conciliúmque Romæ habendum, ad quod Episcopos sibi devotos vocavit, indicit. Erumpit hæc conjuratio, in Italia tum hærente Friderico. Cujus partes in Germania gnaviter suscipit ejus filius Conradus, quo monitore nec Episcopi, nec Abbates Germaniæ bullis parent, protestati, nullum jus esse Papæ in Germania, Episcopis non conscis & consentientibus. *Ipse suos Italos pascat*, inquiunt; *Nos à Deo constituti canes à nostris ovilibus lupos ovilla pelle tectos arcebimus.* Fridericum excommunicatum Eberhardus Episcopus Salisburgensis absolvit. Mox una cum Othone Bavariæ Duce Ratisbonæ Episcopi conveniunt, ubi Salisburgensis gravi & σηλίευτικῇ Oratione Pontificem cum suis *Pharisæos*, *flamines Babylonis*, ipsum denique *Antichristum* esse non perfunctoriè, sed prolatis ex Apocalypsi & S. Paulo testimoniis ostendit; simúlque ut maturè ei obviam eatur, & Albertus ejus emissarius, ac incendiarius, proscribatur, monet. Episcopis contra Pontificiarum partium Romam ad Concilium properantibus, Imperator

salvum conductum promisit, si terrestri, non maritimo, itinere eò tenderent. Sed Episcopi hi parant Classem viginti sex navium, quibus Imperatoris filius Conradus viginti & unius navium apparatu instructus ita occurrit, ut captis viginti navibus, & tribus submersis, Prælatos hosce vicerit, & Pontificis ipsius urbes invaserit. Unde Papa mœrore animi confectus, cùm adversa omnia ei accidérent, mox die XXI. Aug. A. MCCXLIV. oppetiit. Ei Celestinus IV. & huic post septendecim dies mortuo, & anni unius & octo mensium inter-Pontificio finito, Innocentius IV. succedit: qui præterquam quòd in Anglia & in Gallia turbas gravissimas, à Matthæo Paris graphicè depictas, excitavit; etiam Friderici, cui ante Papatum amicus fuerat, acerrimum sese hostem gessit. Concilio enim Lugduni indicto, & die XXVI. Jun. A. MCCXLV. inchoato Cæsarem eò evocat, non venientem gravissimè accusat, horrendis devotionibus imperio indignum pronuntiat, abdicat & sacrorum etiam communione privat. Cujus quidem Conciliabuli iniquum decretum cùm ab aliis, tum nuper à Sorbonista Launojo *Epist. lib. 7.* solidè confutatum est. Sic tamen devotus Imperator eodem anno Italiam invadit, Mediolanenses graviter affligit, Papam ipsum eas in angustias redigit, ut excommunicationis eum pœnituerit. Nihilominus ille pecuniis undique corrasis Henricum Thuringiæ Landgravium, per juratos Friderici hostes Moguntinum & Colonienſem, Imperatorem eligi curat, & Friderico Sicarios immittit, qui deprehensi capitis supplicio nefas luerunt. Henricus quoque vulnere ad Ulmam accepto d. VII. Feb. A. MCCXLVIII. defungitur. Ejus in locum, annitente Papa, Wilhelmus Hollandiæ Comes substituitur; sed premente Conrado, Friderici filio, cedit. Papæ Romæ iterum duos sicarios, & inter eos Petrum de Vineis, quem antehac fidum Impera-

peratori auro corrupit, ſubornat, qui ab Imperatore in ſirum caput emiſſi fingebantur, velamen patrandi ſceleris. Detecta fraude, alter medicus ſuſpenditur. Petrus de Vineis oculis privatus circumducitur per urbes Italiæ, ut crimen ubique profiteatur, tandémque metu gravioris ſupplicii capite columnæ, cui alligatus erat in carcere, alliſo, ſe ipſum enecat. Prædictum autem Friderico fuerat, eum in caſtro quodam Florentino moriturum. Florentia igitur ſemper vitata, die XIII. Dec. A. MCCL. in arcem quandam Apuliæ, quæ Florentina dicebatur, veniens morbo corripitur & XXVI. ejuſdem menſis, cùm annos XXXVIII. imperâſſet, fato defungitur. Ægrotum à filio notho Manfredo, inſtinctu Papæ, pulvillo in os conjecto extinctum nonnulli memorant, contradicentibus tamen aliis, Collenutio inprimis in ejus Vita. Ab ejus morte per annos fere viginti duos interregnum fuit, cùm ſubinde alii & alii eligerentur, qui tamen in ea temporum perturbatione à Pontificibus invecta ſummam rei non tenebant. Perpetuis etiam ſimultatibus & inimicitiis defatigati Cæſares paulatim remiſſiores facti, Italiam deſeruerunt, & tantùm non Pontificibus, tantis ſcilicet turbarum Æolis, ſuccubuerunt.

Poſt mortem Friderici Cæſares remiſſiores facti Pontificibus ſuccumbunt.

CVI. Implacabilis verò adverſus Fridericum Imperatorem odii à Pontificibus Romanis concepti cauſas his fere verbis Aventinus, *Annal. Boj. lib. VII. p.* 411. pandit: *Ejus* (Friderici) *potentia, vires, prudentia, magnitudo animi, rerum bellicarum peritia, vicinitas* (*nam in Italia contra morem veterum Imperatorum habitabat, Germaniam per filium adminiſtrabat, bis duntaxat ex Italia in Germaniam egreſſus*) *formidoloſa atque ſuſpecta fuere Romano ſacerdotum ſenatui. Quod Gregorius IX. Pont. Max. non it inficias, ſed ingenuè fatetur. Viſum eſt ſtaminibus Romanenſibus Imperium Romanum magis florere, quàm ipſis utile foret. Placuit id contundere, atque diſcor-*

Cauſæ odii illius veræ ex Aventino promuntur.

dia non solùm debilitare, sed in cineres quoque atque favillas redigere, & Fridericum huncce à fastigio rerum humanarum deturbare.

Friderici Epistola ad Othonem Bavariæ de Pontificum Rom. tyrannide, Antichristianismo, gravissima.

CVII. Operæ etiam pretium nonnullum hic facturus videor, si tum ipsius Friderici II. tum Eberhardi etiam Salisburgensis Archiepiscopi adversus Romanam curiam orationes gravissimas, ab eodem Aventino descriptas, lectori repræsentavero, cùm institutum nostrum propius attingant. Fridericus igitur Imperator ad Othonem Bavariæ Ducem, reliquósque Germaniæ Principes literas mittit, quarum, teste Aventino *Annal. Bojor. lib. VII. p.* 416. 417. hæc sententia fuit: *Pontifices Romanos auctos divitiis & dignitate à se atque cæteris Imperatoribus, æmulos esse pertinacissimos omnium Regum atque Principum, neque parem ultra ferre posse. Manibus pedibúsque, noctes diésque id eos conari, ut non tam se, quàm sacrosancto Romano Imperio tamquam capite oppresso, facilè cæteris membris omnibus servitutem imponant: affectare eos dominationẽ atque Divinitatem, nempe ut ab omnibus haud aliter, imò magis quàm Deus timeantur. Nam multos Antichristos inesse Romanensibus illis, nec ullos alios, quemadmodum opera ostendunt, exitio Christianæ religioni esse. Se quidem optimè sentire de Christo atq; ejus religione prædicat, nihilq; magis cupere, quàm ut suo tempore Respub. Christiana pristinam Majestatem, simplicitatem & pacem recuperet. Quod fieri nequaquam potest, nisi spinæ eradicentur, hoc est, ambitio, superbia, fastus, luxus, sacerdotum Romanorum, subtractis opibus atque divitiis, extirpentur radicitus. Copia rerum sapientissimos quoque corrumpere solet. In rebus Divinis non solùm Episcopum Romanum, sed unumquemque sacerdotem sibi Patrem fore, modò rebus prophanis sibi commissis abstineat, proponit. Imperium Christianum, cujus ipse caput constitutus sit à Deo, non armis, non vi opprimi posse; sed luxuria, cupiditate, quæ radix omnium malorum est, enervari, adulterari, corrumpi. Quod ne fiat, se obviam iturum, se summopere pro commisso sibi*

à Deo

à Deo negotio, potestate ense q; Divinitus tradito contra eni surum, ut ovili Pastorem, populo Pontificem, mundo parentem, detracta persona lupi, tyranni atque Domini restituat: ut eundem abdicata regnorum, humanarum litium cura, prophanorum negotiorum administratione, quibus illi interdictum sit, ad amulanda pauperis Christi, cujus se vicarium jactitat, vestigia cogat; se amplius non passurum, ut Christianæ plebi lupus ovina pelle tect⁹ diutius imponat. Opus vel maximum pietatis esse atque charitatis, gratissimum immortali Deo, opes & aurum, irritamenta malorum sacerdotibus auferre. Nam hæc, inquit, perniciem esse religionis, adeò ut humo ille, qui dicitur Papa, divitiis nimiùm auctus, maximo pietatis Christianæ detrimento, omnia sibi licere more tyrannorum pessimorum putet, rationem actuum nemini, quasi sit Deus, reddere velit: Id quod soli Deo convenit, usurpet; se errare ullave mendacii religione adstringi non posse, credi sibi impudentissimè simulque imperiosè postulet. Fraudes, dolos, commenta, fucum taceri; sibi ut vicino eum intus & in cute notum esse. Proinde quicunque rem Christianam salvam esse velint, faveant, adsint, & causam Christi servatoris nostri, omnium denique Christianorum agenti, bene precentur. Post missis ad Wenceslaum Regem Bojemiæ legatis inter alia nunciat; *jam pridè eos, qui Babyloniæ, hoc est, Romæ Templo Dei incubent, Divinitatem affectare, & astutè id dissimulare, solásque Germanicas vires ab his timeri.* Similes Augusti hujus sermones graphicos etiam Matthæus Paris *Hist. Major. pag.* 483. ad Comitem Cornubiæ Richardum, & *pag.* 502. 503. ad Angliæ Regem, nec non *pag.* 680. 681. &c. ad Proceres Angliæ describit.

CVIII. Eberhardus verò Salisburgensis Archiepiscopus, quem Archimystam Juvaniæ Aventinus insignit, oratione ejusmodi, eodem Aventino *lib. VII. p.* 420, 421. narrante in Reginoburgensibus Comitiis A. MCCXLI. habuit: *Christus Servator, Dominus & Deus noster relicto æthereo solio atque, ut ita loquar, immortalitate, mortalis paupérque effectus est,*

Eberhardi Salisburgensis Archiepiscopi Oratio adversus Hierarchiam R. Babylonios flammis pœtheica.

est, ut nos immortales atque divites efficeret. Cúmque devictis inferis, triumphabundus rursus in cœlum rediturus esset, pacem suam nobis dedit, pacem suam nobis reliquit, concordiam atque mutuum amorem, tanquam notam atque tesseram, qua cives sui à militibus inferi Jovis discernerentur, assignavit. Summo opere quoque admonuit, ut falsos Christos, falsos prophetas vitaremus, qui tecti pelle ovina, nimirum Christiano nomine atque Pontificio titulo, nobis dominari atque illudere cuperent. Quos ex spinis atque operibus, nempe avaritia, luxu, contentione, odio, invidia, bellis, discordiæ malis, libidine dominandi, ambitione, cognosci debere docuit. Quidnam apertius hisce verbis, quàm Babylonis Pharisæos atque Scribas, Cœlestis Imperator indicavit? Sub Pontificis Max. titulo, pastoris pelle, lupum sævissimum, nisi cæci sumus, sentimus. Romani flamines arma in omnes habent Christianos, audendo, fallendo, & bella ex bellis serendo magnificti, oves trucidant, occidunt, pacem, concordiam terris depellunt, intestina bella, domesticas seditiones ab inferis eliciunt, &c. Non Pontifices more gregi consulunt, sed potiùs immanitate tyranni, licẽter debacchantur. Justitia rarescit, impietas, avaritia, cupiditas honorum, pecuniæ studium crebrescit, &c. Flamines illi Babyloniæ soli regnare cupiunt, ferre parem non possunt, non desistent, donec omnia pedibus suis conculcaverint, atque in templo Dei sedeant, extollantúrq; supra omne id quod colitur. Fames opum, sitis honorum inexplebilis est. Qui servus servorũ est, dominus dominorum, perinde ac si foret Deus, esse cupit. Sacros cœtus atque concilia fratrum, imò dominorum suorum, aspernatur. Timet, ne eorum, quæ adversus auspicia, leges, intercessiones indies magis atque magis gerit, rationem reddere cogatur. Ingentia loquitur, quasi verò Deus esset. Nova consilia sub pectore volutat, ut proprium sibi constituat imperium: leges commutat, suas sancit, contaminat, diripit, spoliat, fraudat, occidit perditus homo ille, quem Antichristum vocare solent, in cujus fronte nomen contumeliæ scriptum est: Deus sum, errare non possum. In Templo Dei sedet, longè latéque dominatur. Sed

sicut

ſicut in arcanis S. literarum, qui legit, intelligat: docti intelligent, omnes impii impiè agent, neque intelligent. Imperator vana appellatio & ſola umbra eſt: Reges decem pariter exiſtunt, qui orbem terræ, Romanum quondam imperium, non ad regendum, ſed ad conſumendum partiti ſunt. Decem cornua, id quod D. Aurelio Auguſtino incredibile viſum eſt, Turcæ, Græci, Ægyptii, Afri, Hiſpani, Galli, Angli, Germani, Siculi, Itali Romanas Provincias poſſident, Romanóſque in his excidére colonos. Cornúque parvulum ſub his ſuccrevit, quod oculos habet, & os loquens grandia; tria potiſſimùm, Italiæ, Siciliæ, Germaniæ regna in ordinem redegit, ſibique ſervire cogit inſuſtentabili dominatione populum Chriſti ſanctóſque Dei vexat, divina humana miſcet, infanda, execrabilia molitur. Quid hac prophetia apertius? &c. Liceat verò Everhardo huic jungere alterum in Anglia σύγχρονον, niſi fallor, virum pietate & doctrina maximum, Robertum Lincolnienſem Epiſcopum, qui poſtquam illa ipſa, qua obiit, nocte, & præcedente longam querimoniam apud circumſtantes Presbyteros & Monachos de infeliciſſimo Eccleſiæ ſtatu effudiſſet, Papam omnium malorum cauſam eſſe confirmans, eúmque propterea hæreticum & Antichriſtum appellans, tandem in his verbis fatidicis beatam animam Deo reddidit: *Non liberabitur Eccleſia ab Ægyptiaca ſervitute, niſi in ore gladii cruentandi.*

Roberti Lincolnienſis de Papatu vox emortualis.

CIX. Invaleſcebant in Eccleſia Romana magis magisque ordines Mendicantium, Franciſcanorum cumprimis & Dominicanorum, quos rebus ſuis augendis præ cæteris conducibiles eſſe, facilè Pontifices animadvertebant. Omnis eorum conatus huc jam tendebat, ut & ſuperſtitiones Paparum tyrannide obtruſas, & Monarchiam ejus tot jam fulminibus, arte & Marte ſtabilitam, maſculè defenderent. Sicut igitur manus manum lavat, & gratia gratiam parit; ita nihil non Monachis indulſere Pontifices. Lutetiæ orta inter Univerſitatis Profeſſores & Domi-

Pontificum erga Monachos mendicantes favor.

Dominicanos controversia, Romæ pro his contra illos decisa est, & Dominicanis *Domino Papæ devotis & propter eorum multimoda obsequia, in hoc certamine meliorem calculum reportantibus*, facultas *legendi licenter in Theologia* data est, ut Matthæus Paris *pag.* 880. loquitur. Sed & Alexander IV. Papa eos, qui statum Ordinum Dominici & Francisci acribus libellis impetebate anathemate perculit. Inde flammis mancipatum est Opus Guilhelmi de S. Amore, & Magistrorum Parisiensium reliquorum, cui titulum fecerant: *Tractatus de periculis novissimorum temporum*, quo Prædicatorum & Minorum ordines perstringentes, statum salutis eorum in dubium vocabant, simulque eos, ob adulationem, hypocrisin, otium sumptuosum, & justitiæ propriæ, posthabita justitia Christi, jactantiam, graviter pulsabant. Exemplar libri in Sorbona Parisiensi custodiri, Carolus Molinæus *Orat. de Theol. dignitate pag.* 184. testatur. Ediditque etiam Wolphgangus Wissenburgius Basileæ A. MDLV. Guilielmi illius sermones duos, una cum aliis melioris commatis scriptoribus veteribus, qui de corrupto Ecclesiæ statu publicas querelas consignârunt.

Guilhelmi de S. Amore adversus eos liber.

CX. Perquam verò notatu dignum est, quòd Magistri illi Parisienses in Tractatu illo memorato, de horrendis Monachorum *Æternum Evangelium* meditantium machinationibus, narrant hæc in verba: *Jam sunt anni 55. quòd aliqui laborant ad mutandum Evangelium Christi in aliud Evangelium, quod dicunt fore perfectius, melius & dignius, quod apellant Evang. Spir. S. quo adveniente evacuabitur, ut dicunt, Evangelium Christi; ut parati sumus ostendere in Evangelio illo maledicto.* Dixerant autem paulò ante, ab adventu Domini transactos jam esse annos MCCLV. & paulò post subjiciunt, *Evangelium æternum Parisiis, ubi viget S. Scripturæ studium, positum fuisse publicè ad exemplandũ anno Domini* MCCLIV. Addunt tria illa verba, quorum Daniel cap. 5. fit men-

Monachorum æternum Evangelium meditantium horribilis conatus eodem libro detectus.

tio,

rio, *Mane, Tekel, Phares*, jam visa esse in Ecclesia. *Scripta enim sunt*, inquiunt, *in maledicto illo libro, quem appellant Evangelium æternum, quod in Ecclesia jam propalatum est, propter quod timendum est de subversione Ecclesiæ. Primum verbum est, Mane, id est, Numeravit Deus Regnum tuum, & complevit illud, vel concluſit, ut exponit Daniel 5. Capitulo. Ibi enim numeratur Regnum Ecclesiæ, scilicet Evangelium Christi, & concluditur in 1260. annis ab incarnatione. Item ibi invenitur Tekel, quod est appensum in statera, & inventum est minùs habens, ut exponit Daniel 5. Capitulo. Nam ibi comparatur Evangelium Christi ad Evangelium æternum, quanto minùs lucet Luna quàm Sol, quantò min⁹ valet testa, quàm nucleus. Et multæ tales ibi sunt scriptæ comparationes, quibus probatur minus valere Evangelium Christi, quàm Evangelium æternum. Item in Scriptura illa, scilicet in Evangelio æterno invenitur Phares, id est, divisum est Regnum tuum à Te, ut exponit Daniel cap. 5. Nam ibi invenitur, quod Regnum Ecclesiæ dividetur post prædictum tempus ab illis, qui tenent Evangelium æternum.* Mysteriorum Evangelii hujus catalogum ampliorem ex Henrico Erphordiensi *Chronicorum cap.* 93. nec non Nicolao Eymerico *Direct. Inquis. par.* 2. *q.* 9. §. 4. Cl. Usserius *de Christ. Eccl. succeſſ. cap.* 9. *p.* 240. &c. fusiùs repræsentat. Verbo, dogmata hujus Evangelii, seu potius Alcorani Monastici, hæc fuere: *Deum Patrem sub lege regnâsse, filium sub gratia, sed jam exortis quatuor mendicantium ordinibus Spiritum S. suo Regno inaugurari, ad finem usque mundi duraturo, atque eos solos salvatum iri, qui novo huic Evangelio credituri essent. Christi enim Evangelium non esse verum, perfectum & salutare, proin abolendum & rejiciendum. Parvi etiam æstimanda esse ejus Sacramenta. Aliud etiam sacerdotium sacerdotio Christi sub eo Evangelio succeſſurum. Solos Nudipedales idoneos fore ad instruendum homines de spiritualibus & æternis. Religionem Christi, quæ jam multos peperit vocatos ad fidem Christi, non esse veram Ecclesiam. Evangelio Christi neminem perfectum reddi.*

reddi. Spiritum S. sub hoc Evangelio accepturum aliquid ab Ecclesia, sicut Christus in quantum homo, accepit à Spiritu S. Christum & Apostolos non fuisse perfectos in vita contemplantium: contemplativam verò vitam sub hoc demum Evangelio fructificaturum per ordinẽ Monachorum: & per eosdem Spiritũ sanctum Ecclesiam recturum, sicut in V. T. eam conjugati, in Novo sub Evangelio Christi Clerici rexerint. Qui non hîc cum Campiano *Rat.* 8. exclamet: *Tempora, Tempora, cujusmodi monstrum aluistis!*

Et à Pontificibus egniter repressus.

CXI. Ecquid verò Monachis Evangelio Christi stragem ita inferentibus à Pontifice Romano factum putamus? Scilicet visum illis, homines sibi quàm maximè necessarios tractare quàm leniſſimè, omnique ratione providere, ne illi quoquo modo odium offensámq; populi incurrerent. Lubet eam in rem Matthæum Paris in historia anni MCCLVI. *pag.* 909. 910. audire ubi sic ille: *Crebrescentibus scandalis & odiis inter Magistros Parisienses & Fratres Prædicatores, electi sunt cum magna deliberatione celeberrimi magistri lectores, videlicet Magister Guilhelmus de sancto Amore, & Magister Odo de Duaco (qui nobiliter rexerant in artibus, in Decretis & tunc in Theologia) Magister Christianus Canonicus Beluacensis (qui maximus quasi Philosophus emeritus, postquam in artibus rexerat, in Theologia lecturivit) Magister Nicolaus de Baro super Albam (qui rexerat in artibus, Legibus & Decretis, ad Legendum in Theologia præparatus.) Magister Johannes de Sicca villa Anglicus, Rhetor Universitatis, & Magister Belin Gallicus (nominatissimi Philosophi, regentes in artibus) omnes isti de nobilissimis viris procreati, præelecti sunt per magnũ (quia fides patiebatur detrimentum) consilium & deliberationem, ut Romam adeant, & Dominum Papam pro tranquillitate Universitatis Parisiensis, & fidei redintegratione (maximè cùm hoc malum majus generare comminetur) collectáque sunt eis ex universitate viatica. Fratres námque quædam nova prædicabant; legebant & docebant (ut dicebatur) deliramenta, quæ de libro Joachim Abbatis (cujus scripta*

ptu Gregorius Papa damnaverat) extraxerunt. Et quendam librum composuerunt, quem sic eis intitulare complacuit: Incipit Evangelium æternum: & quædam alia, quæ non expedit recitari. Prædicatores autem contra Universitatem suos expeditos nuntios ilico mittebant, ut Magistris in faciem contradicerent. Subsannavit populus eleemosynas consuetas subtrahendo, vocans eos hypocritas, Antichristi successores, Regum & Principum adulatores & falsos consiliatores, ordinariorum contemptores, & eorundem supplantatores, thalamorum Regalium subintratores, confessionum prævaricatores, qui peragrantes ignotas Provincias, peccandi audaciam subministrabant. Auditis igitur hinc inde querelis, præcepit Papa, ut novus ille liber, quem Evangelium æternum nominant, secretò, & si fieri posset, sine fratrum scandalo, comburetur: & alia, quæ de Joachim corruptela dicuntur emanâsse. Vigilanter igitur procurante diligentia Domini Hugonis Cardinalis, & Johannis de Columna Archiepiscopi Messanensis, qui de ordine Prædicatorum erant, cautè actacitè procuratum est, ut tumultus ad horam conquiesceret. Utque minori cum Monachorum invidia nefarius liber supprimeretur, visum est Pontifici, ut etiam Magistrorum Parisiensium liber ille, quo horribile arcanum detectum est, damnatus comburetur tum in Curia, quæ tunc Anagniæ residebat, tum Parisiis coram multitudine copiosa; non propter hæresin (ait Guilhelmus Nongiacus in gestis Regis Philippi *pag.* 537.) *sed quia contra præfatos Religiosos seditionem & scandalum movebat.*

CXII. Neque tamen sic Evangelium illud æternum exspirâsse censendum est. Revera enim Papatus horum sequentiumque temporum, ad ejus amussim factus, Evangelium diversum longè ab Evangelio Christi complectitur. Ut non sine omine & Numine externa quædam professio Evangelii æterni, Evangelio Christi abolendo surrogandi, innotescere circa hæc tempora debuerit. Numquid enim non Monachi ad illud, & quidem *Æternum* illud

Evangelium illud æternum blasphemiis refertum horum & sequentium temporum nudum Papatum repræsentare, ostenditur.

lud (apud inferos scilicet *æternùm* flagraturum) *Evangelium* transtulerunt, sacramenta Christi genuina vel conspurcarunt, vel aboleverunt, & spuria introduxerunt; sacerdotio Christo sublato sacerdotium aliud, cujus victima est Deus panaceus Maozim stabiliverunt; perfectione Evangelii Christi, quæ in mandato fidei & resipiscentiæ, promissisque cœlestis gloriæ consistit, abnegata, perfectionem Evangelii illius novi Monastici, quæ in supererogatione operum nec à Mose, nec à Christo præceptorum, promissionibúsque præmiorum singularium, quæ aureolas vocant, consistit, substituerunt; Christi spiritu exacerbato novum spiritum Papæ seu Ecclesiæ, rerum Divinarum judicem arbitrúmque unicum obtruserunt; denique vita activa, fide, pœnitentia & charitate pensi non amplius habita, religionis Christianæ apicem in Monachorum contemplationibus infrugiferis collocârunt; quæ ipsissima sunt *Evangelii* illius *æterni* mysteria? Deleto igitur licet Evangelio illo Diabolico literali, mansit tamen eadem in Deum blasphemia ac summa, à recta fide in Christum, unicum humani generis servatorem, defectio, in Monachorum scilicet meritis de congruo & condigno, in sanctorum suffragiis, Papæ largitionibus & indulgentiis, in novis bonis operibus, scilicet oblationibus, donis, votis, solutionibus, cœnobiorum erectionibus, jejuniis, vigiliis, somniis, silentiis, horis, organis, sequentiis, hymnis, cantilenis, campanis, altaribus, simulachris, purgatoriis, missis, murmurationibus, mitris, delubris, Templis, Synagogis, Sacrificiis, breviariis, bullis, lustralibus aquis, rosariis, unctionibus, cœmiteriis, cineribus, palmis, calculis precatoriis, candelis, calicibus, crucibus, cathedris, cappis, cereis, turibulis, pompis, ritibus Babylonicis, Ægyptiacis cultibus, spectaculis, reliquiis, regulis, Monachis, mendicabulis, chor-

chordis, sententiis, summis, picturis, & rebus mille id genus aliis, quas in Evangelio Christi non magis, quàm veterum Babyloniorum, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum profanas religiones reperias.

CXIII. Mortuo, uti supra memoravimus Friderico II. qui eum exceperunt Imperatores Conradus IV. Wilhelmus Comes Hollandiæ, Richardus, Alphonsus, ferè Pontificum, qui infirmis illis suarum rerum satagere strenuè perrexerunt, libidini succubuerunt, licet subinde adversis partibus confligeretur, & factiones contrariæ Welphorum & Gibellinorum pro suis quæque partibus acriter contenderent. Nihilque Pontificibus prius & antiquius fuit, quàm Imperatores, Reges & Regna infestare, modis omnibus emungere & explicare, & in Albigenses vim crebrò parare & exercere. Qui Innocentio IV. A. MCCLIV. successit *Alexander IV.* cum Manfredo, Friderici notho bella gerit, in ejus locum Edmundum Regis Angliæ filium Regem Apuliæ & Siciliæ per annulum investit; in Gallia Simoniam exercet, cui Ludovicus Rex sanctionem pragmaticam, qua cautum erat, ne quid nummorum Rege & Regno inscio & dissentiente ex Regno eo in Romanam curiam inferatur, opponit: Flagellantium sectam confirmat. *Urbanus IV.* A. MCCLXII. Papa factus, suasu Thomæ Aquinatis festum corporis Christi instituit, idololatria multiplici contaminatum. *Clemens IV.* inclementissimus omnium Conradi IV. Imperatoris filium unicum Conradinum, Carolo Andegavensium Duci, Regis Galliæ fratri prodidit, eique etiam de captivo Conradino consulenti, cædem ejus, ut & Friderici Austriaci, inauditi utriusque, suasit hisce verbis: *Vita Conradini mors est Caroli: & mors Conradini vita Caroli.* Ita par juvenum Principum lectissimum, nemine opinante & ex improviso, carnificis manu, cum insanabili dolore totius

Alexandri IV. Urbani IV. Clementis IV. Gregorii X. Nicolai III. Honorii IV. & chistoria.

orbis melioris, occubuit, simúlque Friderici Barbarossæ progenies; universaque adeò stirps Suevica periit, & vacuo Siciliæ, Apuliæ, Calabriæ Regno, unà cum Austriaco Ducatu aliisque etiam ditionibus, pro arbitrio Pontificis dominos mutârunt. Et Sicilia quidem in Gallorum potestatem, ea scilicet lege, ut Pontifici quadraginta quotannis auri marcas Carolus pensitet, concedens, mox vesperis Siculis dignam sævitia Caroli mercedem retulit. Dignissima lectu apud Goldastum in *Constit. Imp.* occurrit Conradini ad ordines Germaniæ ante fatalem casum Epistola, qua Pontifices infortunii sui fabros flebili sermone apud Ecclesiam accusat. Inclementis hujus successor Gregorius X. A. MCCLXX. Papatum sortitus, Rodolphum Habspurgicum recens electum Imperatorem Romam invitavit, ut corona ex manibus ejus accepta ratum imperium haberet: quod sapientissimus Imperator constanter detrectavit, caussatus, Italiam multos Alemannorum Reges consumpsisse, & recitans identidem illud Horatii *lib.* 1. *Epist.* 1.

——— *Me vestigia terrent,*
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.

Rodolphus Imperator Romam ire detrectat, & Papam bolo Romandiolæ donatæ placat.

Ingeminánsque sæpius: *Non ibo Romam. Rex sum, Imperator sum. Nec minus pro utilitate Reipub. me facturum confido, quàm si Romæ coronatus fuissem.* Ex quo tempore Italiam prorsus Imperatores dereliquerunt, nullis quidem ingratiis Pontificum. Cessit tamen idem Rodolphus Papæ, solitum fulmen minitanti, Romandiolam, quæ septuagies mille auri drachmas annuas pendebat. Bolum húncce minimè contemnendum bonus & pacificus ille Princeps in os cerberi illius conjecit, quò placatus electionem ejus ratam haberet. Implerum scilicet in Pontificibus quod de Pseudoprophetis olim Micheas pronuntiavit cap. III. 5. *Si quis non dederit aliquid in ore eorum* קדשו עליו

עליו מלחמה *sanctificant contra eum bellum.* Sed & Michaëlem Palæologum promittentem, novam Romam se veteri subjecturum, si Carolo Andegavensi adversario suo resisteret, admittere voluit his legibus, *ut in Officio Græcorum primus inter Patriarchas Papa nominetur: Ut Romam è Græcia appellare fas sit: denique ut in omnibus rebus principem ipse locum obtineat.* Sed mortuo mox Michaele, & contra-nitentibus Episcopis Græciæ, negotiatio evanuit. Constituxit idem Papa conclave Cardinalium, lege in Concilio Lugdunensi lata, qua conclavis ratio in electione novi Pontificis continetur. *Nicolaus III.* A. MCCLXXVII. ex Ursinorum familia Pontifex creatus, Platina teste, *munus senatorium, quod ante hoc Principibus & Regibus demandari consueverat, solus obivit*; Carolóque Andevagensi, Siciliæ Regi, quod electioni ejus minùs faveret, & major etiam potentiórque, quàm Romanæ Curiæ expediret, videretur, infensus, Hetruriæ vicariatum abstulit, & Siciliam Gallis erepturus, Petrúmque Aragonum Regem adversus eum concitans, conjurationem, quæ in Siculas tandem noctes, erupit, horribilem fovit. Contra Martinus IV. Gallus sordido genere natus, A. MCCLXXXI. Papatus fasces rapiens, Carolum restituere parat, Siculis rebus suis conclamatis ita cum ter invocantibus; *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.* Imperatorem Constantinopoleos, quòd Aragoniæ Regi faveret, anathemate percussit. Germaniæ adeò infensus, ut in stagnum eam conversam videre sæpe optaverit. Qui hunc excepit, Honorius IV. Petrum Arragoniæ Regem, quòd Siciliæ Regnum sibi à Nicolao III. collatum Gallis restituere abnueret, anathemate ferit. Ejus Legatus Thusculanus Cardinalis in Germaniam ablegatus, ut per quinquennium ab omni Clero proventuum quadrantem poscat, Wurzburgi in Conventu Episcoporum repulsam passus, *Antichristi Satrapa* ab iisdem per os Tullen-

sis

sis Episcopi Probi, cujus gravissimam contra vultures Romulæos apud Aventinum *lib. VII.* legere est orationem; vocatur meritò. Malè tamen sub successore hujus Nicolao IV. similis παρρησία cessit Johanni Bitterensi Franciscano, & Petro Cassiodoro Italis, qui quòd Papam Antichristum insignivissent, è monumentis extracti & combusti sunt. Excommunicatus ab eodem est Mænardus Tiroli Comes, quòd ambitioni Episcopi Tridentini resistens, ejus arces invasisset: qui publica in apologia Episcoporum scelera exagitans, *effœminatos Antichristos & prodigiosos Eunuchos* eos vocat, *pejores Turcis, Saracenis, Tartaris, & Judæis*; proin à sævo sibique iniquo Pontifice ad æquum Pastorem, pientissimúmque Patrem provocat.

Mænardi Comitis Tirolensis oratio adversus effœminatos Antichristos & prodigiosos Eunuchos.

CXIV. Mænardi illius Comitis Gente & mente generosi, cujus filia Elisabetha Alberto Imperatori pòst nupta est, Orationem lectu digniss imam, Avent. *Annal. Bojor. lib. VII.* p. 444. his verbis recitat: *Equidem (ita me Deus amet) bellum non infero, sed propulso. Nihil unquam magis mihi cordi fuit, quàm pacem cum quovis hominum, maximè cum Episcopis conservare, nisi boni Patres, ut cæteri Mortalium, copia rerum corrupti, nobis immeritissimis ultro arma prava libidine dominandi intulissent, nósque terris avitis spoliare conati fuissent. Arma sumpsi, castella hostibus patriæ ademi, quo mihi ac popularibus otio frui absque armis liceat. Quòd si quispiam vas atque præs fuerit, ne metuere perfidiam & lupos habeam, néve de cætero hujusmodi nobis à fastuosis illis Archisynagogis (nam Pastoribus dicere religio est) contingant, actutum omnia reddam: aliter nunquam committam, ut tam stultus videar, ut è manu manubrium mihi eripi patiar, atque memet ultrò atque meos ludibrio effœminatis Antichristis atque prodigiosis Eunuchis esse sinam. Nemo magis concordiam Christianam labefactat, non sacris litteris interpretandis aut ediscendis, sed liberis dant operam, Liberũ amant, divitias colligunt, Regna, gloriam, dominationem avidissimè appetunt.*

tunt. Proh ſce nobiſcum ſanguine ovium decertant, Chriſti paupertatem, comitem ejus ſimplicitatem non ſolùm non æmulantur, ſed irrident quoque atque antiquare conantur. Si Antichriſti non ſunt, quid aliud obſecro ſunt? Eſtne illud paſcere oves? amare gregem? Regna, opes, aliena appetere, pro gloria, dignitate digladiari, oviculas opprimere, occidere, belligerare; Chriſti præceptum invertunt, donanti tunicam & pallium vi auferunt. Quis tam ferreus, ut verius dicam, tam ſtolidum pecus fuerit, ut ſuperbiam, faſtum, perfidiam, fraudem, flagitia, ſcelera, laxum, avaritiam nebulonum æquo animo ferat? Pejores Turcis, Saracenis, Tartaris, Judæis ſunt, plus his omnibus Chriſtianæ ſimplicitati officiunt, libertatem Chriſti ſanguine partam exſcindere conantur, dominationem arripiunt. Cùm noſtri ſervi ſint, ipſi dominari contra jus gentium, adverſus leges, auſpicia & oracula Divina, dominos ſibi ſervire volunt. Scitum eſt vulgi Proverbium, ſacerdotes ſuperſtitionum præſtigiis caliginem oculis offundere Mortalium, & cerimoniis carminibúſque caſſis veluti mandragoræ ſoporifera poculo mentem mutare, & humanis animis atque ſenſibus ſtuporem propinare. Numquid paſtor aut oves tondet, aut mulget; nonne nuntius rem domini atque eorum, ob quorum utilitatem mittitur, agere debet? Proinde à ſævo, & nobis iniquo Pontifice, ad æquum Paſtorem, pientiſſimúmque Patrem provoco.

(o)

ECCLESIÆ ROMANÆ PERIODUS QUINTA.

Seu

Historia Ecclesiæ Romanæ Dominationem, in temporalibus etiam, adeóque Cæsareo-Papatum adipiscentis, & eandem, profligata doctrina puriori omni, flagitiosè exercentis.

Inde à Bonifacio VIII. seu A. C. MCCXCIV. ad Leonem X. seu A. C. MDXVII. usque.

BREVIARIUM.

CXV. *Bonifacius VIII. Papalis fastigii consummator, fraude sedem rapuit. Gibellinis, seu fidis Imperii civibus, gravem se gerit.*

CXVI. *Obsolescente Jubilæo Christiano, utroque habitu, Pontificali & Imperiali indutus, duósque gladios ostentans, Pontificium instituit: quod solennis quædam inauguratio fuit, qua se Dominum in orbe Christiano supremum, Pontificem & Cæsarem esse, declaravit.*

CXVII. *Quid Jubilæo illo spectârit, ex vita & moribus ejus colligitur.*

CXVIII.

CXVIII. *Causa continuati à successoribus, & subinde ad brevius tempus restricti Jubilæi.*

CXIX. *Potestatem supremam Bonifacius exercet adversus Imper. Albertum, quem à se non conscio electum imperare non posse pertendit.*

CXX. *Nec non Philippum pulchrum Galliæ Regem, quem Regno, utpote ad sedem Petri pertinente, arcere conatur, subditis fidelitatis sacramento exsolutis. Captus à Philippo & ludibrio habitus ex phrenesi moritur.*

CXXI. *Roberti Galli liber editus unà cum vaticiniis Hildegardes adversus Papam: ubi Ecclesiæ Rom. facies in visionibus graphicè depingitur.*

CXXII. *Fratricellos Papam Antichristum, Romam Babylonem, appellantes Papa persequitur.*

CXXIII. *Clemens V. Roma Avenionem migrat. Durandi Mimatensis de Concilio celebrando liber Cleri Romanum describit, ejusque reformandi formam præit: at reformari posse desperat.*

CXXIV. *Spem reformationis vanam fuisse, Concilii Viennensis, quo Decretalis de Potestate Papæ supra Cæsares edita, fratrum Minorum religio confirmata est, eventus docuit. Templariorum horribile excidium: quibus innocentiæ nonnulli testimonium perhibent.*

CXXV. *Henricus VII. Romæ Cardinalibus sacramento dicere renuẽs à Bernhardo Politiano venenatæ hostiæ subsidio necatur.*

CXXVI. *Dantis Aligerii de Ecclesia R. querelæ. Fridericus III. Siciliæ Rex Ecclesiæ R. statu offensus, de Evangelii ipsius veritate dubitat, & ab Alphonso Villanovano in ea confirmatur.*

CXXVII. *Johannes XXII. se ipsum eligens, animas ante finem mundi Deo frui negat; & Papam Imperatori, ut Solem Lunæ, præstare, aliáque superbissimè, decernit.*

CXXVIII. *Cæsareo-Papatum suum tuetur adversus Ludovicum Bavarum, quam anathemati subjicit. Ludovicus verò Romam occupans, ibidem coronatur, & deposito Johanne Nicolaum V. Antipapam creat.*

CXXIX. *Johannes paupertatem palam irridet, & Franciscanos repugnantes, ceu hæreticos damnat. Certamen Franciscanos inter & Dominicanos de Christo in cruce pendente nudoné, an corona Regia & toga purpurea vestito, acerrimum. Alvarus Pelagius Johannis impietatem damnat.*

CXXX. *Johannis ejusdem Bulla ferè Babylonica adversus Ludovicum Bavarum.*

CXXXI. *Et Ludovici adversus Johannem Edictum ex Aventino repræsentantur.*

CXXXII. *Ejusdem Ludovici adversus Benedictum XII. absolutionem à diris Johannis negantem heroicum diploma. Clemens VI. absolutionem promittit, sed diris conditionibus, quibus repudiatis Papa Cæsarem alium eligi jubet. Electus Carolus Spiræ in Comitiis repudiatur, & ad arma dum concurritur, Ludovicus veneno propinato moritur.*

CXXXIII. *Clementi sese opposuerunt viri celebres plures, Occamus & Leopoldus Bambergensis Episcopus cumprimis.*

CXXXIV. *Carolus IV. coronam ab Innocentio VI. magno cum dedecore obtinet, promittens se nunquam Italiam repetiturum. Ita Carolus Majestatem Imperii R. prodidit, & aquilam deplumavit.*

CXXXV. *Petrarcha id Carolo exprobrat, & curiam Romanam nomine Babylonis Occidentalis graviter exagitat.*

CXXXVI. *Plures etiam eordati ejusdem curiæ impietatem liberè notant. Veluti Joh. à Rupescissa, M. Nicolaus Oremus. S. Brigida & Catharina Senensis in Revelationibus.*

CXXXVII. *VViclefus Angl. imprimis, cujus in detegendo Antichristo, oppugnanda falsa, Magnatibus ipsis veritatis succo imbuendis, Zelus & patientia incomparabilis laudantur.*

CXXXVIII. *Schismatis pertinacissimi à tempore Urbani VI. ad Concilium Constantiense usque historia. Contraria Urbani VI. & Clementis VII. studia.*

CXXXIX. *Antipaparum Benedicti XIII. & Gregorii XII. in eo schis-*

ſchiſmate malignitas, ex Theodorico de Nyē adumbrata. Depoſito utroque in Concilio Piſano Alexander V. eligitur: renitente utroque. Alexandro Balthaſar Coſſa, ſeu Johannes XXIV. ſuccedit, qui Sigiſmundum coronaturus, & Eccleſiam tranquillaturus Concilium Romanum, cui bubo præfuit, coëgit.

CXL. *Sigiſmundus Imp. ingentibus ſtudiis Eccleſiæ pacem reſtituere conatus, Conſtantiæ Concilium à Johanne convocari curat. In eo depoſitis tribus Antipapis eligitur Martinus V. qui reformationem Eccleſiæ à Sigiſmundo tentatam eludit.*

CXLI. *Eugenius IV. Baſileenſe Concilium cogit, mox verò à Patribus ejus ſibi metuens illud Ferrariam, atque inde Florentiam transfert, & à Baſileenſibus deponitur, Amadeo Sabaudo ſeu Felice V. ſurrogato. Florentinorum cum Græcis negotiatio lubrica, à Græcis poſt rejecta. Eugenii & Felicis contraria ſtudia. Carolus Galliæ Delphinus Baſileenſe Concilium turbare conatus cladem ingentem ab Helvetiis victis licet patitur.*

CXLII. *Conſtantinopolis à Papa ob negatum primatum turpiter deſerta, à Turcis occupatur, & unà Oriens Chriſtianus fere totus eorum jugum ſubit.*

CXLIII. *Nicolai V. erga literas & literatos amor inſignis prædicatur. Ita in ipſa Antichriſti aula nutriuntur literæ, quarum poſt auxilio Antichriſtus revelatus fuit.*

CXLIV. *Ad revelationem Antichriſti etiam Typographia eadem ætate inventa contulit multum.*

CXLV. *Pius II. promiſſam reformationem neutiquam præſtat, ſed Majeſtati Pontificiæ augendæ unicè intentus eſt. Ingloria ejus adverſus diverſos Principes facinora.*

CXLVI. *Sixti IV. impuritas variè teſtata. Lupanaria inſtituit primus: & bella iniqua gerens cum Helvetiis fœdº init, iiſdemque pudendâ bullâ vexillum donat. Alexandri VI. impietas.*

CXLVII. *Nubes teſtium, quæ ea ætate adverſus Eccleſiam R. ceu Antichriſtianam & Babylonicam emerſit, indigetata.*

CXLVIII. *Pontificiæ adverſus eoſdem tyrannidis ſpecimina in*

Hussi, Hieronymi, aliorum, suppliciis & Bohemorum persecutione producuntur.

CXLIX. *Julii II. tyrannis & sævitia. Bella ejus adversus Venetos, Maximilianum & fœderatos Gallos improbè gesta. Helvetios fraudulento fœderi innexos bullatis indulgentiis mactat. Pisano Concilio instituto ad reddendam rationem villicationis suæ citatus, anathemate adversarios ferit, & Concilium Lateranense indictum iisdem opponit. De utroque Concilio illo judicia Scriptorum. Sforziæ Pallavicini de Julio judicium, & ejusdem frivola excusatio.*

CL. *Testes veritatis ea ætate, VValdenses, Faber Stapulensis, Budæus, Picus Mirandulanus, Ludovicus XII, Ecclesiæ Bohemicæ, Moravicæ &c.*

Bonifacius VIII. Papalis fastigii consummator fraude sedem rapuit.

CXV. QUI hactenus ad fastigium magnis passibus contendebat Papatus, Seculo *Decimo quarto* ineunte ad eum pervenisse videtur, Bonifacio VIII. Romanæ Ecclesiæ habenas moderante. Is, Platina, Stella, Nauclero, Wernero in fasciculo Temporum, aliis, referentibus, Prædecessori suo Cœlestino, homini simplici & bono (qui reformaturus Ecclesiam, non equo vel mulo, sed asino vehi voluit, & Cardinales idem facere jussit) ut Papatum resignaret, persuasit, insigni fraude usus, canali scilicet in ejus cubiculum immisso, pluribus noctibus, quasi Angelica voce insonans: *Cœlestine, Cœlestine, cede, negotium enim supra vires est.* Cessit Cœlestinus Papatum Sceleſtino huic, viribus ad prehendum mysterium iniquitatis pollenti magis. De eo sic Langius Citicensis Monachus *ad A.* MCCXCV. loquitur: *Leonina mente tyrannizans magis, quàm papissans, universo orbi metum sui & terrorem incutere moliebatur.* Et Joachimus Abbas, quem *Spiritus Prophe-*

phetici virum nuperus Cardinalis Bona appellavit, ſic eum in vaticiniis ſuis compellavit: *Fraudulenter intrâſti, potenter regnâſti, gemens morieris!* Vulgatúmque de eo mortuo proverbium ferebatur: *Intravit ut vulpes, regnavit ut Leo, mortuus eſt ut canis.* Gibellinis, ideſt, bonis Imperii civibus, præ cæteris infenſum ſe geſſit. Cujus rei teſtem habemus Porchetum Spinolam, in locum Jacobi Voragine electum Genuenſem Archiepiſcopum, Imperatori addictum. Confirmandus is in munere ſuo Romam venit, quo die frontes cinere ſignantur. Provolvitur ad Bonifacii pedes Porchetus poſt alios complures, frontem cineris cruce ſignandus. Tum Bonifacius carmine mutato: *Memento*, inquit, *quòd Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem reverteris.* Cineribúſque in oculos ejus ſparſis, Archiepiſcopatum eodem die ei abrogavit. Unde quo in pretio ſuas ipſe ceremonias habuerit, judicari poteſt.

Gibellini, ſeu fidi Imperii civibus, gravem ſe gerit.

CXVI. Obſoleſcere jam fatali hominum ſuperſtitione cœpit *Jubilæum* verè *Chriſtianum*, quod unico Chriſti merito afflictas conſcientias confidere docet. Anno igitur ſeculari milleſimo trecenteſimo, adeóque ſub initium ſeculi hujus Decimi quarti, Bonifacius ille tempus idoneum nactus, aliud *Jubilæum*, *Pontificium* ſcilicet, ſeu potiùs novum mercatum indulgentiarum, centeſimo quoque anno aperta Romæ aurea porta celebrandum, in ejus locum ſubſtituit. *Uſque ad illum* Bonifacium (ita Kranzius *Saxon. lib. VIII. 36.* ſcribit) *Pontificibus non venerat in mentem tam feſto negotio commovere Chriſtianiſſimum. Quod ipſo apparatu in eo, qui tum agebatur in urbe, Jubilæo ſolenniter fertur oſtentâſſe: Prima quidem ſolenni die in Pontificialibus apparens populo, Apoſtolicam illis benedictionem impartitur. Poſtera autem die imperiali habitu* (idque præſentibus legatis Imperatoris) *inſula nihilominus Cæſarea inſignis, gladium ante ſe nudatum juſſit deferri & ſedens alta voce teſtatur: Ecce duo gladii hîc.* Kranzii

Obſoleſcente Jubilæo Chriſtiano utrecq; habitu Pontificali & Imperiali induitus, duoſque gladios oſtentans, Pontificium inſtituit.

hæc

hæc ἐπίκλησις est: *Vides ô Petre, successorem tuum, & tu salutifer Christe tuum cerne vicarium!* (Quæ tamen verba nonnulli ipsi Papæ ascribunt) *Vide quò ascendit superbia servi servorum!* Nempe calcata potestate humana, civili, quæ post mortem Friderici II. fere succubuit, & Ecclesiastica omni, jam Papa regnare ubique sine pari, & αὐτοκρατωρικῶς cœpit. Quod ipsum etiam testatur superbissima ejus Bulla, quæ, ceu novissimum Ecclesiæ Romanæ Symbolum, in Extravagantibus *Tit. de Major. & obed. c. unam S. Ecclesiam* legitur, in qua diserte: *Unam sanctam Ecclesiam Catholicam, & ipsam Apostolicam urgente fide credere cogimur & tenere.* Et illico nos ad Romanam, uni Pontifici parituros revocat, cui in Petri persona dictũ sit, *Pasce oves meas*, ita ut, *seu Græci, seu alii* in Christi ovibus non censeantur, nisi ei obsequantur. *In hoc*, inquit, *ejúsque potestate, duos esse gladios, spiritualem videlicet & temporalem, Evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis: Ecce gladii duo hîc, in Ecclesia scilicet, cùm Apostoli loquerentur, non respondit Dominus nimis esse, sed satis. Certè qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, malè verbum attendit Domini proferentis: Converte gladium tuum in vaginam.* Ex his verbis contra quàm omnes Patres & Interpretes, apertè ratiocinatus: *Uterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius & materialis, sed is quidem pro Ecclesia; ille verò ab Ecclesia exercendus, ille sacerdotis, is manu Regum & militum, sed ad nutum & patientiam sacerdotis*, id est, Papæ. *Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem spirituali subjici. Nam cùm dicat Apostolus: Non est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt: non autem ordinatæ essent, nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium ad suprema &c. Sic de Ecclesia & Ecclesiastica potestate verificatur vaticinium Jeremiæ: Ecce constitui te hodie super gentes & Regna, & cætera, quæ sequuntur. Ergo si deviat terrena potestas, judicabitur à potestate spirituali; sed si deviat*

deviat spiritualis minor, à suo superiori: Si verò suprema deviat, à solo Deo, non ab homine, poterit judicari, testante Apostolo: Spiritualis homo judicat omnia, ipse verò à nemine judicatur. Postquam sic Scripturam Papa, non secus ac Pasquillus aliquis Romanus, ludibrio habuit, ex ridiculis antecedentibus impudenter ita concludit: *Porrò subesse Romano Pontifici omnes humanas creaturas declaramus, dicimus, definimus, & pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis.* Clarissimè hinc liquet, Jubilæum istud hoc Bonifacii solennem quandam inaugurationem fuisse, qua se Dominum in Orbe Christiano supremum, Cæsarem & Pontificem esse, veterum Augustorum Romanorum imitatione, qui Imperatores simul & Pontifices erant; magnificè Papa declaravit, eadem opera pecunias, supremi imperii nervum, undequaque in rete suum piscatorium attrahens. Dignumque memoratu est, quòd eodem die Jubilæo, quo Papa-Cæsar eatum suum Bonifacius ostentavit, Monarchiam etiam Turcicam Ottomannus auspicatus fuerit: planè sicut antehac eodem tempore Bonifacius III. Universalis Episcopi axioma sibi vendicavit, quo etiam Muhammed ex orco caput intulit, & nefariæ sectæ fundamenta jecit.

Quod solennè quedam inauguratie fuit, qua se Dominum in Orbe Christiano supremum, Pontificem & Cæsarem, esse declaravit.

CXVII. Quid potissimùm spectârit Bonifacius iste Jubilæo instituto, si quis ambigat, ex vita & moribus ejus æstimabit facilè. Præclarè enim M. Tullius, *Omnibus in rebus*, inquit, *quæ graviores majoréque sunt, quid quisque voluerit, cogitaverit, admiserit, non ex crimine, sed ex moribus ejus, qui arguitur, est ponderandum.* Anne ergo hic Papa, ut nomine, ita re quoque fuit Bonifacius? Imò omnium hominum, quos sol vidit, pessimus fuit, & flagitiosissimus, procella Ecclesiæ, turbo & tempestas Reipub. Christianæ, Dei juxta atque hominum contemptor, idemque gurges profundissimus & insatiabilis, aurum undiquaque conquisitum infernaliter sitiens. Hoc enim

Quid Jubilæo ille spectârit, ex vita & moribus ejus colligitur.

teſtimonium Sabellicus, Nauclerus & Platina ei perhibent. Ex mera igitur dominandi libidine, & auri ſacerrima fame, quam Apoſtolus radicem omnium malorum vocat, ingenioſus in rem ſuam Bonifacius, indulgentiarum pleniſſimarum prætextu, novum aucupium excogitavit, promulgavit, & Purgatorium, quod Papæ conflatorium eſt, terriculamentis dementatis hominibus obtruſit. Auſus tamen impoſtor hic eſt venerandæ antiquitatis authoritatem prætendere. Sic enim bullam indictionis ſuæ inchoat: *Antiquorum habet fida relatio, quòd accedentibus ad honorabilem Baſilicam Principis Apoſtolorum conceſſæ ſint magnæ remiſſiones & indulgentiæ peccatorum.* Sic audet ille verum antiquæ Eccleſiæ Jubilæum, nimirum gratuitam remiſſionem peccatorum per Chriſtum profligare, & venerandæ nihilominus antiquitatis nomine nugas & ſuperſtitionem ſuam venditare. Enimverò, ſi per *antiquos* intelligit vetulos Bulliſtas, & Datarios, concedo, hoc relationem illorum tuliſſe. Sed quòd antiqui Patres, vel alii antiqui ſcriptores de Jubilæo Pontificio, quod *Papæ auriferum Pactolum* ſcite non nemo inſignivit; quicquam retulerint, mendacium eſt τετραπηχυ, imo centum cubitos longum.

Cauſſa continuati à ſucceſſoribus, & ſubinde ad brevius tempus reſtricti Jubilæi.

CXVIII. Cœterùm quæ Bonifacio Jubilæi, centeſimo quoque anno primitus inſtituendi, eadem ſequentibus Papis ejuſdem ad brevius temporis ſpatium contrahendi cauſa ſine dubio extitit. Quid enim impulit Clementem VI. ut hanc feſtivitatem centeſimo quoque anno ſecundùm Bonifacium celebrandam, ad quinquageſimum reduceret? Auri ſacra fames, & offertoriorum ex indulgentiis ampliſſimorum magna ſpes, qua ſic elatus & dementatus fuit, ut in Bulla ſua Angelis Paradiſi mandaret, ut animas morientium in itinere à Purgatorio penitus abſolutas in Paradiſi gloriam introducant. Quid Bonifa-

nifacium IX. impulit, ut ipse non exspectato anno quinquagesimo ad trigesimum tertium, ætate Christi sacratum, festivitatem suam contraheret? Auri sacra fames & φιλοχρηματία. Fuit enim etiam hic Papa, authore Theodorico à Niem, vorago insatiabilis. Quid porrò movit Sixtum IV. illum non solùm bipedum, sed etiam quadrupedum impuriſſimum, ut cùm triginta tres anni nimis longi viderentur, ipse quinto & vicesimo quoque anno Jubilæum celebrandum institueret? Auri sacra fames & πλεονεξία. Fuit enim tam avarus & impurus, ut ædificato lupanari publico, ex meretricio etiam quæstu plurimùm ærario suo emolumenti accumulaverit. Ita Vespasianis his argenti odor bonus est ex re qualibet. Neque imposterum Malifacio cuipiam Jubilæum ad septimum quemque annum contrahendi prætextus speciosus deerit, eò quòd sub lege etiam septimus quisque annus שנת שמטה *annus remissionis* fuerit. Implentque adeò sacerimi hic caupones S. Petri 2. Epist. II. 3. vaticinium, fore scilicet falsos Doctores, qui ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις, *per avaritiam fictis sermonibus*, fideles sint negotiaturi.

CXIX. Sed ad Bonifacium redimus. Potestate utraque Spirituali & civili suprema se pollere, jam publicè promulgaverat. Exercere eandem necessum duxit, ut pondus haberet Jubilæa isthæc promulgatio. Exercuit adversus duo inprimis summa Orbis Christiani capita, Albertum Imperatorem, & Philippum pulchrum, Galliæ Regem. Defuncto igitur Rodolpho Imperatore, vacante Pontificia sede, & in partes scisso Imperio, pars Principum, Ecclesiastici cumprimis, Adolphum Comitem Nassovium eligit, pars Albertum, Rodolphi filium. Bonifacius ubi ad Papatum pervenit, repudiat utrumque, eò quòd se inconsulto de electione Principes deliberare

Potestatem suprematem Bonifacius exercet adversus Albertum Imperatorem quem se non consulto electum imperare non posse pertendit.

berare non potuerint. Inde bellum civile in Germania, tandémque prœlium, in quo Adolphus occubuit. Post cujus mortem Albertus ab omnibus Electoribus confirmatus fuit. Jubilæo peracto Romam Albertus mittit, electionem suam Pontifici probaturus. Quid verò hîc Bonifacius? *Respondet animosus* (inquit Kranzius *Saxon. lib. VIII. cap. 36.*) *quòd sine sua authoritate electio facta robur non haberet. Nam utriusque penes se gladii potestatem manere affirmabat.* Vitoduranus in Annalibus M. S. narrat, objecisse Papam Alberto, quòd Regem Adolphum trucidaverit, indignúsque adeò sit Imperio. Albertum verò ex sententia Principum suorum Bonifacio respondisse: *quòd Papam patrem habere contemnat, nec Coronam aut Imperium ab eo accipere ambiat, quippe quod sibi dare nequeat, contradicente malitia sua, quia non per ostium, sed aliunde, tanquam fur & latro ingressus, in sedem ascenderit, insuper & Cœlestinum Papam, prædecessorem suum, ficto cœlesti oraculo, deceperit.*

Nec non Philippum Pulchrum Regem Galliæ, quem Regno, utpote ad sedem Petri pertinente, arcere conatur subditis fidelitatis sacramento exsolutis.

CXX. Majore etiam fastu Philippum Pulchrum, Galliæ Regem, calcare conatur. Tragœdiam nuper etiam Petrus de Marca *de Concordia Sacerdotii & Imperii lib. IV. 16.* ex Spondano fusiùs, nec non Joh. de Bussieres *Hist. Franc. lib. 9.* narrârunt. Sic autem res habet: Ad Philippum A. MCCCI. Bonifacius Episcopum Apameensem mittit, qui ad Sacrum bellum eum excitaret, anathema minatus, nisi imperata faceret. Legatus jussa denuntians, pro sua protervia, persuasionibus duriora verba interserebat. Indignatus Rex Legatum comprehensum Narbonensi Archiepiscopo custodiendum tradit, usque dum de eo certi quid statuerit. Æstuans hic Bonifacius, Archidiaconum Narbonensem, gente Romanum, ad Philippum delegat, cujus verbis Regi præcipit, sine mora Legatum liberet, die etiam dicta Episcopis & Patriciis Franciæ, qua Romæ coram Concilio se sistant. Cunctante Philippo protesta-

teſtatur, Regnum Franciæ ad Eccleſiam Romanam pertinere; proinde Rex abſtineat ejus adminiſtratione, illúdque Pontifici & Eccleſiæ regendum relinquat. Mox etiam ſubditos fidelitatis ſacramento exſolvit, & obſequium detrectantibus *indulgentias, conceſſiones, gratias omnes* Pontificias negat; cauſſatus etiam, in Archivis Romanis inſtrumentum certum reperiri, unde Franciam Pontificii juris eſſe conſtet. Philippus hiſce exulceratus meritò Epiſcopos Regno exire vetat. Pontifex anathemata ſua acriùs in Regem vibrat, eò quòd in Epiſcopum manum injecerit, de vacantium ſedium bonis ſtatuere, & Epiſcopos inveſtire auſus fuerit. Tum verò Philippus Epiſcopum quidem ex carcere liberat, at Bullam Archidiaconi in Palatii Pariſienſis atrio comburi jubet. Juvat hic audire literas Papæ ad Regem, quæ ſic ſonant: *Deum time & mandata ejus obſerva. Scire te volumus, quòd in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes. Beneficiorum & præbendarum ad te collatio nulla ſpectat; & ſi aliquarum vacantium cuſtodiam habeas, fructus earum ſucceſſoribus reſerves. Et ſi quæ contuliſti, collationes tales irritas decernimus, & quantum de facto proceſſerunt, revocamus. Aliud credentes Hæreticos reputamus.* Cui cordatè ſic Philippus reſpondit: *Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non ſubeſſe, aliquarum Eccleſiarum & præbendarum vacantem collationem ad nos pertinere jure Regio, & fructus earum vocatione durante noſtros facere: Collationes à nobis hactenus factas, & impoſterum faciendas, fore validas, & illarum vigore poſſeſſores contra omnes viriliter nos tueri. Secus autem credentes fatuos & dementes reputamus.* Conveniunt mox Lutetiæ ordines Regni cum Clero & Theologis, & multorum ſcelerum Papam reum agunt, inter alia etiam, *quòd non adhibeat fidem Euchariſtiam conficientibus: quòd animas mortales putaret: quòd eſſet Simoniacus, uſurarius: quòd concubinas haberet duas neptes, & ex utráque filios progenuerit &c.* Boniſa-

cius Romæ Concilio habito, Regem Franciæ interdicto subjicit, Regem cum posteris ad quartam usque generationem Ecclesia excludit. Res eum exitum pudendum habuit, ut Bonifacius Philippo procurante captus à Nogareto, Narbonensi Archiepiscopo, Anagniæ per insidias, & impositus effreni equo, ad caudam versa facie, phrenesi correptus in carcere mortuus fuerit, *dans exemplum cunctis Prælatis*, quæ verba Langii & Rolevincii sunt, *ne alta saperent, sed forma facti gregis magis studerent amari à subditis, quàm timeri.*

Captus à Philippo, & ludibrio habitus, ex phrenesi moritur.

CXXI. Florebat ea ætate in Gallia Robertus Gallus, quem Possevinus *in Appar. Tom. 2. Excellentem verbi Divini concionatorem* vocat. Ejus extat libellus Lutetiæ cum Hildegardæ Vaticiniis editus, Visiones etiam quasdam ejus complexus. Cap. 5. Papam *Idolum* disertè vocat, his verbis Deum loquentem inducens: *Quis posuit Idolum hoc in sede mea, ut imperaret gregi meo?* Sed & *cap. 1. ac 12.* sub serpentis nomine Papam ceu Antichristum describit, qui sese supra modum extollat, pios quosque opprimat, multis Pseudoprophetis circumseptus, qui in contemptum Dei & Christi eum solum prædicent & extollant, Jesu contrà nomen obscurent. Demum Ecclesiam Romanam depingens inquit: *Orabam flexis genubus, erecta facie ad Cælum, juxta altare S. Jacobi Parisiis à dextris, & vidi in aëre ante me corpus unius summi Pontificis albis sericis indutum, tenebatque dorsum ad Orientem, elevatis manibus ad Occidentem, sicut sacerdotes solent stare, dum agunt Missarum decreta. Non videbatur caput ejus, diligentiúsque intuens, an esset omnino sine capite, vidi caput ejus aridum, macilentum, ac si esset ligneum; dixitque spiritus Domini: Statum Ecclesiæ Romanæ significat, in qua scilicet nihil sanguinis, succi vitalis nihil superest.* Mox etiam cujusmodi panem Ecclesia Romana filiis suis famelicis tribuat, sic explicat: *Iterum alio die idem operis me agente,*

Roberti Galli liber editus unà cum Vaticiniis Hildegardes adversus Papam, ubi Ecclesia Rom. facies in Visionibus graphicè depingitur.

fui

fui videns in ſpiritu. Et ecce vir ejuſdem habitus circuibat, panem delicatum portans in humeris, cum vino optimo, dependebántque panis & vinum per latera ejus, ipſe verò tenebat manibus lapidem oblongum duriſſimum dentibus rodens illum, ut fameſcens circa panem agere ſolet, nihil autem agebat. Et de lapide egrediebantur duo capita ſerpentum, & inſtruebat me Domini ſpiritus dicens: Lapis hic quæſtiones inutiles & curioſæ ſunt, in quibus fameſcentes laborant, animarum ſubſtantialia relinquentes; & dixi, quid ergo capita illa dicunt. Et dixit nomen uni, vana gloria; alteri, diſſipatio religionis. Aptioribus verbis temporum illorum ſophiſtica exprimi non potuit, quæ rejecto, quod ad manum erat, Dei verbo, tota futilibus, & ad ſalutem hominum nihil proficientibus, ſed ei officientibus magis quæſtionibus immorabatur & immoriebatur. Tandem etiam futuram Reformationem Eccleſiæ Deus in viſione ipſi aperuit, *futuræ* ſcilicet quandoque *lucidæ per munditiem vitæ, ſonoræ per claram vocem prædicationis veræ veritatis.*

CXXII. Erant tum in Italiâ quoque Doctores, *Fratricellorum* nomine inſignes, quos inter Gerhardus Sagarelli Parmenſis, & Dulcinus Novarienſis, Hermanni cujuſdam diſcipuli, eminebant. In hos ſerviſſimè Bonifacius animadvertit, inſimulatos neſcio quarum turpitudinum. Cœterùm ſatis conſtat, non ullius ſceleris compertos, ſed hanc ferè ob cauſam ferro flammâque infeſtatos eſſe, quòd *Papam Romanum Antichriſtum, Eccleſiam Romanam Babylonem Apocalypticam, & ſpirituales, qui maximè videri volebant, à Deo rejectos eſſe,* contenderent. Fatentibus iis ipſis, qui neſcio quarum hæreſeon dicam iis ſcribere conati ſunt. *Fratricellos, Papam Antichriſtum, Romam Babylonem appellantes, Papa perſequitur.*

CXXIII. Clemens V. Gallus A. MCCCV. Pontifex diſſentientibus mirè Cardinalibus, Philippi Pulchri Gallorum Regis favore, poſtquam ſplendidis eum promiſſis lacta- *Clemens V. Roma Avenionem migrat.*

lactavit, electus, Roma sedem Pontificiam Avenionem in Galliam transtulerat. Ubi Romam per Cardinales tres Senatoria potestate, tanquam per Consules & Senatores, gubernans, septuaginta integros annos (unde *captivitatis Babylonicæ septuaginta annorum* tempus illud commorantium Avenione Pontificum à scriptoribus venire solet) ipse & quinque ejus successores commorati sunt, nemine excipiente, Romam Petri sedem esse, illuc proin remeandum. Reformandæ Ecclesiæ, quam ipse tamen vita turpi, cujus specimina nonnulla Paulus Langius profert, graviter offendit, spem faciens, Durando Rotæ Auditori & Episcopo Mimatensi Gallo, cui *Speculatori* vulgò nomen, ut quædam capita eò pertinentia, in Concilio proponenda, consignaret, in mandatis dederat. Extat adhuc Tractatus ille, cui Titulus, *de Concilio celebrando*, A. MDXLV. Lutetiæ impressus ἀξιομνημόνευτος, si quisquam alius. Initio à Cleri Romani reprehensione ducto sic loquitur: *Securi sunt viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit, correctionem verò habuit suæ vesaniæ. Nam subjugale mutum, quod hominis voce locutum est, Prophetæ insipientiam probavit. Quod etiam hodie accidit, cùm tam stulta & dissoluta in Ecclesia Dei à dictis personis Ecclesiasticis, quæ deberent esse lumen aliorum, & lucernæ super candelabrum positæ; juxta id quod Dominus ait: sensus hebetant Judæorum & etiam Paganorum: Et etiam illi, qui ratione Divinæ agnitionis omni modo carent, istorum detestantur insaniam, & istorum distorta & Deo contraria itinera saniùs sapiendo redarguunt.* Inde quæ via in Reformatione tenenda sit, explicans, pertendit, in Concilio tali ad Legem Dei, ad Evangelium, ad Concilia instinctu Spiritus S. approbata, ad bonas etiam leges humanas recurrendum, & abusus omnes, consuetudines, dispensationes, privilegia, libertates, exemptiones illis adversantes abolendas esse. Papam ipsum se & sua facta Divi-

Durandi Mimatensis de Concilio celebrando liber Clerum Romanum describit, ejusque reformandi formam prait.

nis

nis & humanis legibus conformare debere: Ecclesiam Romanam in multis à sacra primitivæ Ecclesiæ institutione, sanctorum Patrum & Conciliorum & Decretorum sententia deviantem, & primæ institutionis oblitam scripturæ subjiciendam esse: Papæ interdicendum, ne causæ ex Provinciis in Curiam transferantur: Simoniam, quæ in Romana Curia perinde regnet, ac si nullum peccatum esset, pluralitatem beneficiorum, Cardinalium pensiones, titulum universalis Episcopi à Gregorio M. repudiatum, abolenda esse, renovandumque Milevitani Concilii Canonem, *ut una quæque causa in sua Provincia terminetur:* Matrimonium in Concilio eo sacerdotibus concedendum: cogendos esse Monachos ad laborem manuum: reprimendum abusum imaginum, indulgentiarum & pœnitentiarum, Monachorum licentiam humana inventa prædicantium. Identidem verò exclamat, tanquam in morbo desperato, spem omnem abjiciens: *Proh dolor* (ita *par. 3. Tit. 28. & sequ.* exclamat) *quia videtur in ipsa Ecclesia verificari dictum Esai. 34. in figuram Babylonicæ civitatis, gloriosæ in Regnis & inclytæ in superbia Chaldæorum, de qua dicitur: Erit cubile Draconum & pascua struthionum, occurrent dæmonia, Onocentaurus & pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubabit lamia, & invenit sibi requiem: ibi habuit foveam ericius, & enutrivit catulos: illic congregati sunt milvi alter ad alterum. Utinam non verificetur verbum in Clero Esaiæ dicentis: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.*

At reformari posse desperat.

CXXIV. Fuisse verò spem illam de reformatione Ecclesiæ conceptam vanam, eventus docuit. Neque enim in Concilio mox Viennæ, præsente Rege Philippo, celebrato, commonefactionum ejusmodi fructus ullus fuit. Quinimo in eo edita est Decretalis illa, cui initium *Pastoralis*, in qua Clemens sese supra Imperatores longè extollit, vicarium se Regis Regum professus. Tum etiam fra-

Spem reformationis vanam fuisse, Concilii Viennensis, quo Decretalis de Potestate Papa supra Cæsares edita, fratrum Mi-

Horum religio confirmata est, eventus docuit.

trum Minorum religio auctorata est, ridicula illa lege, cujus in Clementinis initium: *Exivi de Paradiso, dixi: Rigabo hortum plantationum, ait ille Cœlestis agricola, qui verè fores sapientiæ, verbum Dei à Patre in Patre manens, genitum ab æterno &c.* Talia præfatus pergit: *Hic hortus siquidem est fratrum Minorum sancta religio, quæ muris regularis Observantiæ firmiter undique circumcluſa, intra se solo contenta Deo, adornatur abundè novellis plantationibus filiorum.* Denique in eo Concilio damnantur hæreseos & aliorum criminum Templarii, exinde pluribus locis crudelissimè combusti, totáque Ecclesia proscripti, bonis spoliati. Innocentiæ testimonium iis perhibent Bocatius, Villanus, Antoninus, Nauclerus, Aventinus, alii. Neque desunt, qui incanduisse in eos Pontificem asserant, eò quòd curiam Romanam, cui excidium Palæstinæ tribuebant meritò, detestati essent. Certè plerique tormentis nullis, ut crimina sibi impacta confiterentur, adduci potuerunt. Quin potiùs nonnulli ad supplicia rapti Clementem & Pulchrum, uti etiam Haraldus *in Epitome Annalium Ordinis Minorum* ex octo Tomis Lucæ Waddingi excerpta, testatur, ad Dei tribunal animosè citârunt, quos inter Jacobus Burgundio Ordinis princeps, quæ in quæstione dirissima confessus erat, ad ignis supplicium productus, cùm spes veniæ ipsi, dummodo, quæ in custodia fassus erat, palam confiteretur, facta esset, palinodiam cecinit, & sæviſſimè ac lentè ustulatus licet, Ordinis innocentiam ad finem usque vitæ constanter professus est. Quid quòd suppliciis sublatos Templarios pro Martyribus cultos Nauclerus *Generat. 44. p.* 244. testatur: & nuper Drexelius *lib. 2. Trib. Christi cap. 3. §. 2.* pro iis apologiam texuit?

Templariorum horribile excidium; quibus innocentia nonnulli testimonium perhibent.

Henricus VII. Roma Cardinalibus sacramento discrepantia

CXXV. Eodem Pontifice A. MCCCVIII. Cæsar à Principibus Germaniæ Henricus VII. Lucelburgensis creatus est. Mox Romam contendit, coronam à Pontifice indeptu-

deptúrus. Cùm verò Cardinalibus (quos cum Senatoria potestate Romæ Pontifex reliquerat) sacramentum præstandum denegàsset, dictitans, contra morem majorum, libertatémque Religionis Christianæ militare, ut Princeps Principum, Orbisque terrarum dominus, servo servorum sacramento dicat, Papæ odium internecinum incurrit. Per Robertum igitur Regem Neapolitanum insidias ei struxit, quibus brevi succubuit, venenata hostia à Bernhardo Politiano Dominicano confessore suo, ad id subornato, cum Florentiam obsideret, sublatus. Deus scilicet Panaceus Imperatori optimo cor percussit atque deturbavit. Papa quidem edita Bulla ab ordine Prædicatorum infamiam abstergere conatus est. Nefarium tamen facinus unanimi consensu historici omnes affirmant. Et Vitoduranus noster Henrici σύγχρονος fusè in primis & περιεργῶς apud Celeb. Hottingerum *Hist. Eccles. Sec. XIV. p.* 752. &c. historiam edisserit.

Bernhardo Politiano venenata hostia subsidio necatur.

CXXVI. Non defuerunt sanè perditis illis temporibus, qui propalam Romanæ Ecclesiæ corruptionem detestarentur meritò; Dantes Aligerius, Florentinus, edito tractatu, cui titulus *Monarchia*, Donationem Constantini refutavit, & usurpationes Pontificias graviter reprehendit. In Poëmate de Paradiso Italica lingua conscripto acerbè quiritatus est; *Papam in lupum evasisse, oves Christi à vera via divertisse, propterea Evangelium deseri, Patrum scripta negligi, solis Decretalibus incumbi; de Nazaretho, ubi Gabriel alas suas expandit, neminem cogitare, Vaticanum tantùm & alia selectiora Romæ loca à Papa & Cardinalibus attendi. Et hæc,* inquit, *militiæ Christi, cui nomen dederat Petrus, cæmiterium fuerunt, cùm interim doctrinam Romæ verè sepeliverunt. Olim illatum Ecclesiæ gladio bellum, inferri jam fame, sublato pane illo, quem Deus ei alendæ dederat, nempè Verbi Divini Prædicatione &c. Scripturam Divinam aut omnino à tergo relinqui, aut violenter tor-*

Dantis Aligerii de Ecclesia Romanæ rebus.

torqueri: Unumquemque in suis commentis sibi plaudere: Evangelium verò taceri. In cathedra toto anno vanas quæstiones, meras fabulas, personare; oviculas interim hoc vento pastas tabescere.

Fridericus III. Siciliæ Rex Ecclesiæ Rom. statu offensus, de Evangelii ipsius Veritate dubitat, & ab Alphonso Villanovano in ea confirmatur.

Memorabile cumprimis, quòd eodem tempore Fridericus III. Siciliæ Rex, Princeps cætera religiosus, Ecclesiæ Romanæ scandaloso regimine ita commotus fuerit, ut de Veritate Evangelii subdubitare jam cœperit, anxi⁹ scilicet: *Evangelii-ne doctrina, an Ecclesiæ traditioh, umanum inventum esset.* Confirmatus autem in vera fide est ab Arnoldo Villanovano, ostendente ei scandala illa, in ipso Dei Verbo jam pridē prædicta; & bis jam Sedi Apostolicæ *Apostasiam Diabolicam*, sub Bonifacio VIII. & Benedicto XI. denuntiatam, & tertia vice mox denuntiandam iterum esse. Et dubitationes Regis, & Villanovani discussionem dubitationum lectu dignissimam Cl. Mornæus *Myst. Iniq. pag. m. 973. &c.* fusè admodum repræsentat.

CXXVII. Clemente V. mortuo, cùm Cardinalibus mirè dissidentibus duorum annorum Inter-pontificium esset, & eligendi tandem Pontificis arbitrium uni Cardinali de Ossa Cadurcensi Gallo deferretur, præter omnium exspectationem conscenso throno, *Ego sum Papa*, clamavit; atque sic Jove scilicet æquo judicans, se ipsum elegit, dictus Johannes, ab aliis XXII. ab aliis XXIII. ille scilicet, qui aperte docuit & prædicavit, animas defunctorum fidelium ad beatam Visionem Dei ante tempus resurrectionis non admitti, quem ejus errorem Sorbona, Gersone *in Sermone Paschali* teste, damnavit, aliique etiam passim, inprimis Thomas Wallis Anglus Dominicanus, quem Papa propterea in carcerem compegit, ceu hæresin graviter refutârunt: (quam in rem multa nuper Launojus *Epist. lib. I. 5. & lib. III. Epist. ult.* eruditè disseruit) quique etiam *Extravagantes* edidit, quibus Papa Imperatori, ut Sol Lunæ, præfertur; eique facultas transferendi impe-

Johannes XXII. seipsum eligens, animas ante finem mundi Deo frui negat;

Et Papam Imperatori, ut Solem Lunæ, præstare aliáque superbissimè decernit.

imperia, excommunicandi Angelos, ex quadrato rotundum, ex injuria jus faciendi, contra jus naturale, gentium, civile, decreta, Canones, Concilia, Testamentum Vetus, Evangelia, dispensandi vindicatur.

CXXVIII. Talis verò cùm fuerit, non potuit non Cæsareo-Papatum suum proferre, & inimicitiis adversus Cæsarem, supremum in terris Dominum, gestis exercere. Mortuo scilicet Henrico VII. scindebantur Germanorum studia, aliis Ludovicum Bavarum, Fridericum Austriacum aliis, eligentibus. Uterque confirmari à Papa cùm petiisset, rejectus uterque ab eodem est, Fridericus, quòd sapientis Salomonis stolidus filius esset: Ludovicus, quòd ea jam ausus esset, quæ nondum confirmatum Cæsarem dedeceant. Postea tamen cum Friderico, fatuo scilicet illo, adversus Ludovicum Papa conspiravit. Ludovicus contra, victo Friderico, in Italia Gibellinos contra Welphos corroboraverat. Id verò contineri tacitis discordiis non potuit, sed in fortunas Cæsaris & Imperii erupit. Nam & publico scripto Papa Cæsarem citavit, ut intra trimestre se Avenione sisteret, factique sui rationem redderet; & ut interea Imperium deponeret, præcepit. Imperator verò adhibitis in consilium omnibus Academiis, Guilhelmo comprimis Occam, Bona Gratia Bergamense & Michaele Cæsenate Franciscanorum Antistite, Marsilio Patavino, aliisque, Cæsareis adversus Papam partibus sese applicantibus, ad Generale Concilium provocavit. Quod indignè cùm ferret Papa, eum excommunicavit. Non multò post Romani à Pontifice postulârunt, ut Avenione relicta Romam rediret. Quod cùm facere detrectaret, Ludovicum Imperatorem accersiunt, qui A. MCCCXXVII. Italiam cum exercitu intrans, mox Romæ per Stephanum Columnam Cardinalem, invito Pontifice, in Laterano una cum Conjuge coronatus & Au-

Cæsareo-Papatum suum tuetur adversus Ludovicum Bavarum, quem anathemate subjicit.

Ludovicus verò Romam occupans ibidem coronatur, & deposito Johanne Nicolaum V. Antipapam creat.

& Augustus proclamatus est. Mox de consilio Cardinalium, Cleri & Populi Romani Pontificem Johannem Romam citavit, & coram sententiam dicere jussit; non Imperatorem ab Ecclesia, sed Ecclesiam ab Imperatore pendere asserens, uti Onuphrius scribit. Cùm autem comparere nollet, Pontificatu eum privat, & imagine ejus coram combusta, Nicolaum V., cui ante Petro Corbario Minoritæ nomen erat, Antipapam constituit, quo proditione Pisanorum Johanni tradito, ac in carcere mortuo; tandem Johannes etiam A. MCCCXXXV. moritur, relicta in thesauris tanta auri vi, quantam nullus ante eum Pontifex reliquerat. Nauclerus millies viginti quinque millia aureorum reliquisse scribit.

Johannes paupertatem palam irridet, & Franciscanos repugnantes ceu hæreticos damnat.

CXXIX. Erat scilicet Johannes adeò divitiarum appetens, ut paupertatem non solùm à Christo ejúsque Apostolis, sed à Philosophis etiam, Poëtis & Oratoribus gentilibus collaudatam, palam irriserit, & Franciscanos, opinioni suæ adversantes, ceu hæreticos excommunicaverit, Fraterculos appellaverit, pluréisque etiam combusserit. Gliscebátque adeò vehementer hæc de paupertate Christi contentio Franciscanos inter & Dominicanos, Johannis assecias; affirmantibus illis, Christum nudum pependisse in cruce, neque habuisse, ubi reclinaret caput suum, spinea corona obseptum; his verò pertendentibus, Christum in cruce pependisse non nudum, nec spinea corona caput redimitum, sed ornatum in capite corona Regia & aurea, indutum vero prætexta, id est, toga purpurea, usque ad talos demissa, & limbis aureis prætextata, insuper & cinctum zona aureis bullis insigni, pedésque calceis deauratis seu bracteatis circumdatum; Talem scilicet Christum crucifixum Johannes & cum eo Dominicani etiam pingi & in Templis suspendi curârunt, testante Bullingero *in M.S. historia Joh. XXII.* sua etiam æta-

Certamen Franciscanos inter & Dominicanos de Christo in cruce pendente, nudóne, an corona regia & toga purpurea vestito, acerrimum.

te

te multis in locis visas esse imagines tales Domini crucifixi, vetustate propemodum erosas. In nonnullis locis, teste Johanne Barvota Vitodurano Minorita, qui his ipsis temporibus vixit, visæ sunt imagines crucifixi, altera quidem manu ad crucem affixa, altera verò immissâ in crumenam ex zonâ dependentem, veluti inde pecuniam in usus necessarios & pauperum prolatura. Quo figmento, Christum tantùm non in Judam transformante, rudi populo significare voluerunt, Christum non ita, sicut à Franciscanis prædicabatur, pauperem fuisse. Et quò væsana hæc Papæ, cui opulentissimo omnium, in divitiis tantùm non beatitudinis apicem reponenti, adeóque argentum Evangelio, aurum Christi inopiæ, præferenti (uti quidem etiam Ludovicus Imp. ipsi in Edicto objecit) Christi, cujus vicariam dignitatem sibi arrogavit, paupertas sudes in oculis fuit; consilia flexerint, facilè piis omnibús suboluit. Certè Alvarus Pelagius, Papæ illius Pœnitentiarius, Hispaniæ suæ decus, & edito *de Planctu Ecclesiæ* magno & insigni, uti Trithemius vocat, opere, quo Ecclesiasticorum inprimis hypocrisin graviter perstrinxit, celebris, in hanc Papæ & supparasitantium ei Dominicanorum, seu potiùs Dæmoniacorum, impietatem acriter invectus est. Et nuper etiam Haraldus in Epitome Annalium Waddingi, Johanni huic adversus decreta præcedentium Pontificum, Nicolai III. & Clementis V. sub anathemate pro Franciscanis, quòd Christus pauper fuerit, definientium, ejusdem opulentiam propugnanti, temeritatis notam haud obscurè impegit.

Alvarus Pelagius Johannis impietatem damnat.

CXXX. Haud præter rem fuerit, tum Bullam Johannis, qua is Cæsarem Ludovicum afflavit, tum ex Ludovici etiam adversus Johannem Edicto nonnulla, præeunte Aventino, repræsentare. Sic autem Bulla illa, quam *vento plenam* Aventinus, *Bestialem* Bullingerus non immeritò

Johannis ejusdem Bulla verè Babylonica adversus Ludovicum Bavarum.

ritò appellant, nos *Babylonicam* insignire haud verecundamur; apud Aventinum *lib. VII. p. m.* 468. describitur: *Postquam à decessoribus nostris res Romana, à Græcis ad Germanos translata, Carolo M. in fidem atque tutelam commissa est, summus ille honor beneficiū Pontificis Maximi esse solet. Decretum siquidem est, ut cùm Germani Principes Regem jussissent, id demū ratum esset, si Romanus Pontifex Orbis Christiani Pater atq; Princeps author fieret, nec ante cuiquam Comitiis Cæsareis, suffragiis Principū designato Regi, neq; administrandi, neq; Regii tituli usurpandi jus est, quàm primarius sacerdos, Dei O. M. Legatus, suo numine favcat, & aspiret. Præterea summa potestas, maximum imperium, ubi orbum capite fuerit, penes Max. Pontificem, cujus beneficium illud est, exīstit. Itidem ubi septem suffragatores Comitiis Cæsareis discordes fuerint, neuter Rex est. Episcopus Romanus, sicut communis omnium Mortalium parens, fasces Romanos ob dissensionem destitutos, Rempub. derelictam, suo arbitrio temperat. Quemadmodum animus imperare, corpus illi, cujus beneficio vivit, servire debet: ita optimè consultum esse rebus Christianis, nemo ambigit, ubi fragilia æternus, prophana sacris, corporalia spiritualibus, subdita sunt, atque obtemperant. Quod tum fiet, quando Pontifex Max. dignitatem utramq; suo arbitratu moderatur. Ecclesia dominatur, ejus lege atque imperio omnis potestas redigitur. Et Imperator religione sacramentiei, qui terris præsidendo vicem Cœlestis Imperatoris perfungitur, addictus est. Hasce ob causas cùm post fata Imperatoris Henrici septimi duo, Fridericus atque Ludovicus, Reges consalutati fuerint, ambo, utpote contra auspicia creati, indigni sunt summo rerum humanarum fastigio. Respublica in medio derelicta atque dilacerata à nobis jure nostro administratur. Proinde Ludovicus maximo malo suo, non minore Ecclesiæ Romanæ detrimento, nec dum à nobis dignus, qui imperet, judicatus, sua sponte Regium nomen, rerum habenas temerè usurpavit, atque vi in Italia atque Germania occupat, &c. Nos igitur, juxta munus cœlitus nobis datum, Ludovico præcipimus, ut intra menses tres sese abdicet ab*

Re-

Regio nomine, gubernatione, functionibus publicis, rebus gerendis penitus abstineat, à se hactenus acta rescindat, nec posthac nisi jussa & mandato nostro dignitatem resumat. Quòd si obtemperare detrectaverit, Patriarchis, Episcopis cunctis, sacerdotibus, principibus, civitatibus imperamus, ut eundem deserant, ac nobis parere cogant. Data atque publicata Avinione. A.C. 1321.

CXXXI. Neque verò Johanni Ludovicus parcit. In Edicto enim Comitiorum Reginoburgensium consensu vulgato, quòd idem mox Aventinus fusissimè describit, inter alia isthæc legere est: *Johannes ille, qui se Papam XXII. nuncupat, qualis sit, oviculis Christi nostro beneficio operæ pretium est agnoscere, ne deceptæ ovilla pelle à sævissimo lupo devorentur. Nempe sanguinem Christi annum sitit, discordiæ seditionumque mala ubique gentium inter Christianos serit. In Germania & Italia pollicitationibus auroque Principes, Sacerdotes, & cives corrumpere nititur. Non licet per hunc ANTICHRISTUM Christianis pacem à Deo datam servare. Tanta est hominis, vel potius SATHANÆ illius vecordia. Publicè pro concione scelera sua quasi benefacta prædicat. Cum Christiani, inquit, Principes inter se discordant, tum verè Romanus Papa est. Pontifex Maximus, demum regnat, demum dominatur. Seditio atque discordia Germanorum salus est Pontificum Romanorum. Ideo etiam discordiam nostram aluit, modò mihi, modò Austriaco favebat, imò se favere simulabat. Ad consecrationem ultrò invitabat, sed per fallaciam utrisque verba dedit, & ad pacem pronos rursus arma sumere persuasit. Astu hæc omnia egit, ut interea dum domesticis cognatisque bellis atterimur, ille sic imperium labefactet, & adversus Sanctos Dei pugnet. Præterea nihil videt, nihil facit nisi quod lubet. SATHANÆ Spiritum sibi sumit, se similem Altissimo facit, se ADORARI, quod tamen Angelus sibi à Johanne fieri prohibuit, pedes sibi osculari, more Diocletiani atque Alexandri, crudelissimorum tyrannorum, permittit. Ludibrium naturæ abominabile, ira Dei, socordia atque ignavia nostra est, Princi-*

Et Ludovici adversus Johannem Edictum ex Aventino representatur.

cipem Principum servo servire servorum. Si servus servorum Dei est, cur non servit ministrando atque docendo? Cur mentitur, fallit & dominatur? Pascat bonus Pastor oviculas Christi & amet, non armis oppugnet & vi opprimat. Illius Conversatio sit in Cœlis, spiritualibus deditus, corporalibus se non contaminet. Nos nostro jure, Majorum instituto, sicut jus gentium est, & sacra docent Oracula, res nostras, nimirum terrenas, agere sinat, & verbum inter nos non commutabimus. Et tandem desinat tam impudenter mentiri, nisi forsan omnes Germanos (ut Romanenses autumant) stultos, caudices, asinos, stipites & plumbeos existimat. Me hæreticorum, ut ejus verbis utar, fautorem falsò vocat. Christianus sum, & IPSE HÆRESIARCHA *est. Non enim discipulus est Christi, qui vitam ejus irridet, paupertatem contemnit, religionem polluit, sacra prophanat, & dogmata vilipendit*, &c. *Ab ipso ad totius Orbis Christiani Senatum provocamus.* Et reliqua.

Ejusdem Ludovici adversus Benedictum XII. absolutionem à diris Johannis negantem, heroicum diploma.

CXXXII. Qui Johanni successit Benedictus XII. simultates cum Ludovico Imperatore hostiliter admodum continuat, & absolutionem à diris Johannis, cujus spem nonnullam Legatis ejus fecerat, pertinaciter negat tamen. Qua injuria incitatus Imperator A. MCCCXXXVIII. Francofurti ad Mœnum, præsente etiam Eduardo III. Angliæ Rege, Pontificiæ tyrannidis oppugnator acris, de communi Imperii & Episcoporum etiam plurium consilio heroicum diploma edit, in quo Papam cum suis *Pharisæos, perditissimos Antichristos, in Templo Dei instar Dei sedentes*, nuncupat. Acta Johannis XXII. contra Cæsarem abrogat, aperte demonstrans, Romanum Imperium non à Pontifice, sed à solo Deo, per legitimam Ordinum Imperii electionem, potestatem suam accipere, coronationem verò Pontificis neque addere, neque adimere quicquam potestati Imperatoriæ: neque etiam convenire Pontifici ullam jurisdictionem aut potestatem politicam, denique Generale Concilium anteferendum esse judicio Papæ.

pæ. Diploma Aventinus *lib. VII.* & Nauclerus *fol.* 886. &c. recitant. Post Clemens VI. absolutionem quidem Cæsari, intercedente Philippo Galliarum Rege, promisit, sed durissimis conditionibus; *si Occamum Pontifici dederet, acta contra Pontificem rescinderet, edicto sanciret, Imperium esse beneficium Papæ, omnes errores & hæreses objectas confiteretur: Imperium deponeret, nec nisi volente Papa resumeret, & se ipsum, liberos, omnesq; ditiones in manus Pontificis traderet.* Hæc ubi Imperatori exposita sunt, convocatis Francofurtum Imperii Proceribus, formulam reconciliationis recitari jubet: Displicet ea omnibus. Fit decretum, postulata iniqua esse, ac pertinere ad Imperii oppressionem, & Pontificiam tyrannidem confirmandam: prom repudiandam eam esse. Neque tamen Reges Francorum & Bohemorum reconciliationis negotium deponunt, sed strenuè urgent; operam nihilominus ludentes apud superbissimum, pertinacissimum & inclementissimum Monachum Clementem. Consulti ab iisdem Theologi Parisienses & Bononienses. Qui rescripserunt, postulata Clementis non iniqua solùm & superba, sed æquitati etiam Christianæ prorsus contraria esse. Rursus igitur Legatio ad Pontificem ab Imperatore omnibusque Imperii Statibus mittitur, moneturque Pontifex, à frivolis & in eversionem Imperii excogitatis conditionibus desisteret. Ille verò, eluiæ instar tigridis efferatus, A. MCCCXLVI. in Cœna Domini, atroci oratione in Ludovicum habita, omnes Johannis XXII. processus innovavit, Ludovicum schismaticum & hæreticum declaravit, & Electoribus, alium brevi Regem eligerent, nisi malint ab ipso Pontifice Regem sibi dari, præcipit. Electores dicto audientes Rhenssi alium Romanorum Regem, Carolum Moraviæ Marchionem, & Johannis Regis Bohemiæ filium eligunt. Repudiatur ille Spiræ in Comitiis à Ludovico indictis, & utrinque

Clemens VI. absolutionem promittit, sed durè conditionibus, quibus repudiatis Papa Cæsarem alium eligi jubet.

Electus Carolus Spiræ in Comitiis repudiatur, & ad arma concutritur, &c.

devictus venenopropinatur.

ad arma concurritur. Inter turbas has, incendia, devastationes & strages Ludovicus veneno à vidua Alberti Austriaci, ut suspicio erat, propinato, quod agitatione corporis inter venandum cùm excutere laborásset, ex equo, in quo ursum ingentem impetierat, præcipitatus v. Id. Octob. A. MCCCXLVII. beatam animam Deo reddidit; Clarissimus Heros meritò summis Imperatoribus annumerandus; cùm in summis discriminibus & periculis, cum Pontificum trium tyrannide assiduè colluctatus annos triginta tres Princeps omni laude major, qui bellum nunquam cuiquam intulit, sed ab aliis illatum masculè depulit, regnásset; cui ad omnium virtutum magno Principe dignarum cumulum unum defuisse videtur, quòd leniùs Pontifices tractavit, nimiáque submissione eorum in se superbiam magis exasperavit, ignarus scilicet, non esse cantanda carmina cordi pessimo, uti Solomon Proverb. XXV. 20. monuit. Sed tyrannide quadam temporum abreptus Princeps optimus præstare, quod fortè voluit, non potuit. Mereturque inprimis lectionem liber Doctissimi Georgii Herwarti Bavari, quo is adversus impudentissimum Bzovium pro Ludovico apologiam gravissimam texuit.

Clementi fese opposuerunt viri plures celebres, Occamus & Leopoldus Bambergensis Episcopus nempe primus.

CXXXIII. Sed Ludovici causam adversus Clementis inprimis rabiem fortissimè omnium scripto egit Guilhelmus Occam, natione Anglus, Ordinis fratrum Minorum, Johannis Scoti discipulus, Ludovici σύγχρονος, *Vir*, ita de eo Trithemius, *in Divinis Scripturis eruditus, & in Philosophia Aristotelica nobiliter doctus, ingenio subtilis & clarus eloquio.* Is enim libro adversus Clementem emisso, *Clementem hæreseos nota inurit, ipsum Antichristum, paupertatis Christianæ osorem, hostem Reipub. conjuratum, Germanarum, gentis Christianissimæ inimicum, sectatorem falsorum Pontificum & sævissimorum luporum* appellat. Leopoldus quoque Bambergensis Episcopus,

scopus, & Occami Collega, in tractatu, cui titulus, *Vindex pacis Christianæ*, publicè asseveravit: *Pontificem, nisi Antichristi fastum, quàm Christi & ejus comitum paupertatem æmulari malit, infimi cujusque Christiani, nedum supremæ potestatis servum esse, tantum abesse, ut cum maxima Reipublicæ Christianæ jactura dominari, quicquid libitum fuerit, factitare, Deus non solùm dici, sed credi postulet.* Hæc aliaque Aventinus *lib. VII. Annal.* memorat. Cœteri Theologi, & juris utriusque periti, eandem in sententiam pleraque disputârunt, & in libellos redegerunt. Quorum opera in Bibliothecis cum blattis & tineis diu colluctata perierunt. Author etiam Nauclerus est, Papæ imperanti, ut Ludovicum mortuum pro hæretico omnes censerent, cùm alibi, tum Basileæ cum primis cordatos viros se opposuisse, negantes primùm, se Ludovicum pro hæretico habere velle; deinde protestantes apertè, se eum semper agnituros & habituros Imperatorem, quem Imperii Principes elegerint, sive approbatus & consecratus, sive improbatus à Pontifice fuerit.

CXXXIV. Ludovico Imperatori, post varios discordibus consiliis electos, tandem successit ille, qui Ludovico vivo oppositus erat, Carolus, quartus postea dictus. Is primo vere A. MCCCLV. ingressus Italiam cum exercitu Germanorum & Bohemorum, à Pontifice Innocentio VI. sibi per Cardinales ejus Romæ subsistentes coronam dari petivit; ac eam quidem obtinuit, sed majore dedecore, quàm superiorum Imperatorum quisquam. Imperator ex equo ad portam Romanæ urbis descendens, pedes urbem ingreditur. Id quod falsè exagitavit Senator non nemo Romanus, qui in Capitolio Orationem habens; *Ecce Rex tuus*, inquiebat, *venit tibi mansuetus*, &c. Si venisset, ut digni erant nebulones isti Romani, venisset armatus stricto gladio, quem in ipsorum viscera ac capi-

Carolus IV. coronam ab Innocentio VI. magno cum dedecore obtinet, promittens se nunquam Italiam repetiturum.

capita ſtrinxiſſet. Hoſtienſis verò Cardinalis Avinione Romam miſſus hac demum conditione coronam ei promiſit, ſi promitteret, Italiam ſe mox deſerturum, in Germaniam vel Bohemiam ſuam rediturum, & Italiam nunquam deinceps repetiturum, niſi vocatum ab ipſo Italiæ domino Pontifice. Quam etiam conditionem iniquiſſimam Cæſar ille, ſacrificulorum cliens (unde *Presbyterorum Cæſar*, der *Pfaffenkeyſer*, vulgò nuncupari ſuevit) turpiter admiſit, adeoque quæ verba Aventini *lib. VII. Annal.* ſunt, *Libertatem Germanam, Majeſtatem Imperii Romani, populi victoris gentium fortunam, Chriſtianam ſimplicitatem hoſtibus Reipub. Chriſtianæ prodidit.* Alia etiam enormia ſatis Carolus admiſit, Abbatibus parem Principibus in Imperio locum tribuens, Delphinatum Regi Galliæ vendens; Sileſiam, Luſatiam, aliaque Bohemiæ ſuæ addens; & Electoribus, ut filio Wenceslao faverent, Rheni vectigalia oppignerans. Atque ita Aquila deplumata eſt, ut cæteris avibus poſthac contemptui eſſet. Talemque Imperatorem Romæ, omnium ferè malorum architecta, & verè ἀπολλύουσα dedit.

Ita Carolus Majeſtatem Imperii Rom. prodidit, & Aquilam deplumavit.

CXXXV. Vixit ea ætate Franciſcus Petrarcha, natione Florentinus, Parmenſis Archidiaconus, Seculi ſui lumen. Is ignominioſa hac Caroli coronatione motus, ſic ad eum ſcripſit: *Neſcio, quid Romano Pontifici pollicitus, jurejurando interpoſito, quaſi manu valida, ſeu monte invio, Romanæ urbis aditu prohiberis. Quænam iſta ſuperbia eſt, Principem Romanum, publicæ libertatis authorem, libertate privare, ut cujus eſſe debent omnia, ipſe non ſit ſuus?* In alia Epiſtola idem ſic ſcribit: *Omnis poteſtas impatiens conſortis erit. Cujus rei ſi qua antiqua non ſufficerent, vereor ne recens nobis exemplum caſus attulerit, neu jam Pontifex Romanus Principem Romæ eſſe vetuerit: quod fama loquitur. Quem nunc Diademate contentum ac Imperii titulo Roma non ſolùm patitur, ſed jubet; &*

Petrarcha id Carolo exprobrat, & Curiam Romanam nomine Babylonis Occidentalis graviter exagitat.

quem

quem dici Imperatorem sinit, imperare nullo modo permittit. Idem Petrarcha tum in Poëmatis suis Romam *Babylonicam meretricem, erroris scholam, hæreseos Templum*, passim vocat; tum in Epistolis suis disertissimis gravissimisque Curiam Romanam sub nomine Babylonis Occidentalis graphicè depingit. Inter multa alia *Epist.* XIV. sic scribit: *Quis, oro, non fugiat Babylonem* (Curiam Romanam Avinione tum residentem innuit) *& Vitiorum simul omnium, & laboris ac totius miseriæ domum. De qua quidem aliquid nôsse debes. Visa loquor, non audita. Ibi nulla pietas, nulla charitas, nulla fides, nulla Dei reverentia, nullus timor, nihil sancti, nihil justi, nihil æqui, nihil pensi, nihil denique humani. Amor, pudor, decor, candor inde exulant. De Veritate quidem sileo. Nam quis unquam vero locus, ubi omnia mendacii plena sunt, aër, terra, domus, turres, vici, atria, plateæ, porticus, vestibula, aulæ, thalami, tectorum laquearia, murorum rimulæ, diversoria ædium, penetralia Templorum, Judicum subsellia, Pontificum sedes?* Epistola superiore nona Romanam Curiam *Labyrinthi & Babylonis tertiæ* nomine infamaverat: *ubi non carcer horrendus* (sic enim loquitur) *non tenebrosæ domus error, non fatalis urna humani generis fata permiscens, denique non imperiosus Minos, non Minotaurus vorax, non damnatæ Veneris monumenta defuerint, sed remedia, sed amor, sed charitas, sed promissorum fides, sed amica consilia, sed fila perplexum iter tacita ope signantia, sed Ariadna, sed Dædalus; una spes salutis in auro esset, auro placaretur Rex ferus, auro immane monstrum vinceretur, auro tristis janitor emolliretur, auro Cælum panderetur, auro Christus venderetur.* Epistola decima sexta ore liberrimo de universa Pontificis aula sic pronuntiat: *In Babylone Regno avaritia, futuræ vitæ spes inanis quædam fabula: & quæ de inferis narrantur, fabulosa omnia: & resurrectio carnis, & mundi finis, & Christus ad judicium venturus, inter nenias habentur.* Similia plura ex eodem Petrarcha

cha Bzovius excerpsit, & nos in loco repræsentabimus.

Plures etiam cordati ejusdem Curiæ impietatem liberè notant. Veluti Joh. à Rupescissa.

CXXXVI. Neque verò ea ætate viri cordati παρρησιαζόμενοι defuere plures. Innocentius VI. Pontifex Johannem à Rupe-scissa, Monachum Franciscanum Avinione captivum attinebat, *propter res miras*, ita Froissardus *vol. 3. cap. 24.* scribit, *quas eventuras ille dicebat, præsertim super Prælatos & Præsidentes in Ecclesia, scilicet ob immensum luxum & ambitionem, quibus dediti erant*, &c. *Probaturum autem se dicebat omnia dicta sua per Apocalypsin, & veteres libros S. Prophetarum, qui ipsi per gratiam Spiritus S. essent retecti*, &c. Retulit is aliquando eodem teste, Cardinali Hostiensi, contigisse Ecclesiæ, quod olim pulcherrimæ aviculæ, quæ implumis nata, cùm volare non posset, de vita periclitabatur. Aves alias ejus misertas, plumis eam operuisse, hoc est, Reges & Principes Ecclesiam effusis in eam suis patrimoniis ditâsse, & supra modum exaltâsse. Avem verò, ut se auctam viderit, superbire & ferocire, aliasque rostro & unguibus petere cœpisse, hoc est, Ecclesiam cum Imperatoribus inimicitias graves suscepisse. At aves plumas suas inde repetiisse. Ita Principes beneficia & dona sua repetituros. (confer hic Apoc. XVII. 13. 16.) Addit Froissardus, *prædictiones ejus multas evenisse, omnia eum per Apocalypsin confirmâsse, & comprobationes veras, quibus se armabat, sæpius ipsum, quò minùs comburetur, servâsse.* Scripsit idem Franciscanus in carcere Tractatum Propheticum, cui titulus; *Vade mecum in tribulationem* in quo Antichristum in Papatu regnare asseveravit, & Ecclesiæ reformationem

M. Nicolaus Oremus.

præsagiebat. Sed & Magister Nicolaus Oremus, Theol. D. ille scilicet, qui urgente Carolo V. Galliarum Rege Biblia sacra in linguam Gallicam transtulit; coram Urbano V. concionem habuit in verba Esaiæ cap. LVI. 1. Juxta est salus mea; ut veniat, & justitia mea ut reveletur, in

qua

qua Antichriſtum veniſſe his ſcilicet argumentis comprobat: quia jam tum Imperium Romanum deſolatum ſit; quia Eccleſia ſit pejor moribus, quàm fuerit olim Synagoga: quia Sacerdotes ſint majores, quàm Principes ſeculi: quia faſtus Prælatorum ad faſtigium enixus ſit; quia tyrannis Præſidentium ſumma ſit; quia in Eccleſia non promoveantur niſi indigni, & vilipendantur meliores; quia Politia ſæcularium tribuletur, & populi paſſim commoveantur; quia Eccleſiæ Principes incorrigibiles ſint. Et deinceps etiam objectiones diluit. Inprimis autem iis temporibus S. Brigidæ & Catharinæ Senenſis revelationes celebrabantur. Et Brigida quidem, gente Scota, in Revelationibus ſuis A. MDCXXVIII. Coloniæ una cum Turre cremata, Recognitione & Conſalvi Duranti obſervationibus editis, *maturo Theologorum judicio* (ita Cardinalis Bona ipſe in *Notitia Scriptorum* nuper ſcripſit) *approbatis*; Chriſtum ſibi viſum *lib. I. cap.* 41. inducit, qui Pontificem Clementem VI. vocat *animarum interfectorem, Ovium Jeſu Chriſti diſperſorem & laceratorem, abominabiliorem Judæis, inimiciorem Juda, injuſtiorem Pilato, pejorem Lucifero, ſedem ejus demergendam eſſe, ſicut lapidem ponderoſum: Aſſeſſores ſuos anſuros in igne ſulphureo & inextinguibili.* Sacerdotes etiam reprehendit, quòd eorum culpa doctrina Chriſti neglecta, & ferme abolita, & Divina ſapientia in pravam & vanam converſa ſit. Alicubi etiam vidiſſe ſe ait Virginem, dicentem ad filium, *Romam eſſe feracem agrum.* Reſpondiſſe Chriſtum: *Eſt, ſed zizania. lib. V. cap.* 41. Chriſtus ita de Gregorio XI. Papa judicat: *Gregorius Papa eſt ſimilis Paralytico, qui non movet manus ad operandum, nec pedes ad ambulandum. Tenet eum quaſi impeditum immoderatus amor ſanguinis ſui, & frigus tepiditatis ad me.* Catharina quoque Senenſis, cujus Legendam Raimundus conſcripſit, audita Peruſinorum adverſus Pontificem rebellione: *Non incipiatis*, inquit,

S. Brigitæ.

Catharinæ Senenſis.

quit, *fletum vestrum tam citò, quia nimis habebitis flere. Istud enim quod modò videtis, est lac & mel respectu subsequentium*, &c. *Hoc modò faciunt laici, & citò videbitis, quòd deteriora facient Clerici. Facient enim scandalum universale toti Ecclesiæ Dei, quod tanquam pestis hæretica ipsam scindet & conturbabit. Non enim propriè hæresis, sed quasi hæresis; & quædam divisio Ecclesiæ, totiusq; Christianitatis.* Id Raimundus interpretabatur de Schismate quod Gregorii abitum consecutum est. Addit idem Raimundus: *Ego curiosus factus ad investigandum de futuris post illam conquassationem, interrogavi eam* (Catharinam) *ex quo manifestè innotuerat, futura sibi Divinitus revelari*, &c. *His tribulationibus & angustiis, modo imperceptibili hominibus, purgabit Deus Ecclesiam suam sanctam, & suscitabit Spiritum electorum suorum. Sequetur q; post hæc tanta Reformatio Ecclesiæ Dei, & renovatio Sanctorum Pastorum, quòd ex solo cogitatu exultat spiritus meus in Domino. Et sicut alias pluries dixi, Sponsa, quæ nunc est, tota deformis & pannosa, erit pulcherrima monilibus pretiosis ornata, cunctiq; fideles gaudebunt, tum sanctis Pastoribus decorati.* Quæ Prædictio ad Ecclesiæ reformationem referenda omnino est.

Wiclefus Anglus in primis, cujus in detegendo Antichristo, oppugnanda falsa doctrina, Magnanimus ipsius veritatis successibus, zelus & patientia inæmparabilis laudantur.

CXXXVII. Circa eadem tempora, Anno nimirum MCCCLX. capit extulit Johannes Wiclefus, Oxonii natus, Philosophus & Theologus insignis, qui præ cœteris Ecclesiæ Romanæ ulcera mascule detexit. Non satis habuit ille, ex Scripturis, historiarum serie, validis rationibus, propriisque actibus luci manifestæ dare, *Papam esse Hæresiarcham, Antichristum in Scripturis designatum, abominationem desolationis in abstracto, æstu Sathanæ introductam, apostema Ecclesiæ*; sed ipsius etiam doctrinæ penetralia ingressus, vanitatem, superstitionem, idololatriam coarguit; cultum à Creatore ad creaturas, ad Mortales, Sanctos, reliquias, imagines derivatum reprehendit; Redemptoris Sacrificium in ineptum Missæ spectaculum conversum;

mortis

mortis & Passionis Christi beneficium in dispensationes, peregrinationes, indulgentias, puri, vel potiùs impurissimi hominis beneficia, an veneficia commutatum; populum à Christi merito ad propria merita; à solido crucis Christi præsidio ad cassam operum arundinem; à Deo universi Creatore ad hostiolam panis revocatum gravissimè questus est. Testantur id multifaria ejus scripta, à Johanne Barlæo *Cent.* 6. memorata plusquàm ducenta, inter quæ ejus Commentationes *de vittate Scripturæ, de Christo & Antichristo & ejus membris, de Papa Romano, de nequitiis ejusdem, de Officio Pastorali, de Ministrorum Conjugio, de non saginandis sacerdotibus, de seductione simplicium, de impedimentis Evangelizantium, de amplexando Evangelio, de falsatoribus Divinæ Legis, de otio in mendicitate, de ultima ætate Ecclesiæ; in Danielem & Apocalypsin, de fide Eucharistiæ*, &c. demonstrationibus ejusmodi plenæ sunt. Et compendium doctrinæ ejus tum Thomas Walsinghamus Pontificius apud Bzovium ad A. MCCCLXXVII. tum Catalogus testium veritatis, aliique etiam texuére. Ut verò susceptum Dei opus promoveret feliciùs, etiam S. Biblia in linguam vernaculam transtulit. In Prælectionibus & Concionibus ordinariis Oxonii habitis frontem æneam contra effrontem meretricem, & pectus adamantinum contra totius Cleri impetum indutus, in ipsum Regis Eduardi aurem intonat, magnorumque etiam virorum, qui sive literis, sive armis florebant, animos commovet & percellit, atque id denique labore & zelo suo efficit, ut veritas à Magnatibus etiam, ipsoque Rege in Parlamento decernente, ne Episcopi Romam ampliùs adirent; de quo videndus Paulus Waldensis *Epist. ad Mart. V.* avidè ex ore ejus audiatur, suscipiatur, multosque annos feliciter personet; adeò quidem ut lumen Evangelii ejus opera revivíscens, nullus exinde ventus, turbo nullus extinguere potuerit.

Et temporibus quidem illis tenebricosissimis turbulentissimisque, inter tot fulmina Româ in maximorum etiam Principum capita vibrata, doctrinam Romæ usque quaque repugnantem Wiclefus proferre & eò usque propagare non potuisset, nisi ejus Spiritus cœlitus lucem, robur, fiduciam accepisset, Deusque per eum imbecillem & abjectissimum, si mundum spectes, homuncionem egisset, imperiique Sathanæ ac Antichristi ruinam moliri jam jam incepisset. Nihilominus eandem, quam Sancti omnes assolent, sortem expertus etiam est, stantibus contra eum ursis, prædonica gente, Monachorum imprimis mendicantium, cum tota congregatione Chore, in perniciem ejus jurata. Ejectus enim in exilium sub Richardo II. & aliquandiu in Bohemia oberravit, ubi magnam Waldensium doctrinæ fœneratus est lucem, & Johanni etiam Husso juveni adhuc veritatis semina instillavit. Ab exilio revocatus, & Eduardo Rege ei ob pietatem favente, A. MCCCLXXXVII. ultimo Decembris in patria piè obdormivit, honestéque sepultus; sed post A. MCDXXIV. Martini V. Wœsana rabie correpti, jussu, à Prælatis Angliæ exhumatus & combustus est.

Schismatis pertinacissimi à tempore Urbani VI. ad Concilium Constantiense usq; historia.

CXXXVIII. Inde ab Urbano V. ad Concilium usque Constantiense, adeoque annos plus quadraginta in Ecclesia Romana Schisma maximum & pertinacissimum omnium, seu, uti Author Fasciculi temporum describit, *omnium schismatum, quæ antea fuerant, pessimum ac subtilissimum, adeoq; perplexum, ut etiam doctissimi & conscientiosi viri non valerent discutere, cui esset adhærendum; & continuatum cum gravi scandalo totius cleri, & grandi jactura animarum propter hæreses & alia devia, quæ tunc pullulârunt*; grassatum est. Mortuo scilicet Gregorio XI. in diversa studia Itali & Galli abrepti sunt. Quòd illi Papam qui Romam, hi, qui Avinionem insideret, optârunt. Illi Bartholomæum Archie-

chiepiſcopum Barrenſem Neapolitanum, qui Urbani VI. nomen induit, eligunt. Hi quiritantes, in ſuffragiis vim ſibi illatam, Cardinalem Genuenſem, qui nomen Clementis VII. ſibi impoſuit, Pontificem creant; Urbanus Romæ, Clemens Avinione ſedit. Urbano Italia, Germania, Pannonia: Clementi verò Gallia, Hiſpania, Britannia, Polonia, Suecia, Dania, Boruſſia, Bohemia, Friſia, Lombardia adhæſerunt. Aſſerebant *Obedientiales* (ſic enim ſe nuncupabant) Clementis, ſuum eſſe verum Papam; Urbanum Apoſtaticum & Antipapam. Neque minori fervore Urbaniani in Clementis ſequaces invehebantur, aſſerentes, eos damnatos eſſe. Nauclerus affirmat multas tum hac de re diſputationes eſſe exortas, quis inter illos verus Chriſti vicarius ſit? Nihil tamen certi definitum fuiſſe. Definiri verò poterat, NEUTRUM. Bullas etiam Pontifices hi duo terrificas ad diverſas mundi partes transmiſerunt, & libellos famoſos ſparſerunt, quibus ſe mutuò damnabant, excommunicabant, & ſe invicem, ſcapham ſcilicet ſcapham appellantes, *Antichriſtos*, *Schiſmaticos*, *Hæreticos*, *Fures*, *Proditores*, *Latrones*, *Tyrannos*, *Iniquos*, *Filios Belial*, *Zizaniæ ſatores*, & ſi quid aliud fœdum dictu, infigniebant. Cœdes & contumelias utrinque illatas expoſuit accuratè libris de Schiſmate editis Theodoricus à Niem, author auritus & oculatus teſtis, utpote qui in Curia & apud Urbanum annos circiter triginta vixit. Memoratu digniora, & fœditatem Schiſmatis inprimis arguentia poſt alios Doctiſſ. Mornæus *Myſter. Iniq. p.* 1085. &c. excerpſit.

Contraria Urbani VI. & Clementis VII. ſtudia.

CXXXIX. Omiſſo Bonifacio IX. qui Paulo Langio in Chronico ſuo teſte, *erat pecuniæ avidus, ad quam colligendam plures Legatos per diverſas mundi partes ad negotiandum cum indulgentiis miſit: fuit maximus Simoniacus, & Simoniæ cultores multis dignitatibus ſublimavit: tanti animi conſiliiq; ut primus*

Antipapatum Benedicti XIII. & Gregorii XII. in ea ſchiſmatis malignitas ex Theodorico de Nyem adumbrata.

mus Romani Populi vim omnem transtulerit in Pontificem, suo nutu in urbe disponens, & ordinans singula; & Annatas quoque, Genebrardo commemorante, Sacerdotiis imposuit, (de quo fusè Petrus de Marca *de Concord. Sacerdot. & Imp. lib. VI.* 10. 11. *&c.* agit) seculi *Decimi quinti* τὰ κυρίως perstringenda veniunt. Post ejus initium A. MCCCCVI. Schisma pridem cœptum altiores jam radices egit, Ecclesiamque Romanam mirum in modum exercitam habuit. Innocentio VII. Romæ defuncto, & Petro de Luna, seu Benedicto XIII. Avinione pro Papa se gerente, Romæ successit Gregorius XII. Angelus Corrarius, Venetus Patriarcha Constantinopolitanus. De hoc Schismate librum integrum idem, qui supra, Theodoricus de Nyem scripsit. Ubi non Gregorium, sed *Errorium* vocat. Quàm maligni in hoc Schismate Pontifices illi fuerint, sic ille inter alia *lib.* 3. describit: *Si quis*, inquit, *fraudes, machinationes*, Errorii *& Petri per singula describere vellet, vix chartæ & atramentum huic sufficerent. Verum tamen clarum est, quòd cauteriatas habent suas conscientias, dicentes, se esse simplices, cùm sint astutia Diabolica repleti. Et pro opere pietatis dixerunt & dicunt, se utique voluisse & velle unionem facere, quod tamen in eorum cordibus non habebant, nec habent. Quid igitur erit in tam lamentabili Schismate finaliter? De his duobus Senioribus Babylonis, Petro & Errorio, major progressa est iniquitas & passim progreditur in universam terram, quàm unquam ante nostra tempora ab aliquibus de Papatu contendentibus emanavit. Et proh dolor! hæc adeò manifesta sunt & notoria, quòd nulla possunt tergiversatione celari. Unde ipsa fides Catholica obnubilatur. Omnis religio naufragium patitur, bella & aliæ calamitates multæ pullulant, Dei timor & hominum verecundia & virtutes à plerisq; regnantibus & præsidentibus populis atque aliis inferioribus omnis status propterea in longum abierunt, in eorum loca successerunt vitia, justitia corruit in plateis, & in effectu. In universali Ecclesia, & in ejus membris*

bris à capite usque ad plantam pedis non est sanitas. Et Cardinales quidem *Dei & Spiritus S. nutu tacti*, ut Gerson loquitur, A. MCCCCIX. Concilio Pisis indicto, funestum adeò Schisma, depositis Benedicto & Gregorio, ceu criminis hæreseos, schismatis, perjurii scelerumque plurimorum reis; uti quidem Coriolanus & Bailius ex Blondo & Antonino referunt; electoque Petro Philargo Cretensi, qui nomen Alexandri V. assumpsit, abolere nequicquam conati sunt. Benedictus enim eorum conatus suaviter irrisit: Gregorius verò vocatus ad Concilium, respondit, non Cardinalium, sed suum esse Concilium convocare. Quin *propter pervicacem utrinsq; ambitionem, qui ante mutuò infensi, jam simul conspirabant ad tuendam, quam possidebant dignitatem, atque ut in communi causa colludebant*, uti Cabassutius in *Notitia Conciliorum* loquitur. Alexandro electo Gregorius Ariminum, Benedictus in Cataloniam aufugit. Uterque novos Cardinales creat, & verus Pontifex uterque haberi contendit. Factaque sic Ecclesia Romana Triceps est. Mortuo quin etiam sequente anno Alexandro V. veneno uti putatur, à Balthassare Cossa ei propinato, ipse Balthasar Cossa Neapolitanus, Johannes XXIV. post dictus, surrogatus est. Is statim Legatos ad Principes Germaniæ misit, rogavitque, ut Sigismundum Hungariæ Regem Imperatori Ruperto defuncto sufficerent. Quod cum ex voto successisset, Romæ Imperatorem coronaturus, & Ecclesiam tranquillaturus Concilium indicit, in cujus prima sessione teste, apud Bailium, Nicolao Clemangis, Bajocensi Archidiacono, post missam de Spiritu S. celebratam, bubo, ferale omen, apparuit, supra Templi trabem sedens, horrifica voce, oculis in Papam conjectis, ipsum monstrifico ore salutavit, nec nisi fustibus interemptus abigi potuit. Unde falsè admodum Concilio huic Romano ab Antipapis objectum, Spiritum S. in specie bubonis

Deposito utroque in Concilio Pisano Alexander V. eligitur, renitente utroque.

Alexandro Balthassar Cossa, seu Iohannes XXIV. succedit, qui Sigismundum coronaturus & Ecclesiam tranquillaturus Concilium Romanum, cui bubo præfuit, cogit.

ei

ei præsediſſe. Certè illud Concilium nulla fruge dimiſſum eſt.

Sigismundus Imperator ingentibus ſtudiis Eccleſiæ pacem reſtituere conatus. Conſtantiæ Concilium à Johanne convocari curat.

CXL. Cœterùm rebus ita deploratis Imperator Sigiſmundus, ut Eccleſiam miſerè laceratam & inexhauſta quadam vitiorum ac morborum colluvie inundatam ſanaret & recolligeret, tantos pro Romana Eccleſia ſuſcepit pertulitque labores, quantos ante ipſum pro Eccleſiæ ſalute pauciſſimi Regum vel Imperatorum ſubiiſſe leguntur. Etenim quò cœteri Reges in publicum Concilium (qua unica ratione Schiſma tolli, & deploratis ferè Eccleſiæ malis medicina adhiberi poſſe videbatur) coirent, non ſine graviſſimis laboribus, ſumptibus & periculis, Regna ferè omnia totius Orbis Chriſtiani peragravit, Galliam & Hiſpaniam adivit, in Angliam navigavit, Regibus nationum iſtarum perſuaſit, ut & ipſi in Concilium univerſale conſenſerint. Sed & in Italiam profectus Johanni Papæ Mantuæ perſuaſit, ut Conſtantiam ad Concilium veniret. Ita cœptum menſe Octobre A. MCCCCXIV. Concilium Conſtantienſe, ſeu potiùs, ut feſtivè Lutherus inſignivit, *Obſtantienſe* (eò quòd in eo inter alia definitum eſt, licet Chriſtus poſt cœnam inſtituerit, & ſuis diſcipulis adminiſtraverit ſub utraque, ſpecie Panis & Vini venerabile Sacramentum, *hoc tamen non obſtante*, poſtea à conficientibus ſub utraque & à laicis ſub una ſpecie panis accipiatur) ad quod ſexaginta millia hominum confluxerunt. Gerebatur ibi res quinque nationum, Italicæ, Gallicæ, Germanicæ, Hiſpanicæ & Anglicæ ſuffragiis. Sigiſmundus Imperator in ejus prima Miſſa, ut Diaconus, Evangelium cantavit. Conventu aperto, & data liberè loquendi poteſtate, plus quam quadraginta crimina, eaque graviſſima Johanni objecta & probata ſunt, inter quæ etiam illud, quòd Alexandrum deceſſorem conducto Marſilio Parmenſi Medico, veneni ope ſuſtuliſſet. Egit tamen cum Fri-

Friderico Auſtriaco, ut ſe ex Concilio ſubducere velit. Quod cùm feciſſet ille, Papa abducto, Helvetii, inprimis Tigurini, ſuaſu Concilii, Papam & Fridericum perſequuntur & opimis ob id feudis ab Imperatore donantur. Retractus ex fuga Papa, & Manhemii in carcerem compactus, coactus eſt, Concilio dictante, Papatu ſe abdicare, ceu *hæreticus*, *negatæ animarum immortalitatis reus*, *atheus*, *Simoniacus*, *mendax hypocrita*, *homicida*, *veneficus*, *aleator*, *adulter*, *Sodomita*, *incarnatus* denique *Diabolus*, quæ & ſimilia Johannis ſcelera ex Coſmodromico Gobelini Perſonæ nuper etiam Odoricus Rainaldus in Annalium Baronii continuatione, aliisque repetiit. Mox Synodi Præſides decretum edunt, quo declarant, *Concilium Generale Legitimè congregatum habere poteſtatem immediatè à Chriſto, atque eidem Papam ſubjectum eſſe.* Supererant duo Papæ, Gregorius & Benedictus, qui & ipſi citati, cùm comparere detrectarent, Pontificia dignitate exuti ſunt. Ita Gregorius animi mœrore confectus mox obiit: Benedictus cùm ſe præfractiùs gereret, etiam Eccleſiæ communione motus eſt. Inde perventum in Concilio ad negotium Reformationis, cujus capita à P. de Aliaco digeſta Sigiſmundus proponi mandat, ſigillatim de cauſis, propter quas Pontifex corripi & deponi poſſit; quas ante novi Pontificis electionem definiri petit. Urgentibus nonnullis, à Minoritis Reformationis initium ſumendum, Sigiſmundus idem meritò reſpondit: *Imò verò à Majoritis.* Perculſis ea voce Majoritis, ne, Pontifice nullo Imperator id exſequeretur, annitentibus iisdem, die Martini A. MCCCCXVII. eligitur nationum omnium & Cardinalium conſenſu Otho Columna Romanus, Cardinalis Divi Gregorii, qui quòd in feſto Martini Papa creatus eſſet, Martinus V. dici voluit. Cujus electi pedes magna lætitia primus Sigismundus oſculatus eſt. Primùm atque is conſecutus eſt imperium, nulla

In eo depoſitis tribus Antipapis eligitur Martinus V. qui reformationem Eccleſiæ à Sigismundo tentatam eludit.

nulla ampliùs reformationis facta mentio est. Imperatore verò eam strenuè urgente, Papa respondit, in aliud tempus opportunius remedium isthoc differendum esse. Rem enim esse magni momenti, periculosæ aleæ plenam, maturi consilii indigam, ne, vi pace composita, novæ in Clero turbæ exoriantur. Ex Hieronymi quippe sententia unamquamque provinciam suos habere mores, suosque sensus, qui è medio tolli sine gravi rerum perturbatione nequeant. Et quia decreta sint Concilia consequentibus temporibus celebranda, iccirco reformationem temporibus illis reservandam, finemque Constantiensi Concilio per quatuor jam annos extracto imponendum esse. Ita scilicet egregius Veterator Imperatori & reliquis Principibus illusit, relictaque die XXII. April. MCCCCXVIII. Constantiâ, & impositio Concilio fine in Italiam ad Voluptates se contulit & Romæ Jubilæum celebravit.

Eugenius IV. Basileense Concilium cogit: mox verò à Patribus ejus sibi metuens illud Ferrariam, atque inde Florentiam transfert, & à Basileensibus deponitur, Amadeo Sabaudo, seu Felice V. surrogato.

CXLI. Qui Martino successit Eugenius IV. initio statim Pontificatus sui ratam habuit sententiam Martini defuncti, cujus in eo concilia steterant, ut novum Concilium Basileæ coiret. Coactum illud reformandæ Ecclesiæ gratia, indicente Eugenio A. MCCCCXXXI. usque ad A. MCCCCXLVI. duravit. Cæterùm cùm audiret Eugenius, disputari palam, Papam subesse Concilio debere, & potiorem esse Concilii quàm Papæ authoritatem, abrumpendi Concilii & Ferrariam transferendi consilium, eo prætextu, quòd Græci locum eum sibi delegissent; cepit, Sigismundo Imperatore & Præsidibus Concilii multùm refragantibus. Cumque cœptis suis Papa ἀνυπευθύνως insisteret, & Ferrariæ Concilium suum Papale, Johanne Palæologo Imperatore Constantinopolitano eò invitato, & irreverenter excepto, inchoaret, & mox etiam lue Epidemia ibi serpente Florentiam illud transferret; Concilium Basileense bullam A. MCCCCXXXVII. edit, qua ab Officio

ficio Pastorali Eugenius suspenditur ob lupinam tyrannidem, simulque sancitur, Ecclesiam in capite & membris reformandam esse, & Papam ipsum Concilio subjacere. *Quod nisi est*, inquit, *quis unquam Romano Pontifici quanquam improbissimo contradiceret?* Cujus Concilii authoritatem Stanislaus Felix in *Notis* ad Pallavicini *Historiam Concilii Tridentini*, strenuè tuetur; licet Basileam Basiliscum peperisse Antoninus Florentinus dictitaverit. Sed & Concilium Florentinum ab Eugenio ἐξ ἐναντίας celebrarum, ceu illegitimum, adeoque *Conciliabulum*, damnat, denique Eugenio, cò quòd, ut *Sess.* 26. loquuntur Patres, nulla exhortatione ad emendationem morum, & abusuum correctionem, trahi potuerit, electioni Pastorum proborum non præbuerit assensum, Beneficia Simoniacè contulerit, Concilio non adfuerit, bonos expulerit, pro gravi pecunia dignitates contulerit, Synodalia piorum Pontificum decreta revocârit &c. mox *Sess.* 34. ceu contumace exauthorato novum Pontificem, Amadeum Ducem Sabaudiæ, Felicis V. nomine insignem, creant. Documenta ejus rei multifaria ἀξιομνημόνευτα à Goldasto in Constitutiones Imperiales relata legere est. Interim Florentiæ cum Palæologo reliquisque Græcis, auxilia adversus Turcas, unione & communione fidei promissa, pacisccentibus, transigitur, conveniturque sequentes in Articulos: *Purgatorium esse, Papam Ecclesiæ caput esse, Spiritum S. à Patre & Filio procedere, S. Eucharistiam in azymo & fermento indifferenter confici.* Hæc omnia Imperator Græcus à suis comprobari curat; repugnante acriter Michaele Episcopo Ephesino, & articulos de Papa inprimis & Purgatorio strenuè oppugnante. Domum reversi Græci συνυποκρινόμενοι odium incurrerunt omnium, articulos, quibus illi consenserant, apertè damnantium. Extat Epistola Ecclesiæ Constantinopolitanæ ad Bohemos, die 18. Jan. A. MCCCCLI. missa, & Catalogo

Florentinorum cum Græcis negotiatio lubrica à Græcis post rejecta.

Testium Veritatis Græco-Latinè inserta; in qua inter alia sic scribunt: *Hortamur vos nobiscum ad concordiam; non autem secundum illam Florentinam unionem simulatam, à certo verò consilio abalienatam, quæ diremptio à veritate jure appellanda est. Quam ob causam illam quoque minimè admisimus, imò prorsus repudiavimus: sed secundum immutabile Veritatis decretum, in quo solo verè ac tutò uniri possumus.* Isidorus tamen Ruthenorum, & Bessarion Niceæ Episcopi, Pontificias partes amplexi, Cardinalium Romanorum in chorum cooptati sunt. Decretum mox Eugenius edit, tantum abesse, ut Concilio ulli ipse subjaceat, *ut tunc maximè mereatur, cùm Concilii decreta contemnit.* Quin & thesin hanc, *Concilium esse supra Papam*, ceu *hæreticam* damnat; dimissoque Florentiæ Conciliabulo Romam A. MCCCCXXXIX. revertitur. Inde in Felicem tonat, & hic Basilea non minore ardore in Eugenium; convitia statuæ Nabuchodonosoris, idoli, Beelzebubis, Luciferi adversus se invicem jactante strenuè. Concilium verò Basileense comparentibus Bohemis, post quinquaginta dierum disputationem, communionem sub utraque specie, ceu liberam, scilicet jure Divino, non necessariam, permittit: Annatas & alias rapinas abolet; Hussitis negantibus, se ullam doctrinam Scripturis sacris non comprehensam admissuros, per Cardinalem Cusanum respondet: *Scripturas non ad esse, sed ad bene esse Ecclesiæ facere. Tantò dignius Verbum Dei tradi, quantò ab omni Scriptura remotius. Explicandam Scripturam esse juxta currentem Ecclesiæ ritum, qua sententiam mutante Dei etiam judicium mutetur.* Tandem Eugenius ad dissipandum Basileense Concilium Carolum Franciæ Delphinum armavit. Qui cum gentium quadam perditissima colluvie, Alsatiæ vicos & civitates nonnullas dolo, proditione & blandimentis ingressus, Alsatiam omnem, vini atque frumenti feracissimam miserè vastavit, ac ædes civium, casas pauperum orphanorum & vidua-

Eugenii & Felicis conaria studia.

Carolus Galliæ Delphinus Basileense Concilium turbare conatus clademque ingentem ab Helvetiis, victo licet, passus.

viduarum, ipsaque sacratissima Dei Templa igni nefariè succendit. Cùmque crudelitate extrema in Alsatia perpetrata, tandem cum armatis triginta millibus Basileam adortus esset, à quatuor millibus Helvetiorum ita exceptus est, ut victor licet vix tertiam exercitus sui partem, eamque mutilam & fractam, amisso etiam belli Duce Arminiaco, in Galliam reduxerit; Concilio Basileensi interim perseverante. Retulitque hic Princeps dignam planè militia Pontificia mercedem. Perierunt enim in ea pugna, incentore Papa, ultra quatuordecim millia virorum fortium. Hæ scilicet Papales virtutes, hæ indulgentiæ fuerunt! Concilii ipsius Basileensis infelicem exitum his verbis Rollfinxius in fasciculo deplorat: *Concilium Basileense, in quo multa bona fuerunt instituta pro reformatione in capite & membris, habuit principium glorioſum, ſed finem humilem ac tribulatione plenum propter Schiſma. Mirabilis rerum eventus. Prævaluit Concilium Conſtantienſe contra tres Papas, eos dejiciendo, & quartum inſtituendo, cùm tot haberet adverſitates, & à nullo confirmatum fuiſſet. Illud autem tanta authoritate collectum & firmatum, nec unum potuit vel in modico reducere ad normam propoſiti ſui, imò è contra proceſſus ejus fuit impeditus ab uno. Ibi debile principium & finis glorioſus. Hic è contra præcisè fuit.* Et Matthias Ugolinus in Synodico ſuo: *Quid*, inquit, *tenendum tunc fuerit, cùm eodem tempore Concilia duo congregata, & ad invicem diſcrepantia reperirentur, videlicet Basileense & Florentinum, ſolvat Chriſtus Jeſus, Magiſter & Doctor infallibilis Veritatis, pro ſinceritate fidei Eccleſiæ inviolabilis & ſponſæ ſuæ.*

CXLII. Tandem Eugenius, poſtquam Divina & humana omnia perturbavit, A. MCCCCXLVI. fatis concessit, ἀλλόδοξον nactus Nicolaum V. (alii V I. vocant) qui Thomas Sarzanus antea dictus est. Friderici III. Imperatoris intercessione cessit ei Felix V. dignitate Cardinalis con-

Conſtantinopolis a Papa ejus regionis primatum turpiter deſerta à Turcis occupatur, &

unà Orientis Christianus fere totus eorum jugum subit.

rentus, abolendi Schismatis pernicioſi gratia. Obſeſſa à Turcis Conſtantinopoli, Conſtantinus Palæologus apud Nicolaum Papam ſuppetias nequicquam implorat eò quòd Græci Papæ primatum conſtanter abnuerent. *Græci*, inquit Nauclerus, *ad Latinorum opes fruſtra confugiunt, à Pontifice Nicolao V. lacrymis ac fletibus auxilia petentes.* Sic deſerto malignè Imperatore, urbs Conſtantinopolis die XXIX. Maji A. MCCCCLIII. à Muhammede capta, Turcicum jugum, unà cum Imperio Orientali univerſo, ſubiit: Conſtantino ipſo in fuga graviter vulnerato, cujus mox caput refectum, Muhammedi ſuave ſpectaculum offertur. Tanta Romanenſium perfidia fuit, qui Imperium univerſum Orientale Chriſtianum Turcis horrendum in modum ſubjugatum, quàm Pontificia dominatione ſolutum, maluerunt. Pereuntes tot Chriſtianos, qui ſervare cùm potuiſſent, & ob Chriſti Salvatoris amorem debuiſſent, non ſervârunt tamen, eos perdidiſſe cenſentur meritò. Ita malorum & calamitatum omnium fundus & architecta Roma fuit.

Nicolai V. erga literas & literatos amor inſignis prædicatur.

CXLIII. Cœterùm Nicolai liberalitatem, & erga literas literatosque benevolentiam incomparabilem, vehementer Scriptores prædicant. Omnium inſtar Nauclerus *Generat.* 49. ſic illum commendat: *Laudatur Nicolai liberalitas, qua erga omnes uſus eſt, maximè verò literatos. Quos & beneficiis, & officiis mirificè juvit, eos præmiis ad componendum, & ad vertendos Græcos authores in Latinum ita perpulit, ut literæ Græcæ & Latinæ, quæ ſexcentis jam annis in ſitu & tenebris jacuerant, denuò ſplendorem aliquem adeptæ ſint.* Certè negari nequit, Pontificis hujus opera literas & Muſas in Europa quodammodò reformatas & renatas eſſe, proximæque adeò etiam Religionis ipſius reformationi quodammodo præluxiſſe. Ex Oriente inprimis Turcarum, qui Conſtantinopoli diu imminentes eam tandem ceperunt, &

bonis

bonis etiam literis exilium indixerunt, metu Romam se contulerunt Viri undiquaque doctissimi, Emanuel Chrysoloras, Byzantinus seu Constantinopolitanus, qui Græcæ Grammaticæ Erotemata scripsit; Theodorus Gaza Thessalonicensis, Græcè & Latinè doctissimus; Georgius Trapezuntius, Chalcondylas Athenienſis; Joh. Lascaris, Demetrius, aliique, qui immenso Dei beneficio artium igniculos in Græcia per Turcarum barbariem tantùm non extinctos, in Latium aliasque regiones transduxerunt. Nicolao certè Georgius ille Trapezuntius, Demetrius, & ex Europæis Georgius Valla, Nicolaus Perottus aliique viri celebres in deliciis unicè fuerunt. Meritoque Pontifici huic acceptum referimus, quicquid splendoris Latinæ & Græcæ literæ in Italia primùm, postea etiam in Germania, acceperunt. Sicut autem olim Moses in aula Ægyptiaca educatus est, qui postea filios Israëlis ex Ægypto eduxit: ita in ipsa quoque Antichristi aula bonas literas promotas, earumque deinceps auxilio Antichristum Orbi revelatum, & in multorum cordibus confossum esse, mirum certè non est.

Ita in ipsa Antichristi aula nutriuntur literæ, quarum post auxilio revelatus Antichristus est.

CXLIV. Neque parum ad bonarum literarum incrementa, & consequentem veræ etiam religionis, & oppositæ eidem Antichristianæ tyrannidis, quam Romana hactenus Hierarchia in Ecclesia exercuit, cognitionem divinum chalcotypiæ aut typographiæ, quam impressuram ferè appellant, inventum ac beneficium nunquam satis laudatum contulit. Anno scilicet MCCCCXL. Johannes Gutenbergius Argentinensis aurifex, Moguntii primùm magnis artem eam sumptibus protulit. Eandem postea Johannes Mentel ibidem auxit, & Sixtus Reosingerus Argentinensis Neapolin in Italiam transduxit. De inventore tamen artis controversiam Moguntinis alii movent, quos inter Hadrianus Junius Batavia suæ *cap.* 17. ejus inventionem

Ad revelationem Antichristi etiam Typographia eadem ætate inventa contulit multum.

nem

nem civi cuipiam Harlemensi acceptum retulit. Quam controversiam pluribus Doctiss. Mollincrodius discussit. Sed de inventore quicquid sit (nam etiam cum Pomponius Lætus utriusque laudem præreptam voluit, scribens ad Augustinum Maphæum, imprimendi facultatem multis seculis intermissam, paulò ante revocatam esse: tum Jovius *histor. lib.* 14. in regione Sinarum libros ante multos annos impressos extare ait; tum denique Alphonsius Mendoza *lib. III.* 16. in Regno Chinæ artem typographicam quingentis annis ante, quàm ad Germanos veniret, in usu fuisse scribit) nobilissimum isthoc inventum libros, quibus Romanæ Ecclesiæ pudenda detecta sunt, aperuit, & longè lateque invitis adversariis omnibus dispersit, & adhuc dum per omnes Orbis angulos spargit. Sibylla etiam Erythræa de Antichristo vaticinans, prædixit, fore ut per linum tandem perdatur. Sic enim carmen habet. Αἰλινὸν ἔσται καιρὸς, ὅτι λίνῳ αὐτὸν ὀλεῖται. *Miserum inde tempus, quia linum illud perdet.* Charta scilicet, in qua libri excuduntur, ex lineo panno conficitur.

Pius II. promissam reformationem nequiquam præstat, sed Majestati Pontificiæ augendæ unicè intentus est.

CXLV. Nicolao V. in sede Pontificia Callistus III. huic verò Æneas Sylvius Piccolominæus Genuensis, Vir cætera doctissimus, & in Concilio Basileensi paulo ante celeberrimus, qui Pii II. nomen sibi imposuit, successit. Exspectârunt ab ejus eruditione, aureisque promissis Viri boni Ecclesiæ pacem & tranquillitatem: sed fefellit eos spes concepta plurimùm, documentumque impietas Pii dedit, quàm deplorata sit Ecclesiæ salus. Papa enim creatus Augustini Exemplum præferens *Bullam retractationis* scripsit, qua ea, quæ in Basileensi Concilio adversus Eugenium gessit, revocavit; rectiùs facturus, si ejusdem S. Augustini exemplo Confessionum libro edito peccatum juventutis, quod Epistola ad Patrem data (quæ decima quinta est,) confessus Patri est; magis etiam ipsi Deo con-

confessus esset deinceps. Majestatem Pontificiam neutiquam minuere, sed augere in immensum conatus nihil intentatum inausumque reliquit, palam præ se ferens, se neque Reges, neque Duces, neque populos ullos formidare; quin adversari sibi ausos aperta vi ad obedientiam Apostolicam reducturum; Bulla insuper de non appellando à Papa ad Concilium edita. Palam igitur se Regi Galliæ Pontificiam tyrannidem & rapinam in Regno suo coërcere nonnihil paranti, Regi Apuliæ, Sigismundo Archiduci Austriæ, quòd Nicolaum Cusanum à Pio designatum, ut ditionis suæ homines excoriaret, rejecisset, opposuit; Germaniam horribilibus bellis intestinis intricavit; Dietherum Comitem ab Isenburg, electum Archiepiscopum Moguntinum, pallium Episcopale viginti millibus sexcentis quinquaginta aureis Rhenensibus redimere tardantem, eò quòd authoritate Concilii Basileensis Annatæ damnatæ abolitæque essent; ita cum Adolpho Nassovienſi æmulo ejus commisit, ut præcipuis Germaniæ Principibus in partes concedentibus, horribilibus bellorum civilium incendiis universa fere Germania conflagraverit.

In gloria ejus adversus diversos Principes faciendo.

CXLVI. Jam visi Pontifices erant ad eum tyrannidis & impietatis gradum perveniſſe, cui nihil ampliùs addi posset. Et tamen sequentes Pontifices rationem invenerunt, qua & fastigium & pinnulas ipsas huic ædificio imponerent. Inter eos post Paulum II. Montium pietatis, seu potiùs impietatis (de quibus Dorothei Asciani liber singularis extat) authorem Sixtus IV. A. MCCCCLXXI. Papa creatus, cujus quidem subactum in omni genere literarum judicium laudatur, excusso pudore omni, iis libidinibus impurissimum se mancipavit, ut eas prodere pudor Scriptores prohibuerit. Aliquid tamen dicere Wesselus Groningensis, vulgò *Lux Mundi* dictus, in Tractatu de Indulgentiis Papalibus; nec non Cornelius Agrippa in

Sixti IV. immunditas vitæ testata.

declamatione ad Lovanienſes, ſuſtinuerunt. Idem Agrippa *de Incertitud. & Vanitate ſcient. cap.64.* Lenoniam à Sixto inſtitutam ſic deſcribit: *Recentioribus temporibus Sixtus Pontifex Max. nobile lupanar inſtituit, &c. Romæ ſcorta in ſingulas ſeptimanas Julium pendunt Pontifici. Qui cenſus annuo nonnunquam viginti mille ducatos excedit* (ſunt qui quadraginta mille poſt numeraverint) *Adeoque Eccleſiæ Procerum id munus eſt, ut unà cum Eccleſiarum proventibus etiam lenociniorum mercedem numerent. Sic enim illos ſupputantes aliquando audivi. Habet (inquientes) ille duo beneficia, unum Curatum aureorum viginti; alterum, prioratum ducatorum quadraginta, & tres putanas in bordello.* Quis verò ad nefandam fœditatem hanc non obſtupeſcat? Impuriſſimum tamen & obſcœniſſimum Antichriſti Regnum hoc in facinore apertè cernitur. Taceo iniqua bella ab ipſo adverſus Nicolaum, Vitellium, Florentinos, Regem Siciliæ, Venetos geſta. Bello quidem adverſus Venetos ſuſcepto Helvetios fœdere ſibi junxit, quibus dono miſit vexillum rubrum, Bulla ſingulari ad eos deſtinata commendatum, ſub cujus finem ita ſcribit: *Nos vexillum ipſum benediximus, ut ſub eo militantes benedictionem Omnipotentis Dei ſemper vobiſcum habeatis. Eapropter (quod huic Sedi ſanctæ ac vobis fauſtum ac felix ſit) læto & magno animo vexillum hoc, quod præfata ſedes vobis donat, accipientes, contra ejuſdem Sedis inimicos virtutem veſtram oſtendite. Ite animis lætis contra hoſtes Eccleſiæ, & illam ab oppreſſoribus* LIBERTATIS ECCLESIASTICÆ, *ac facientibus contra illam, ſolita illa veſtra magnanimitate defendite. Inferat præpotens exercitus veſter vexillum, Altiſſimi nomine invocato, contra dictæ Sedis inimicos. Et quemadmodum columna nubis in deſerto populum Dei præcedebat & dirigebat in viam ſalutis & victoriæ, ita quicunque ſub eo pro ipſa Eccleſia Romana pugnaverint, à Domino noſtro Jeſu Chriſto benedicti ſint, & plenariam habeant peccatorum ſuorum omnium remiſſionem & indulgentiam, quam ex tunc, & per*

Lupanaria inſtituit primus.

Et bella iniqua gerens cum Helvetiis fœdus init, iiſdemque paudà bullâ vexillum donat.

& per præsentes concedimus. Maledictus sit, quicunque contra vos pro Ecclesia Romana prædicta pugnantes pugnabit, aut facere contra præsumpserit. Vobiscum autem sit benedictio Domini perpetua, cum laude & gloria Omnipotentis Dei, ejúsque Beatæ Mariæ Virginis, in sæcula sæculorum. Ex qua Bulla cernere est Antichristi artes nefarias, & dolos, quibus gentibus fortissimis & simplicissimis imposuit. Neque major religio vel pietas fuit Alexandri VI. A. MCCCCXCII. ex intervallo succedentis. *Cui*, ita Guicciardinus loquitur, *non sinceritas, non verecundia, non veritas, non fides, non religio ulla aderat.* Quóque Pontifice Romam, gentium illud asylum, *carnificinam* factam esse, venalibus in ea cunctis sacris, Paulus Langius Monachus in Citizensi Chronico ex Volaterrano commemorat. Mores ejus turpissimos, avaritiam insatiabilem, ambitionem sine modo, crudelitatem plusquam ferinam, spurios, quos plures habebat, per fas & nefas ad summa provehendi cupidinem fœdam, passim Scriptores memorant. Ditiones temporales ad ipsum nullo jure pertinentes, in utraque scilicet India noviter detectas, Bullâ inter Reges Hispaniæ & Lusitaniæ distribuit, haud equidem exemplo Christi, qui legitimam hæreditatem partiri gravatus est, sed potiùs Sathanæ, qui Christo se adoraturo in celso monte mundi Regna ostentavit & promisit, licet eorum vola vel vestigium ad eum jure nullo pertinuerit. Cum Lucretia filia notha, quam primùm Ludovico Sforciæ, mox Aloisio Aragoni, Alphonsi Regis filio, & denique hoc interfecto Alphonso Estensi, Ferrariæ Duci, elocavit, furtivam incestámque consuetudinem & ipse & filius Cæsar Borgias habuisse creduntur. Certè Jacobus Sannazarius Poëta celebris & eximius Lucretiæ huic Epitaphium ejusmodi cecinit:

Alexandri VI. impietas.

Hic jacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.

Habuitque exitum impietate sua dignum. Testibus enim Panvinio, Guicciardino, Bembo, Jovio, ex quibus etiam Staroulscius & Carriere repetunt, poculo venenato, quo Cardinales nonnullos letho dare paraverat, per errorem ipsi propinato, perfidia in caput detestabile authoris recidente, periit.

Nubes testium, quæ ea ætate adversus Ecclesiam Rom. seu Antichristianam & Babylonicam emersit, indigitata.

CXLVII. Ecclesiâ Romanâ hoc in primis Seculo in capite & membris, doctrina & moribus, corruptissimâ, non defuit νέφος μαρτύρων, *nubes testium* veritatis, qui & Veritati cœlesti locuples testimonium perhiberent, & corruptionem Ecclesiæ extremam propalam infectarentur. Urbani & Clementis Antipapæ temporibus Universitates *Parisiensis, Oxoniensis & Pragensis* Papam cum suis tyrannidem in Ecclesia exercere, & Papam errare posse sæpiúsque errâsse, apertè contendebant. *Joh. Andreas* Romam à latronibus fundatam, in pristinum statum rediisse asseruit. Dialogus editus *Petri & Pauli* totam curiam Romanam erroneam, & in statu damnationis esse, docuit. *Vincentius* Ecclesiastes Venetus, *Matthæus Parisiensis* in Bohemia, *Joh. Purvæcis* in Anglia, *VValdenses & Lollardi* passim Papam Antichristum esse affirmârunt. *Theodoricus & Nyem* Gregorium & Benedictum Pontifices *Seniores Babylonis* insignivit. Johannis XXIV. cumprimis tempore *Nicolaus Clemangis* Archidiaconus Bajocensis, Papam Antichristum, Ecclesiam Romanam Babylonem, meretricem magnam esse, à qua non affectu duntaxat, sed pedibus etiam, exeundum sit: *Petrus de Aliaco, Zabarella* Cardinalis, & cum iis utrumque concilium *Constantiense & Basileense*, Papam Concilio subesse: *Johannes Gerson*, Cancellarius Parisiensis, Papam errare, deponi, ab Ecclesia auferri posse: Indulgentias & traditiones Ecclesiæ inutiles esse: ruinam Ecclesiæ imminere: *Theodoricus Urias*, Monachus Germanus, Ecclesiam Romanam ex aurea argenteam, ex argentea ferream, ex

ferrea

ferrea terream factam esse; neque aliud superesse, quàm ut in stercus abiret: *Theodoricus*, Episcopus Croatiæ, Ecclesiam Romanam ruituram, ac tum Ecclesiam florem pristinum recuperaturam: *Johannes Hussius*, & *Hieronymus Pragensis*; & cum iis *Bohemi* ac *VVicleffistæ* innumeri, ipsáque Hussitis consentiens Regina Bohemiæ *Sophia*, nec non militiæ Hussiticæ dux fortissimus *Zisca*, Ecclesiam Romanam Antichristianam, Babylonicam meretricem esse, tyrannide, Idololatria, magia scatere, &c. assa voce clamârunt. Eugenio IV. Pontifice in Concilio Basileensi, *Pet. de Aliaco* Cardinalis Cameracensis, *Joh. Segoviensis* Theologus Hispanus, *Ludovicus* Cardinalis Arelatensis, Cardinalis *Julianus Æneas Sylvius*, aliíque innumeri, Papæ potestatem & ὑπερoχὴν strenuè oppugnârunt, & Ecclesiæ Romanæ reformationem gravissimè urserunt; quam in rem etiam Pet. de Aliaco libellus aureolus extat. Extra Concilium *Alanus Carterius*, Carolo VII. Regi Galliæ à Secretis, adversus Romanam Ecclesiam librum composuit: ipse *Carolus VII.* Ecclesiæ Gallicanæ Concilium celebravit Biturigibus, ubi sub titulo Pragmaticæ Sanctionis Concilii Basileensis acta confirmavit, adeóque beneficiorum Regni collationes, & ad Romanam Curiam appellationes severè prohibuit: aliíque etiam, inprimis *Thomas Rhedonensis* Carmelita, *Manfredus Vercellensis*, *Guilhelmus Taylour*, *VVilhelmus VVithe*, Veritati adversus Romanam Ecclesiam luculentum testimonium perhibuerunt, Pio II. Pontifice *Sigismundus* Dux Austriæ, auctore Gregorio Heimburgense J. V. D. à Papa ad Concilium, & à Concilio ad Christum ipsum provocans, impiis Pii, dicentis; *provocationem ad Concilium novam hæresin, & inspirationem Diabolicam esse*, diris devotus est: *Heimburgensis* ipse, Noribergensis Syndicus celebris, scripto adversus Primatum Papæ libro, Synago-

gam Romanam Babylonem & meretricem vocavit, Pontificis Potestatem meram tyrannidem & usurpationem esse pertendit: denique Babylone ea exire omnes pios jussit: *Bohemi* publicâ adversus Papam apologia Veritatem asseruerunt. *Universitates* pleræque Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Bohemiæ Constantiensis & Basileensis Concilii decretis adversus Papam cusis adhæserunt: denique *Antonius Rozellus* Juris Professor Patavii, vulgato de Monarchia libro, omnem Papæ potestatem temporalem oppugnavit. Paulo II. Pontifice *Rodericus Zanches* Zamarensis Episcopus, Papæ Referendarius, Romanæ Ecclesiæ extremam superstitionem deploravit: *Stephanus Brulifer* Sorbonista Franciscanus libris editis, Papæ & Concilio competere potestatem novos fidei articulos cudendi negavit, & operum etiam merita refutavit. Sixto IV. Pontifice *Ludovicus XI.* Galliarum Rex pro Pragmatica sanctione tres constitutiones edidit: *Johannes de VVesalia* Wormatiensis Concionator Papæ tyrannidem notavit palam: *VVesselus* Groningensis libris editis Papatus abusibus contradixit. *Gochius Pupperus* Mechlinensis Presbyter articulum de justificatione orthodoxè veréque tradidit. Denique Alexandro VI. Pontifice impurissimo, *Mancinellus* pro concione Papæ scelera exagitavit: *Guicciardinus* Ecclesiæ Romanæ Vexillarius Pontificum scelera detexit: *Baptista Matuanus* Carmelita, & cum eo Jacobus *Jannazarius* poëmatis suis in abominationes Romanas invecti sunt. *Hieronymus Savanarola*, à Pico Mirandulano, Marsilio Ficino, Guicciardino, Flaminio, aliisque publicis scriptis defensus, Ecclesiæ Romanæ traditiones evertit, doctrinam sanam de Justificatione egregiè illustravit, indulgentias rejecit, denique Antichristum Romanum digito veluti commonstravit. Horum omnium testimonia consignatissima Catalogus Testium Veritatis, Wolphii

Lectio-

Lectiones Memorabiles, Pleſſæus, Martyrologia, Bohemicum inprimis, aliíque exhibent. Tantis verò doctoribus & teſtibus veritatis cum abundaverit circa ea tempora Eccleſia Dei, non potuit non titubare Roma, & Chriſti Regnum paulatim emergere, tenebráſque Antichriſti depellere.

CXLVIII. Denſiſſimam illam teſtium veritatis nubem Romanenſis Factio equidem diſcutere magno niſu, ferro flammaque adverſus eos ſæviendo, ſuſtinuit. Quid enim fortiſſimis heroibus & Callinicis Chriſti *Johanni Huſſo* & *Hieronymo Pragenſi*, contra fas obſtrictæ multis modis fidei, abituros ſcilicet fide qua veniſſent, adeóque dato commeatu ejuſmodi, qualem ægrotus Leo promittebat beſtiis ad ſe viſendum accedentibus; Conſtantiæ contigerit, lippis certè & tonſoribus notum eſt. Neque contenti ea ſtrage Pontificii, conſilia de tota Bohemia abolenda mox agitârunt. Cùm enim Proceres ejus præcipui ſcriptis Conſtantiam literis graves ob iniquiſſima de Huſſo & Hieronymo ſumpta ſupplicia querelas moviſſent; Martinus V. A. MCCCCXX. excommunicatione adverſus eos Florentiæ publicata claſſicum inſuper canens, Cæſarem, Reges, Principes, Marchiones, Comites &c. ad arma contra eos invitat, & per vulnera Chriſti, ejúſque ſalutem orat, ut junctis viribus eos penitus extirpent; ſceleſtiſſimo cuique, dum unum Bohemum occiderit, plenaria peccatorum omnium remiſſione promiſſa. Que incentivo inflammatus Sigiſmundus, totius Germaniæ vicinorúmque Regnorum viribus ſuccinctus, Antichriſtiani furoris ſatellitem ſe gerit, valido cum exercitu Bohemiam ingreſſus, eámque bellis decimum tertium in annum continuatis fatigans. Quæ bella Huſſitica plus admirationis, quàm fidei, apud poſteros habitura Æneas Sylvius dixit; eò quòd ſemper Huſſitarum, quàm

Pontificii adverſus eoſdem tyrannidu ſpecimina in Huſſi, Hieronymi, aliorum ſupplitiis & Bohemorum perſecutione producuntur.

quàm Pontificiorum, arma prosperiora fuerunt. Non paucos tamen intrepidum pro Veritate martyrium passos Martyrologium Bohemicum *Capp.* 10. 11. &c. inducit. Taceo *Oldocastelum*, pluréſque alios in Anglia, *Thomam Rhedunensem* Carmelitam, *Manfredum Vercellensem*, *Guilhelmum Taylour*, *VVitthe*, *Hieronymum*, *Savanarolam*, Florentinum, alióſque ſtrenuos pro Veritate cœleſti athletas, Pontificum furore horribiliter cruciatos extinctoſque. Adeò Romanenſes

Jam pridem verum non didicere pati.

Julii II. tyrannis & ſævitia.

CXLIX. Seculi *Decimi Sexti*, quod renaſcentis in eo Evangelii & concuſſi non leviter Regni Pontificii gloria inclytum fuit; initio Eccleſiæ Romanæ habenas moderatus eſt Julius II. *quem* ante Papatum *omnes*, Guiciardino teſte, *moroſiſſimum*, *intolerabilem*, *truculentum & quietis impatientem*, *quique in eximios quoſque viros immanes jam inimicitias exercuiſſet*, *noverant*. Tyrannidis, quam ſtatim Papa factus exercuit, ſpecimina Onuphrius, Guiciardinus idem, alii, narrant. Statum certè utrumque Politicum & Eccleſiaſticum miſerè perturbavit: neque quiſquam antehac Pontificum ita turpiter ulli Imperatori illuſit, ſicut hic Maximilianum nefariis ſuis artibus circumſcripſit.

Bella adverſus Venetos, Maximilianum & fœderatos Gallos improbè geſta.

Cùm enim ad bellum Venetum graviſſimum eum impuliſſet, ac is Venetos, Pontificiæ Sedi rebelles, captis eorum urbibus præſtantiſſimis, & effuſo immenſo cruore, ingentes ad anguſtias redegiſſet: Julius abſterſo omni pudore, contra fidem datam, coram Imperii Ordinibus Auguſtæ congregatis non tantùm Venetos pacem petentes in gratiam recepit, ſed & percuſſo cum ipſis fœdere, exercitum ſuum adverſus Imperatoris conſœderatos, Ferrarienſem & Ludovicum XII. Regem Francorum, iniquiſſimus & perfidiſſimus bellator eduxit, cum ea voce, quæ ipſum non S. Petri, ſed perditiſſimi & ſceleratiſſimi latro-

latronis successorem esse commonstravit. Cum exercitu enim Roma egressus, Petri clavem furibundus in Tiberim jactavit, adeoque, uti ingeniosè Bibliander concluſit, omne, quòd à S. Petro se habere finxit jus, Tiberino flumini resignavit; additis hisce verbis: *Quia clavis S. Petri amplius nil juvat*, (evaginato gladio) *valeat gladius S. Pauli.* Sed Deus justus scelerum vindex nequitiam inultam non sivit. Commisso enim apud Ravennam ipso die Paschatis cruento prœlio, ingentem stragem à Gallis passus, victoriam quamvis cruentam iisdem concessit. Ita ἀλλοπρόσαλλος denuo opera Matthæi Langi, Episcopi Salisburgensis, Imperatoris Maximiliani amicitiam ambiens impetránsque, & Helvetios Matthæi Schyneri, Episcopi Valesiani, & post ἀντιμισθίας ἕνεκα Cardinalis creati, hominis versutissimi, icto cum iis fœdere, sibi adjungens. Venetísque auxiliantibus, mox Mediolanum obsidet, &, pulsis inde Gallis occupat. Helvetiis ob rem præclarè scilicet gestam, bullatas indulgentias, titulos amplos, pilcum, gladium, aliáque privilegia contulit, quin & signis militaribus eosdem exornavit; atque sic exemplo patrui sui Sixti IV. egregiè illis illusit. Bellum hoc, auspice Julio, contra Regem Francorum inceptum, per multa post prœlia cruentissima & calamitates gravissimas extractum, vix tandem compositum & finitum est. Retulitque Orbis Christianus Patri suo Beatissimo acceptum, quòd sub ejus, ceu verissimi υἱὸς ἀπωλείας *filii perditionis* auspiciis, gladio, inedia, aliísque belli incommodis plus quam ducentena hominum millia interierunt. Visum tandem Patribus nonnullis sincerioribus Papam ad rationem reddendam villicationis suæ adigere, instituto Pisis, Imperatore & Rege Francorum consentientibus Concilio. Sed effecit Julius artibus suis, ut non sine tumultu & vulneribus, & re infecta, Concilium dissolveretur. Concilii illius Pisani posterioris acta

Helvetios fraudulento fœdere innexos Bullatis indulgentiis macfat.

Pisanum Concilio instituto ad rationem reddendam villicationis suæ cativis, amathematæ adversarios se-

nit, & Concilium Lateranì indictum isdem opponit.

una cum actis Pisani prioris, apologia Philippi Decii Jurisconsulti Itali munita, ex Bibliotheca Regia Lutetiæ ante annos plus sexaginta publicam in lucem prodierunt. Alterius etiam Concilii ejusdem apologiæ Bailius in *summa Conciliorum* meminit; cujus *cap. 6.* Cardinales protestantur, *se nunquam dignitatem Pontificiam affectâsse, sed Aristocraticam moderationem voluisse restituere, qua Christus primatum Sedis Apostolicæ temperaverit.* Cùmque Concilium illud aliò translatum esset, Julius ad solitas Pontificibus artes conversus, Regem Francorum unà cum Patribus illis diris devovit, & dignitatibus exuere conatus est. Et ne causæ suæ diffidere videretur, ipsemet Romæ Concilium indixit, in Lateranо, eo videlicet loco, in quo nihil metuendum ipsi erat, & in quo vota omnia in potestate sua habuit. *Julio* (ita ipsemet Onuphrius scribit) *mens non fuit quicquam boni in illo Concilio agere, sed tantùm Concilio, & Cardinalibus sibi adversantibus adversari.* Neque verò Lateranense isthoc Concilium Generalis Concilii nomen mereri, etiam Stanislaus Felix adversus Pallavicinum solidè comprobat. Et *Cœtum quendam non in Spiritu Dei congregatum illud fuisse*, Gallia, teste Launojo, affirmavit. Fertur porro sæpe Imperator Maximilianus ingeminâsse verba hæc: *Deus æterne, nisi vigilares, quàm malè esset mundo? Quem regimus nos, ego miser venator, & ebriosus ille ac sceleratus Julius!* Quin & ipse novissimus Concilii Tridentini scriptor & Cardinalis Pallavicinus *lib. I. cap. I. n. 5. 6.* non diffitetur, *fuisse Julium feroci animo atque iracundo: indulsisse illum militiæ studiis, supra quàm opus fuit, & supra quàm tanti capitis sanctitatem deceret.* Stolidè tamen sic illum excusat: *Næ, si tam ferox non fuisset, nunquam Ecclesia recuperâsset majorem potiorémque suæ ditionis partem.* Ferocem ergo temperalium & mundi gratia esse Christi huncce Vicarium oportet!

Sforzia Pallavicini de Julio judicium, & ejusdem frivola excusatio.

Testes Veritatis inediti.

CL. Non defuerunt etiam Julii hujus ætate Veritatis pro-

promachi plures, qui Romanæ Ecclesiæ ulcera tangerent. Et in Gallia quidem non tantùm Waldenses, Romanæ Curiæ adversarii, qui à trecentis jam annis in montibus Narbonensis Galliæ Provinciæ & Aliobrogum sub Alpinis Vallibus aliisque locis in eadem fide, puritate & simplicitate pergebant: Regi Ludovico suam à Romana Ecclesia discessionem & innocentiam comprobavere, eique fidem & vitam eorum edocto memorabilem hancce vocem: *Illi me cæteríque subditis meis meliores sunt*; extorsere. Sed *Faber* quoque *Stapulensis* Theologiam ad limpidos fontes revocavit, nequicquam à Sorbona eo nomine vexatus. *Guilhelmus* etiam *Budæus*, Vir doctissimus, pragmaticam Sanctionem strenuè laudavit, & Ecclesiam factam esse meretricem, provinciatim merentem, asseruit; quin & tota Ecclesia Gallicana *plenitudinem potestatis* Pontificiæ *plenitudinem tempestatis* appellare non dubitavit. Ne dicam *Ludovicum XII.* Regem monetæ jussu suo cusæ hæc verba inscribi curasse: *Perdam Babylonis nomen*, cui proin magno Authori Roma Babylon fuit. Sed & *Johannes Picus Mirandulanus* apertè contra Transsubstantiationem & cultum imaginum disputavit. Erfordiæ verò *Sebastianus Brand* Pontificias merces vehementer explosit, & Reformationem Ecclesiæ instare prædixit. Denique Ecclesiæ *Bohemicæ*, *Moravicæ* & *Silesiæ*, Confessionem in præcipuis nostræ conformem, & Apologiam Uladislao Hungariæ Regi obtulerunt.

Waldenses, Faber Stapulensis, Budæus, Picus Mirandulanus, Ludovicus XII. Ecclesiæ Bohemicæ, Moravicæ &c.

ECCLESIÆ ROMANÆ PERIODUS SEXTA.

Seu

Historia Ecclesiæ Romanæ per Reformationem, seu separationem fidelium, suæ in Spiritualibus & temporalibus potestatis cladem gravissimam patientis.

Inde à Leone X. seu A. C. M. D. XVII. ad Concilii Tridentini finem, seu A. C. M. D. LXIII.

BREVIARIUM.

CLI. *Leonis X. Papatus. De eo vaticinium Abbatis Johannis. Lateranense Concilium sub eo continuatum Pisanum extinguit. Honores Divini in eodem Concilio ipsi tributi. Principum dissidia fovet, & primò Cæsarearum, mox conversa fortuna, Gallicanarum partium fit. Caroli V. electioni obsistit; & denuo mutata fortuna Cæsareis partibus se adjungit. Opera Sedunensis Cardinalis Helvetios nefariè dividit.*

CLII. *Mercator & Cananæus ingens fuit. Ejus avaritia ex Paulo Langio describitur. Falsis prætextibus indulgentiarum commercium exercet.*

CLIII. *Omen rituri mox Papatus, Zvvinglii & Lutheri heroicis ausibus impletur.*

CLIV. *Leo-*

CLIV. *Leonis Atheismus & impietas probata ex disputatione de immortalitate animæ ab eo decisa; Pico Mirandulano.*

CLV. *Cardinale Pallavicino;*

CLVI. *Ecclesiæ Romanæ Reformationis indigæ corruptio, asserta ex Paulo Langio.*

CLVII. *Authore libri, cui nomen Onus Ecclesiæ; nec non Authore libelli de decimis non præstandis, & Appellatione Universitatis Parisiensis.*

CLVIII. *Adriano imprimis VI. Pontifice, ejúsque instructione per Cheregatum Ordinibus Germaniæ exhibita.*

CLIX. *Adrianus idem à Pallavicini & Masenii cavillationibus à Launojo vindicatus.*

CLIX. *Responsum Ordinum ad Cheregati propositionem: eorúmque gravamina centum: Novem Cantonum Helvetiæ tentata reformatio.*

CLX. *Reformatio Adriani & Romanensium tentata qualis fuerit?*

CLXI. *Qualis etiam Ordinum Imperii & Cantonum Helvetiæ?*

CLXII. *Zuvinglii & Lutheri Reformatio primitus tentata manca fuit, at contranitentium studio evasit perfectior: & Pontificis dominationem passim coercuit.*

CLXIII. *Clementis VII. Papatus. Schisma ipsum inter & Urbanum VI. Ejus ingenium ex Jovio depictum. Centum gravamina Ordinum expendit, & Campegium ad Comitia Norimbergensia mittit. Eo rejecto Ordines ad Concilium liberum provocant: Pontificii tamen in Comitiis peculiaribus, & post etiam Carolus ipse executionem decreti VVormatiensis urgent. Clementis pessima erga Cæsarem fides.*

CLXIV. *Unde bello in Italia flagrante Roma capta, direpta, & ipse Clemens in Castro Angeli captivus retentus: Carolo improbante factum fuit militis. Liberatus Papa, fœdere cum Cæsare inito, eum Bononiæ coronat. Principes Pontificii fœdere inito adversus Evangelicos conjurant. De Concilio contentio Cæsarem inter*

inter & Papam. Videcernere Cæsar instituit: at mox Augustæ cum Protestantibus de pace ad tempus usque Concilii transigit. Papæ defectio à Cæsare ad Gallum (cujus filio Henrico II. neptim Catharinam Mediceam, quartam Francorum Furiam post dictam, despondet:) & mors subsecuta. De eo Suavis, Pallavicini, & Fovii testimonia.

CLXV. *Pauli III. Papatus. De eo testimonia libri Italici, Onuphrii. Simonia ejus à Pallavicino nequiter defensa.*

CLXVI. *Qualem se erga Cæsarem Paulus hic gesserit?*

CLXVII. *Concilii celebrandi studium testatur. Consilium ejus jussu à Cardinalibus & Episcopis conscriptum de reformanda Curia Romana.*

CLXVIII. *Ejus præcipua capita. In nervum tamen, dissidentibus in ejus examine Cardinalibus, non erumpit.*

CLXIX. *Jesuitæ exorti & à Paulo confirmati labantem causam Ecclesiæ Romanæ sustinent. De novello Ordine eo judicium Sorbonæ.*

CLXX. *Successu temporis ordo ille degenerat, teste in peculiari scripto Julio Clemente Scoto.*

CLXXI. *Capucinorum ordo ab eodem Paulo confirmatus. Jesuitæ & Capucini junctis viribus Romanam Ecclesiam ruentem sustinent.*

CLXXII. *Concilium Tridentinum indicitur.*

CLXXIII. *Reformatio in eo Concilio susceptа qualis fuerit?*

CLXXIV. *A Reformatione seria abhorruisse Pontifices, ex Pallavicino probatur.*

CLXXV. *Cornelii Mussi Bitontini, & Caranzæ orationes in Concilio habitæ, ex quibus Ecclesiæ R. corruptio asseritur.*

CLXXVI. *Julii III. Papatus. Ejus spurci mores, & prima purpura Innocentio, non sine gravi suspicione donata; aliáque impietatis ejus argumenta.*

CLXXVII. *Sardanapalus talis Concilium Tridenti restaurat, protec-*

protestante contra illud Gallo. Prorogatio ejus ad biennium usque decreta, decennium integrum durat.

CLXXVIII. *Conversis in Germania rerum vicibus, Passavii & mox Augustæ libertas religionis sancitur, frustra ringente Pontifice, aliisque vi extortam caussantibus.*

CLXXIX. *Anglia ad Papatum relapsa ingens gaudium Papæ, sed non diuturnum, affert.*

CLXXX. *Marcelli II. Papatus. Salutem Pontificum is pro conclamata habet.*

CLXXXI. *Ei Paulus IV. succedit. De eo Oraculum malè præsagiens impletur. Draconicus ejus adversus Cæsares Carolum & Ferdinandum animus.*

CLXXXII. *Studium reformandæ Curiæ Romanæ simulans, palam Concilium detestatur.*

CLXXXIII. *Juxta oraculum Draconem & Leonem se gerit, edita Bulla de puniendis Hæreticis, etiam Regia & Imperiali dignitate fulgentibus: instituto tribunali Inquisitionis, & conscripto Indice librorum prohibitorum, adeoque more Turcico, Papatum promovens.*

CLXXXIV. *Pii IV. Papatus.*

CLXXXV. *Concilium Tridentinum postliminio revocans, ad finem perducit.*

CLXXXVI. *Ferdinandi Imperatoris de Concilio querelæ, & Gallorum adversus illud protestatio.*

CLXXXVII. *Anathematismi Concilii quales?*

CLXXXVIII. *Recipitur Concilium & promulgatur à Pontificiis non omnibus.*

CLXXXIX. *A protestantibus verò omnibus ceu Conciliabulum profanorum hominum damnatur.*

Leonis X. Papatus.

CLI. IUlio Johannes Medices, patria Florentinus, dictus Leo X. opera juniorum Cardinalium, uti Augustinus Oldoinus *Notis* ad Pontificium Necrologium, memorat, successit. Qui eruditorum amans, de cœtero voluptarius carnem nutrivit, & genialiter vixit. Vaticinium de eo venturo Abbas quidam Johannes ejusmodi prodidit: *Veniet Leo sub pelle Agni, & devorabit oves.* Continuatum sub eo Concilium Lateranense à Julio institutum, facilè Pisanum extinxit. In Concilio eo Anthonius Puccius Sessione nona Orationem habens, verba illa Psal. LXXII. 11. *Omnes Reges terræ adorabunt eum, & servient ei*, Pontifici tribuere non dubitavit, subjiciens: *Omnes Reges terræ sciunt, quænam potestas Tibi data sit in Cœlo & in terra.* Alludens apertè ad ea, quæ de se Christus dixerat. Eadem vena Archiepiscopus Stephanus Sessione X. *Omnis*, inquit ad Papam, *potestas tibi data est. Qui omne dicit, nihil excipit.* Sessione VI. Papa Leo venit nomine *Leonis de tribu Juda, radicis Davidis, Salvatoris & Liberatoris Israëlis.* Eodem pertinent de Pontifice phrases Concilio huic familiares, cujusmodi sunt Sess. I. *Respectus vestræ Divinæ Majestatis.* Sess. III. *Princeps totius Mundi.* Sess. IV. *Princeps est & Rex.* Sess. IX. *Papa Princeps est Apostolorum* &c. Passim etiam *Sponsi Ecclesiæ* nomine venit. Per initia quidem Papatus sui simulavit Leo, se laboraturum, ut dissidentes Principes componeret, & bella atrocissima sopiret. Sed Julii insistens vestigiis, subdolæ fidei homo, illa nefariè potiùs fovit. Cæsaris enim primùm, Venetorum & Sforciadum partibus favens, opera Sedunensis Cardinalis, furiæ infernalis, Helvetios contra Gallos Mediolano imminentes in Italiam induxit. Ita, præsidente Leone die VI. Junii A. M.D.XIII. pugna-

De eo vaticinium Abbatis Johannis.

Lateranense Concilium sub eo continuatum, Pisanum extinguit.

Honores Divini in eodem Concilio ipsi tributi.

Principum dissidia fovet:

Et primò Cæsarearum,

pugnatum est ab Helvetiis ad Novariam, cæsáque sunt Gallorum multa millia. Biennio post iterum memorabili pugna, ad Marignanum in agro Mediolanensi, cum Gallis Helvetii conflixere, ubi Gallorum supra duodecim, Helvetiorum supra sex millia letho data sunt. Captus est autem Dux Sforcia, & Mediolanum ipsum in potestatem Francisci I. pervenit. Leo versipellis & fortunam partium speculatus, ubi fortunam Gallis favere animadvertit, fœdere Cæsareo violato, cum Francisco Gallorum Rege amicitiam connectit, eique Imperii Constantinopolitani coronam, quam nunquam habuit, confert. Comperta ea re Maximilianus dixisse fertur, *jam vere se affirmare posse, quod Paparum nullus sibi fidem servaverit.* Maximiliano defuncto magis etiam ad Galli partes adversus fortunas Caroli V. deflexit. Scriptis enim ad Electores literis pertendit, Carolo ad honorem Imperii aspirare non licere, eò quòd Reges Neapolitani Pontifici Romani clientes sint, & fide data jam olim cum Pontificibus pepigerint, se Romanum Imperium nunquam appetituros. Cumque Cæsar crearetur nihilominus Carolus, multa adversus illum machinari, utriusque Siciliæ Regno eum exuere, & Italico Regno subverso, protectionem Civitatum Italiæ inter Sedem Pontificiam Gallumque dividere conatus est. Cùm verò machinatio parùm succederet, iterum Protheus insignis, *astutam vapido servans sub pectore vulpem*, probéque doctus *obliquare sinus in ventum*; à Gallo ad Cæsarem deficit, fœdusque cum eo pangit has ferè in leges, ut Parma & Placentia Sedi Romanæ restituerentur, Franciscus Sforcia in Ducatum Mediolanensem reduceretur, Galli ex Italia pellerentur, Sedesque adeò Romana omni Gallorum metu liberata, in tuto collocaretur. Hic conversus denuo ad Helvetios, opera Cardinalis Sedunensis, veri Sinonis, tandem per insignem fraudem à Tigurinis suppetias sex millium

mox conversa fortuna Gallicarum partium fit.

Caroli V. electioni obsistit;

& denuo mutata fortuna Cæsaream partibus se adjungit.

Opera Sedunensis Cardinalis Helvetios nefariè dividit.

impetravit, in speciem ad defendendam ditionem Pontificiam, revera autem ad pellendos ex Italia Gallos. Quibus sese opposuerunt ii Helvetii, qui signa Gallicana secuti tandem Mediolanum perdiderunt; & Cæsari Pontificique cesserunt. Certè artibus hisce perfidis totam Helvetiam Leo conturbavit, & concordiam antehac sartam maximam in discordiam permutavit, quam boni omnes uni Pontifici Leoni, ejusque proxenetæ Cardinali Sedunensi, patriæ proditori, acceptam meritò referunt.

Mercator & Cananæus ingens fuit.

CLII. Fuit porro Leo hic כנעני *Cananæus* (Zach. XIV. v. ult.) seu Mercator grandis ac nefandus, & profusus supra modum in distribuendis per orbem Christianum indulgentiis, hoc est, instruendis rationibus, quibus ex hominum stultitia immensam sibi pecuniam, voluptatibus bellisque sustinendis, & charitatibus suis locupletandis, compararet. *Patrio more* (ita Langius σύγχρονος Monachus *Chron. Citiz.* A. M.D. XIII. scribit) *Leo auri sitientissimus est, nimirum cùm Romanorum avaritiæ Florentinorum accesserit cupiditas, auriq; sæva fames creverit in immensum, crescitque usque modò amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit; sævior que ignibus Ætnæ ardet amor habendi, quemadmodum & Naso inquit: Creverunt & opes & opum furiosa libido; quò mage sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.* Numerant certè historiæ immensum auri & argenti pondus, quod indulgentiarum propolæ undique corraserunt. Sed & octo Cardinalium ordinationibus Cardinales duos & quadraginta creavit, ex quibus, insignem per Simoniam thesaurum pretiosissimum collegit. Quinta ordinatione Cardinales triginta & unum creavit, atque inter eos opulentissimos & principes Viros, quibus Papatum non tantùm ditavit mirum in modum, sed etiam ceu columnis quibusdam suffultum roboravit. Memorat idem, qui supra Langius, ex quinta illa triginta Cardinalium ordinatione Leonem quingenta millia Ducatorum

Ejus avaritia ex Paulo Langio describitur.

torum in patrimonium Divi Petri intuliſſe; facta tamen iisdem ſpe reſtitutionis. Cumque aliunde Cardinalibus ita emunctis ſatisfacere non potuiſſet, indulgentiarum turpiſſimam illam fraudem auſum, huc illuc æruſcatores miſiſſe, quibelli Turcici & ſtructuræ Vaticanæ prætextu pecunias, ex quibus Cardinalibus ſatisfaceret, corraderent. Neque verò ex theſauris, inſignem per impoſturam ita comportatis, vel Vaticanam ſtructuram, vel Turcicum bellum, uti ignathones ejus, & ipſe quoque prætenderant, promovit; (nam & ſatis pecuniarum ad ſtructuram ejusmodi perficiendam Julius reliquerat; & lapides interdiu Romæ ad Vaticanum conſtruendum cæſos, noctu Florentiam ad palatium Mediceum fabricandum aſportatos eſſe, hiſtoriæ produnt: & ad bellum Turcicum apprime quidem neceſſarium contulit omnino nihil;) ſed Valerio Anshelmo, Paulo, Langio, Guicciardino, aliisque ὁικείοις teſtibus, tum Cardinalibus illis retribuit: tum Sororem Magdalenam, agnatos & Amicos ditavit, & alios ſimul ad utriusque ordinis principatum, aliorum cum injuria, evexit. Julianum enim ex Sorore Nepotem, Mutinenſem; & Laurentianum Urbini Duces creavit; iſti Sorore Caroli Sabaudi, huic Boloniæ Duciſſa, uxoribus conciliatis.

Falſis prætextibus indulgentiarum commercium exercet.

CLIII. Peſſimum verò omen interpretati multi ſunt, quod Leone Cardinales quintùm ordinante, fulmen Templum ipſum, in quo ordinatio fiebat, feriit, non ſine pavore omnium & trepidatione maxima, ſtupentium etiam, cùm fulminis ictu pueruli Jeſu imaginem ex gremio matris excuſſam, & claves ex manibus Petri dejectas cernerent. Indicium ſcilicet, fore, ut propediem Papatus convellatur, Sedesque illa ad ruinam gravem impellatur. Neque falſum iſthoc omen fuit. Mox enim Quirinalis illius prædonis emiſſarii Tezelius Monachus in Germania, & Samſon Franciſcanus Mediolanenſis in Helvetia Sacerrima illa indul-

Omen ruituri mox Papatus,

Zuvinglii & Lutheri hæreſin auſibus impletur.

indulgentiarum, seu tesserarum non modò venialium, sed etiam venalium, impunitatem scelerum, & solutionem Sacrarum legum (veluti si quis sanctissimæ etiam Christi Matri vitium obtulisset) impia & sordida benignitate largientium, nundinatione effecerunt, ut patientia nimiùm jam læsa, ducibus magnanimis & κεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ θεοῦ, in Germania quidem Martino Luthero; in Helvetia verò Huldrico Zwinglio, ipsius Capitolini Jovis jugulum strenuè invaderetur; sana ac verè Divina de vera peccatorum remissione & justificatione peccatoris per Christi solius obedientiam & fidem in eum, doctrina Papalibus indulgentiis quæstuosissimis opposita restitueretur, & Pontifici ipsi coronæ, Monachisque ventres, auferrentur. Quæ duo feciſſe Lutheri peccata, Principi cuidam de eo sciscitanti, festivè Erasmus respondit. Frustraque hic Leo ad solitas Pontificibus artes conversus, Lutherum omnesque ei adhærentes anathemate percussit. Non tantùm enim anathema, ceu brutum quoddam fulmen, non tam in homines, quàm in Christum ipsum, utpote cujus honori vindicando & amplificando merito unicè piorum studia velificabantur, jactatum sperni; sed etiam Sedes Romana, ceu χνήσιον Babylon & Sodoma, ac super ea sedens, ceu Antichristus verissimus certissimis indiciis demonstrari, totis viribus oppugnari, & vicissim damnari; Romana denique superstitio, idololatria & impietas in apertam ubique Scenam produci, convinci, & pro eo, atque merebatur, exagitari cœpit. Durabitque sacrum illud bellum, quo per Spiritum oris Christi perditus ille & perdens terram paulatim abolctur & consumitur, donec Christus τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας eum penitus abolebit, conficiet, & orco, unde caput suum extulit, totum adjudicabit.

Leonis Decimi ignavissimi & impiissimi pontificis

CLIV. Qualis fuerit Leo ille, sub quo, & quo occasionem præbente, Ecclesiæ diu Babylone captivæ Divina libe-

liberatio & παλιγγενεσία feliciter processit, abundè ex iis quæ diximus, constat. Constabit tamen luculentiùs etiam, si de ejus summi scilicet Pontificis & Vicarii Christi impietate & Atheismo, nonnihil attexuerimus. Ille scilicet ἐμόψηφος Johannis XXIV. animam in corporis domicilio sic insinuatam statuentis, ut extra illum carcerem non duret; jussit aliquando (uti *Recusat. Synod. Trid. par. 2. cauſ. 8. pag. 266.* comprobatum videre est) personatos Philosophos duos, ceu moriones ex adverso ad mensam assistere; quos animi gratia de immortalitate animæ disputantes audiret; alterum, qui affirmaret, & qui impugnaret, alterum. Cumque finita disputatione judicium in arbitrium Pontificis hi rejicerent, ille sic definita sententia controversiam diremit: *Etsi tu*, inquit ad affirmantem, *pulchras & bonas rationes habeas; tamen ego sententiam hujus*, negantis, *probo, ceu firmiorem, & quæ faciat bonum vultum.* Eidem Leoni cùm aliquando Bembus, vir excellenter doctus, & post Cardinalis delectus, locum quendam è sacris Bibliis in sermone privato retulisset, molestius id ferens Papa, *Quid*, inquit, *mihi narras istam de Christo fabulam?* Et ne ab hæreticis hæc conficta clamitent οἱ ἐξ εὐαγγελίας ejus rei αὐτόπται & αὐτήκοον testem damus, qui & scire debebat, & causam, cur mentiretur, non habebat, Johannis Pici Mirandulani Comitis nepotem ex fratre minimè degenerem, qui in illo Pisani & Lateranensis Concilii conflictu quæstionem tractans, *utrùm Concilia vel Pontifices errare possint*, inter alia de Leone hoc loquens: *Meminimus*, inquit, *Pontificem creditum & adoratum, qui nullum Deum credens, omne infidelitatis (ἀθεότητος) culmen excederet: pessimaq; ejus opera in coëmendo Pontificatu, in omnigenis sceleribus exercendis, id ipsum testabatur: sed & pessima quoque dicta confirmabant. Namq; fassum cum affirmabatur domesticis quibusdam, nullum se Deum aliquando etiam dum Pontificiam Sedem teneret, credidisse*; quæ ejus

Data ex disputatione de immortalitate animæ ab eo dejecta.

Pico Mirandulano.

verba libro *de fide & ordine credendi, theorem.4. pag. 259. 260.* legere est.

Cardinale Pallavicino.

CLV. Quid verò multis ? Ipse Sforcia Pallavicinus *Histor.Concil. Trid.lib.I. cap.2.* modernos parasitos, atque inter illos Lojolitam Ottonem, qui sicut alios, ita Leonem etiam hunc nitrum & lomentum facere non erubuit, suo testimonio confundit. *Oppon*[illegible], ita ille *num.2.* scribit, *Suavis, magis* Leonem *in literis profanis versatum, quàm in sacris & ad religionem pertinentibus. Haud quidem illi repugno ? Leo ingenio capacissimo, ac singulariter studiis addictus à Deo, vix pueritiam egressus, cùm se in supremo Senatu Ecclesiæ collocatum cerneret, suo planè officio defuit, neglecta in literarum studio parte non solùm nobiliore, sed suæ magis congrua dignitati. Gravior apparuit deformitas, quando trigesimo septimo ætatis anno Præses ac Magister religionis constitutus, non continenti solùm studio profanarum literarum curiositati se totum impendit, sed in Regiam ipsius Religionis majori cura eos accersivit, quibus essent perspectæ Græcorum fabulæ, Poëtarumque deliciæ, quàm Ecclesiæ historia, ac Patrum doctrina, &c. Non æquè Theologorum ac Poëtarum consuetudine est delectatus, nec juxta sacram eruditionem promovit ac profanam.* Mox *num.4. & 5.* Suavi objectanti, *Leoni haud magnæ curæ pietatem fuisse,* largitur ; *in Leone, cùm Pontifex electus est, tantam curam pietatis non eluxisse, quantam celsitudo illa penè Divina postulabat. Nam,* inquit, *ut ea præteream, quæ sub famæ suspicione magis, quàm affirmatione delitescunt ; constat, venationes, facetias, pompas adeò frequentes, fuisse in Leone vitia partim Seculi, partim potentiæ, partim etiam ingenii : non tamen exiguo in eo inter mortales fastigio, cui nil par esse potest, nisi summa perfectio.* Post *num.6.* ait, *Leonem in Sede Romana collocatum passum esse se dementari ab ea specie, quæ magnificum cum bono confundit, plausumq; multitudinis cum Reipublicæ emolumento.*

Ecclesia Romana Reform.

CLVI. Fuisse ea tempestate Ecclesiam Romanam corruptam

ruptam supra modum, adeoque Reformationis indigam, pariter ὀικεῖοι seu domestici testes diffitenter nulli. Idem, qui supra, Monachus Paulus Langius in Chronico Citizensi, quod A. M.D.XX. se scripsisse profitetur; *ad A.* M.D.XIII. de Ecclesiæ Romanæ statu ejusmodi querelam texit: *Amore equidem auri & nunc Romæ cuncta venalia sunt; auro mediante Simonia toleratur; præbendarum pluralitas in infinitum conceditur; beneficia dignitatésve cujusvis qualitatis & Cardinalibus & Protonotariis, atque amicis Papæ reservantur; exspectativæ gratiæ sine numero conceduntur; annatæ sive medii fructus absque ulla dilatione temporis exiguntur. Quin imò ipsæ Annatæ, in quas tempore Calixti Papæ tertii, ad quatuor Principes consenserunt annos, non modò adhuc durant, sed & in dies magis crescunt, duriusq; premunt & opprimunt. Et nisi iidem Principes remedium adhibere procurent, omne æs & aurum pedetentim hoc malo è Germania corrasum & haustum Romam velut in Sacculum pertusum, & inexplebilem voraginem portabitur. Dimembrationes Monasteriorum, & Ecclesiarum permutationes injustissimè admittuntur; Ecclesiarum quoque regimina non magis merenti, sed magis afferenti committuntur; electiones Prælatorum passim rejiciuntur, & Romanis tribuuntur; pro palliorum Archiepiscopalium redemptione ingens pecunia in damnum Ecclesiarum contra Sanctionem Leonis Papæ, ejus nominis Secundi, imo contra Sacri Basileensis Concilii decretum, pro usu pallii, aliorumq; officiorū confirmatione & impetratione, nihil persolvendū statuentis, exigitur & extorquetur. Quam quidem exactionem præter Simoniam alia complura incommoda sequuntur. Nam nostra ætate Archipræsules pecuniam, quam pro pallio seu etiam confirmatione obtinenda Romā mittere coguntur immediatè, quatenus ipsi indemnes maneant, & thesauros suos non minuant; æquivalentem, imo multò ampliorem sub nomine subsidii extorquent pecuniam; quemadmodū nuper in Archiepiscopatu Magdeburgensi contigisse haud absq; querela pauperum (proh dolor) audivimus. Per prædicta igitur & similia, quæ*

mationis indiga corruptio asserta ex Paulo Langio.

ex

ex Romana Curia manant gravamina, per orbem Christianum ruinæ, destructiones & ærumnæ oriuntur. Nec mirum, cum ipsa Germania suprema & principalis, quondamq; potentissima, Moguntinensis Archiepiscopalis Ecclesia, ob eas res causasque maximis & permultis onerata sit debitis, & vehementer exhausta. Proinde non immeritò, cùm supramemorata gravamina sub Leone X. in Gallia plus solito grassari inciperent, Universitas Parisiensis pro conservatione & bono Ecclesiarum totius Regni contra eundem Papam ad Concilium appellavit Generale, &c. Post indulgentiarum historiam pertexens, ita quidem laudat Lutheri Simoniam illam aggressi Zelum, ut tamen subjiciat: *Quæ de Martini Lutheri doctrina disserui, non sicut discipulus illius assertive, sed potius admirativè posui, utpote nullius adhuc juratus in verba Magistri. Sed cùm sim & ego more suspensus multorum, quousque per Oecumenicum, Universale & Generale Concilium, quid in tam arduare tenendum sit, decretum fuerit.* Clauditque suam narrationem his verbis: *Quæ utinam vera non essent, utinam mendaces in hac parte essemus omnes, ut vitiis eliminatis Romæ Sanctitas ipsa & morum integritas, justitia & veritas, ad salutem totius orbis & fidei robur inveniretur, destrueturque ceu falsum & injuriosum illud vulgatissimum etiam laicorum dicterium, quo dicunt, Romæ propiores Christianos esse deteriores, & Curiam Romanam non quærere ovem sine lana.*

Author libri, cui nomen Onus Ecclesiæ;

CLVII. Author libri decantati, cui nomen *Onus Ecclesiæ*, circa initium Reformationis scripti, & Coloniæ denuò A. M. D. C. XXXI. impressi, qui Episcopus Suffraganeus Salisburgensis putatur; Pontificius certè, utpote qui adversus Lutherum contendit passim; Ecclesiæ Romanæ circa eadem tempora statum graphicè depingit. Sectione V. sic scribit: *Ecclesiastica modò sublimitas multifariam est lacerata. Hoc in Apocalypsi ostenditur in Sigilli Sexti apertione, id est, moderni temporis nostri, quando Sol, qui est spiritualis Potentatus, factus est niger, quia non Serenum Cælum,*

sed

ſed tetrum infernum aperit. Propterea perverſus Pontifex nuncupatur Angelus Abyſſi. Sect. VIII. *Heu*, inquit, *ſicut olim in imperio Romano, ſic hodie in Curia Romana eſt vorago divitiarum turpiſſima. Crevit avaritia, periit Lex à Sacerdote, ac viſio de Propheta, & conſilium à Senioribus. Claves Eccleſiæ ſunt in abuſu, & ſervitute ambitionis & Simoniæ. Vitia enim ferme Curialium celari negarique vix poſſunt. Roma quaſi gurges flagitiorum.* Sect. XV. *Ecce Roma nunc eſt vorago & Mammona inferni, ubi Diabolus totius avaritiæ Capitaneus reſidet, vendens patrimonium Chriſti, quod ſua paſſione promeruit, qui nobis præcipit, ut gratis demus, quod gratis accepimus. Id modò verſum eſt in proverbium: Curia Romana non petit ovem ſine lana: Dantes exaudit, non dantibus oſtia claudit.* Mox etiam Sigiſmundi Imperatoris *contradiſpenſationum exorbitantiam* in Conſtantienſi Concilio dictum repetit: *Legere* ſcilicet *nos, Chriſtum Petro poteſtatem duntaxat relaxandi peccata, non admittendi dediſſe.* Addit autem ipſe: *Quot & quantæ exorbitantiæ cum conceſſione & publicatione Apoſtolicarum indulgentiarum committantur, explicare poteſt nemo.* Ipſe verò impudentiſſimum illum indulgentiarum mercatum *Sect.* XXIX. XXX. XXXIX. XLI. XLV. ſeriis vocibus exagitat, & ad extremum ſic concludit: *Adparet, noſtram matrem Eccleſiam unâ cum filiis ſuis Chriſtianis circa normam & modum Pœnitentiarum & veniarum non mediocriter eſſe perplexam atque dilaceratam, & abſque Divina ope ſemetipſam ex illis ærumnis reſolvere impotentem, vehementérque lamentantem de indulgentiarum quæſtoribus* &c. Addi poteſt duplex documentum, Germanicum unum, alterum Gallicum. Germanicum prompſit Vir inſignis, qui à Principibus, quos Leo ad decimas in uſum belli ſacri erogandas ſolicitavit, conſultus, librum ſcripſit *de decimis non præſtandis*; in quo Eccleſiæ Romanæ miſeram faciem ad vivum depingit. Copia ejus apud Wolphium *Lect. Mem. Cent.* 16. *p.* 230. 231. extat. Gallicum

Nec non Authore libelli de decimis non præſtandis.

& Appellatione Universitatis Parisiensis.

licum verò est appellatio solennis Universitatis Parisiensis die XVII. Martii A. M. D. XVII. congregatæ, in qua Reformatio Constantiensis & Basileensis urgetur strenuè, & remedia adversus Simoniam Romanæ Curiæ proponuntur. Ejus Doctiss. Mornæus *Myst. Iniq. p.* 1391. &c. meminit.

Adriano inprimis VI. Pontifice, ejusque Instructione per Cheregatum Ordinibus Germaniæ exhibita.

CLVIII. Quid verò multis? Ipsemet, qui Leoni A. M. D. XXI. ex profusa ob exactos Mediolano totáque Italia Gallos lætitia defuncto, successit, Hadrianus VI. Ultrajectinus, formator olim principalis juventæ Caroli V. missio A. M. D. XXII. ad Comitia Norimbergensia Francisco Cheregato, Episcopo Aprutino, in mandatis dedit, palàm Germaniæ Principibus hæc in verba profiteretur: *Dices: Nos ingenuè fateri, quòd Deus hanc persecutionem Ecclesiæ suæ* (persecutionem scilicet Ecclesiæ ejusdem tentatam ex Dei verbo renovationem interpretatur) *inferre permittit propter peccata hominum, maximè Sacerdotum & Ecclesiæ Prælatorum. Certum enim est, non esse abbreviatam manum Domini, ut salvare nequeat: sed peccata dividere inter nos & ipsum, & abscondere faciem suam à nobis, ut non exaudiat. Clamant Scripturæ, peccata populi derivari à peccatis Sacerdotum: propterea aque, ait Chrysostomus, Salvator noster curaturus infirmam Civitatem Hierusalem, ingressus est priùs Templum, ut peccata Sacerdotum primò castigaret, instar boni medici, qui morbum à radice curat. Scimus, in hac sancta Sede aliquot jam ab annis multa abominanda fuisse, abusus in Spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia denique in perversum mutata. Nec mirum, si ægritudo à capite in membra, à Summis Pontificibus in alios inferiores Prælatos descenderit. Omnes nos (Prælati Ecclesiastici) declinavimus unusquisque in vias suas: nec fuit jam diu qui faceret bonum: non fuit usque ad unum. Quamobrem necessum est, ut omnes demus gloriam Deo, & humiliemus animas nostras ei: videátque unusquisque nostrûm, unde ceciderit: & se potiùs quilibet judicet, quàm in Deo virga*

furo-

furoris ſui judicari velit. Qua in re, quod ad nos attinet, pollicebe-ris, nos omnem operam adhibituros, ut primùm Curia hæc (unde forte omne hoc malum proceſſit) reformetur: ut ſicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit, ita etiam ab eadem ſanitas & reformatio omnium emanet: ad quod procurandum nos tantò arctiùs obligatos reputem⁹, quanto univerſum mundum hujusmodi reformationem avidius deſiderare videmus &c. Nemo tamen mirari debet, ſi non ſtatim omnia errata & abuſus omnes per nos emendatos viderit. Inveteratus nimirum morbus eſt, nec ſimplex, ſed varius & multiplex: pedetentim in ejus cura procedendum eſt, & priùs gravioribus magiſque periculoſis occurrendum: ne omnia pariter reformare volentes, omnia perturbemus. Omnes ſubitæ mutationes, inquit Ariſtoteles in Rep. pernicioſæ ſunt. Qui nimis emungit, elicit ſanguinem. Hactenus ille in Inſtructione, cujus exemplar non tantùm Wolphius in Lectionibus Memorabilibus *Cent.* 16. *pag. m.* 195. Sed etiam Ottuinus Gratius in *Faſciculo rerum expetendarum* Coloniæ A. M.D.XXXV. impreſſo; & poſt ipſum etiam Pallavicinus *Hiſt. Concil. Trid. lib. II.* 7. (ne de inſtructionis illius γνησιότητι quicquam dubitetur) vulgârunt. Acclamamus meritò: Bene, Pater ſancte, bene vidiſti, quod res eſt; *ut in corporibus* (quod Plinius *lib. IV. Epiſt.* 23. ſcitè obſervavit) *Sic in* Hierarchia, & alio quovis *imperio, graviſſimum eſſe morbum, qui à capite diffunditur.*

CLIX. Diſplicuit quidem Batava illa Simplicitas, (nam Ultrajectinus Adrianus erat) non parùm cùm aliis, tum nuper etiam Pallavicino, emunctiorum ſcilicet narium homini, & noviſſimæ Politices Hierarchicæ architecto vaferrimo. *Etiamſi Pontifex,* (inquit inter alia *ib. num.* 11.) *ea in animo haberet ſenſa, liberioris tamen, quàm par erat, ſinceritatis fuiſſe viſum eſt, ea conventui patefacere, & vel ab ipſo, vel ab ejus Nuntio proponi ſcripto. Satis noverat, in eo cœtu complures adeſſe fidei Romanæ adverſarios, qui libenter accepturi eſſent* *Adrianus idem à Pallavicino.*

Confessionem eam dimidiatam, qua Romanos Pontifices accusabat &c. Paulò post: *Aberravit nonnihil Adrianus ab officio Prudentiæ perfectæ in exquirendo à singulis, ad quos scripserat, consilio. Satis erat, si Nuntius per se audita singulorum consilia Pontifici significaret, nulla illi injecta palam necessitate, ea per se ipsum excipiendi.* Displicuit etiam validè alteri Jesuitæ Germano Masenio, qui in *Anima historiarum hujus temporis* inter alia sic de Adriano scribit: *Hac simplicitate, qua Germanis se aperiebat, & diffidentia, qua minùs se credebat Italis, reconditi magis animi sensu que hominibus displicuit.* Vindicavit tamen Adrianum à Jesuitarum horum perversa Politica Sorbonista Launojus, *qui Epist. IV. 7.* cujus inscriptio ita habet: *Adrianus defenditur adversus Pallavicinum & alios Aulæ Sectatores, qui Adrianum ad regendam Sedem Apostolicam minus idoneum fuisse, calumniantur*; inter alia sic loquitur: *In Episcopalis officii non bene gesti suspicionem venit apud eos, qui seculari potiùs, quàm religiosa prudentia regendam esse Ecclesiam, præse ferunt.* Cur verò Magistri illi Curiales, qui tempori serviendum esse putant, sic Adriano detrahant, in causa fuisse tria, idem asserit: *Primùm*, inquit, *Adrianus vivere instituit, ut docuerat. Lovaniensis Theologus docuerat, Clerico de bonis Ecclesiæ nihil præter victum & vestitum sumendum esse. Romanus verò Pontifex de bonis Ecclesiæ nihil præter victum & vestitum sibi sumpsit, ut cæteris exemplum præberet, forma gregis factus. Deinde secutus est eam de Apostolicis dispensationibus doctrinam, quam Theologus Lovaniensis tradiderat in Scholis, ut quæstionem hanc solveret: Utrum omnis Apostolica dispensatio super pluralitate beneficiorum hominem faciat tutum & securum in foro conscientiæ? Tertium, idque omnium maximum & gravissimum fuit, quòd sanctissimus Pontifex Romanæ Curiæ vitia & abusus emendare statuit.* Addit verò, vix posse excusari Cardinalem Pallavicinum, qui probitatis antiquæ & moris prisci Pontificem contumeliosè prosecutus sit, *ut Curiæ blandiretur.*

& Masenii invectionibus.

& Launojo vindicatus.

CLIX. Re-

CLIX. Responsum Pontificio Legato à Cæsare & Ordinibus Imperii perhibitum idem Wolfius mox etiam recitat. In eo inter alia promittunt, se abusus & gravamina, specialesque articulos reformandos scripto Pontifici exhibituros esse. Absque qua Reformatione, veram pacem & concordiam inter Seculares & Ecclesiasticos Ordines sanciri posse pernegant. Mox igitur A. M. D. XXIII. ab omnibus tum Evangelicis tum Pontificiis Imperii Ordinibus in Norimbergensib⁹ Comitiis Centum Nationis Germanicæ Gravamina, quæ omnia tamen tribus capitibus comprehendebantur, nempe *quòd Romana Curia gravissima servitute populum premat: Germaniam facultatibus expoliet: & Magistratus Secularis jurisdictionem sibi vindicet*, Legato eidem Adriani exhibita sunt, cum obtestatione gravissima, det operam Pontifex, ut quantocyùs serióque illa emendentur. Sed mox ac rediit Romam Legatus, Adrianus mortalitatem explevit, simúlque tentatæ Reformationis conatus evanuerunt. Paulò post etiam Anno scilicet M. D. XXV. uti domestici Annales produnt, novem Cantonum Helvetiæ & Valesiorum Legati Lucernæ ausi Reformationis condere articulos temporum suorum calamitatem Sacerdotum iniquitati disertè imputant, nundinationes fœdas prohibent, & Curtisanis, quos Romanos nebulones vocant, pessulum obdunt.

Responsum Ordinum ad Cheragari propositionẽ.

eorúmque gravamina centum.

Novem Cantonum Helvetiæ tentata Reformatio.

CLX. Neque tamen Reformatio, quam Adrianus, & cæteri etiam Curiæ Romanæ antesignani moliebantur, perfecta fuit. Neglecta enim, imò repudiata doctrinæ & Sacramentorum correctione, crassissimos tantùm morum defectus, & damnatam ubique Simoniam notoriam emendare statuerunt. Nimirum ut Medea capiti consulendum putavit jactura discerptorum sparsorúmque fratris membrorum: sic istis consultum videbatur, jactum facere ludicrorum aliquot, aut inanium impedimentorum, ut

Reformatio Adriani & Romanensium tentatæ qualis fuerit.

salvo capite Capitolióque naufragii discrimen ultimum evitarent. Nam, uti Sallustius *ad Cæs. orat.* 2. loquitur, in navigationibus etiam *si quid adversi coortum est, de illis potissimùm jactura fit, quæ pretii minimi sunt.*

Qualis etiam Ordinum Imperii & Cantonum Helvetiæ

CLXI. Sed & Ordines Imperii, ac Cantones Helvetiæ novem ea cum primis sub ferulam vocabant, quibus ipsi se gravari senserant, adeóque de verbi Dei honore & Christi gloria parùm soliciti, temporalibus duntaxat commodis suis velificabantur. Quo quidem indicio demonstrârunt, se à semetipsis loqui, & Dei Spiritu instructos nondum esse. Hunc enim indagandæ & cognoscendæ veritatis canonem Christus ipse ostendit Joh. VII. 18. *Qui à se ipso loquitur, gloriam propriam quærit. Qui autem quærit gloriam ejus, qui misit me, is verax est, & injustitia in eo non est.*

Zvvinglii & Lutheri Reformatio primùm tentata mansa fuit,

CLXII. Ipsi quin etiam Reformatores Ecclesiæ, Zwinglius in Helvetia, & Lutherus in Germania, initio qualicunque nundinationum & libidinum inhibitione fuissent contenti, nisi eos ad majora audenda singularis adversariorum intemperies & obstinatio, providente Ecclesiæ saluti quasi per contraria Numine, irritâsset. Zwinglius equidem in causa indulgentiarum faventem Hugonem Episcopum Constantiensem habebat. Sed is ad alia æquè necessaria procedere noluit. Lutherum quoque, Cajetano minùs consentientem, Leo Papa anathemate ferire, quàm postulatis ejus primis concedere quicquam maluit. Dissensio illa & exacerbatio nostrorum studia exacuit, ut de reformatione in dies perfectiore cogitarent, quod Vergerio Pauli III. Legato palam Lutherus, apud Suavem *Hist. Concil. Trid. lib. I. ad A.* M. D. XXXV. confessus est. Atque ita adversariis usu venit, quod pertinacibus solet, & propugnatoribus suorum vitiorum, juxta fabulam non illepidam de claudo, qui uno nummo redimere se potuisset, postea renitens, pluribus in eo vitiis conspectis, plures

at contrà-entium studio evasit perfectior.

num-

nummos persolvere coactus fuit. Ita Pontifices Romani uno & altero nummo forsan expedire se potuissent, cùm postea totam ferè crumenam amiserint. Universo enim Ecclesiæ corpore diligenter inspecto & considerato, nihil sani in illo deprehensum fuit. Doctrina Ecclesiæ multis hæresibus infecta, Sacramenta magicis ritibus profanata, disciplina in Paganissimum vel gentilem licentiam conversa erat. Universalis ergo corruptio panaceam seu medicinam universalem requirebat. Quæ Dei gratiâ stupendâ passim ita feliciter processit, ut in Helvetia, Germania, Gallia, Anglia, Bohemia, Suecia, Dania, Belgio, Polonia innumera hominum multitudo puro, sincero & ardente Evangelii præconio, solius Spiritus Divini potentiâ compuncta, Romani Pontificis communionem ejuraverit, & veritati Cœlesti Sacramento promptissimè dixerit. *& Pontificiâ dominationem passim coërcuit.*

CLXIII. Adriano non sine veneni propinati suspicione extincto, Julius Medices, Papæ Leonis cognatus, dictus Clemens VII. successit. De ejus natalibus & Simonia Suavis nonnulla recenset, quæ Pallavicinus segniter refellit. Schisma certè ipsum inter & creatum Antipapam Urbanum VI. gliscebat. Quem posteriorem unicum & verum Ecclesiæ caput Richardus VI. Angliæ Rex agnovit. Clementem verò nullis prope literis tinctum, sacræque doctrinæ ignarum, artibus mechanicis delectatum, ingenio fuisse *adeò dimisso hærentique*, ut opificum arcana, subtilitatesque operum *nimia & prope turpi solertia* scrutaretur; *Hector. lib.* XXXII. testis est. Reformatione Adriani, quam tacitè damnaverat, dissimulata, distinctisque certum Germanorum Gravaminibus, quorum alia Curiam Romanam; plura verò Episcopos, Officiales, Curatos & alios Germaniæ Sacerdotes spectabant; prioribus *eò quòd authoritati Pontificis derogent, & hæresin sapiant*, neglectis, posterioribus utcumque satisfacturus, Cardinalem Campegium *Clementis VII. Papatus.* *Schisma ipsum inter & Urbanum VI.* *Ejus ingenium ex Jovio depictum.* *Centum gravamina Ordinum expenditi.*

gium ad Comitia Norimbergenſia ablegat, cum Ordinibus de Reformatione cleri per Germaniam deliberaturum.

Eo rejecto Ordines ad Concilium liberum provocant;

Cùm verò Reformationem oblatam non veram, ſed perſonatam eſſe, utpote quæ non alios, quàm minutos & tenues è Clero tangeret, & crederetur cum magno Secularis poteſtatis præjudicio, Curiæ Romanæ & magnorum Præſulum dominio vires potiùs ſubminiſtratura, atque ad majores rapinas majorémque tyrannidem aditum pateſactura; Ordines intelligerent, ea rejecta, Concilium liberum in Germaniæ loco idoneo celebrari expetunt. Qui tamen Pontificiarum partium erant, Ferdinandus, Archiepiſcopus Salisburgenſis, Duces Bavariæ, Tridentinus & Ratisbonenſis Epiſcopi, novémque etiam Epiſcoporum Legati, die ſexto Julii A. M. D. XXIV. Norinbergæ unâ cum Campegio convenientes Wormatienſe edictum, quo Lutherus damnatus erat, urgent, Miſſæ abrogationem, aliáque ſeverè prohibent, & poſt etiam canones Eccleſiaſticos à Campegio reformandæ Eccleſiæ confectos, ſanciunt. Carolus quoque Cæſar audito Comitiorum Norimbergenſium, ſe abſente, celebratorum edicto, Ordinibus indignatus, perinde ac ſi ad imminutionem poteſtatis ſuæ tenderet, in Comitiis Spirenſibus ſub finem Junii A. M. D. XXVI. habitis, Wormatienſis decreti executionem, quo ad ſcilicet cum Pontifice de Concilio egerit; literis plus ſatis imperioſis injungit. Cui tamen ſe parere poſſe Ordines reliqui negant. Interea Cæſarem inter & Gallos ſuborta ſunt bella, in quibus Clemens ſuſpectam habens Cæſaris Gallum captivum attinentis potentiam, tam non fidus in Carolum fuit memoria beneficiorum ante Pontificatum ab eodem acceptorum, ut fœdera fœderibus adverſus ipſum accumulaverit, & perfidiam perfidiæ ſubinde junxerit. Quæ omnia ſigillatim hoc loco commemorare nimis longum, & quia apud Authores, Johannem Ferranum in vi-

Pontifices tamen in Comitiis peculiaribus & poſt etiam Carolus ipſe executionem decreti Wormatienſis urgent.

Clemens peſſima erga Cæſarem fides.

ta

ta Franciſci I. Jovium, Tilium, alios paſſim obvia, ſupervacaneum fuerit. Id quidem conſtat, Clementem, quoties in fœderis ſocietatem à Carolo receptus fuit, toties ex ſocio hoſtem evaſiſſe. Extant duæ Epiſtolæ A. M.D.XXVII. Oeniponte editæ, Clementis una ad Carolum; altera Caroli ad Clementem, quâ is acriter Papæ adverſus Cæſarem & Imperium iniquitatem, gladii politici uſurpationem temerariam, colluſionem cum Gallo, perfidiam, fraudulentam & callidam machinationem, perjuria perſtringit.

CLXIV. Ob perfidiam illam Clementis in Italia etiam bellum graviſſimum exarſit, in quo Ducibus Borbonio & Freundſpergio Roma capta, magnáque atrocitate in Romanos ſævitum, & Clemens ipſe nec quicquam adverſus Hiſpanos & Germanos, ceu *hæreticos*, *Lutheranos & Marrhanos* fulminans, in Adriani mole obſeſſus, atque inde in caſtrum Angeli captivus abductus, ibidemque propemodum fame dira confectus, ac vix tandem, ut contumelioſæ ſervituti ſe eriperet, ad æquas conditiones fœderis adactus eſt. Excuſavit quidem ſe Pontifici Cæſar, conteſtatus, injuſſu ſuo illud omne à feroci & indomito milite attentatum. Neque tamen minùs juſto Dei injurias ſibi illatas ulciſcentis judicio id omne acceptum tulit, rectiùs etiam & pro dignitate Imperatoris, quod cordati ejus conſiliarii ſuaſerant, facturus, ſi Romam ipſe, dejecto Pſeudo-Cæſare Pontifice, occupâſſet, & ſe non nomine ſolo, ſe reapſe Romanum Imperatorem eſſe patefeciſſet. Sed hæſit altè nimis in latere ejus lethalis, nullóque dictamno ſanabilis ſuperſtitio, quæ ceu θηλατον παθος illum, quò minùs ſacerrimam impoſturam Papæ animo complecteretur, occæcavit. Neque aliud etiam in fatis erat, & Scripturas impleri oportuit. Ita novo fœdere Cæſar & Papa coaluere, cujus præcipua lex erat, ut ſociatis auxiliis Lutherani omnes excidantur. Et Bononiam progreſſus

Unde bello in Italia flagrante Roma capta, direpta, & ipſe Clemens in caſtro Angeli captivus retentus;

Carolo improbante factum ſui militis,

Liberatur Papa, fœdere cum Cæſare initio cum Bo-

nonis coronat.

Cæsar, ibi die, XXIV. Febr. A. M. D. XXX. à Pontifice, tanto apparatu luxúque, quanto ante eum Cæsarum nemo, coronam accepit. Paulò ante etiam quàm coronatio hæc contingeret, die nimirum XXIII. Decembr. A. M. D. XXIX. Papa, Cæsar, Rex Ferdinandus, Gallus, Anglus, Princeps Itali, Mediolanensis, Montferratensis, Mantuanus, urbes quoque Genua, Sena, Luca, aliæque arctissimum fœdus percusserunt, cujus palmaria conditio erat, συμφερῇ ἀρχῇ tueri Majestatem Pontificiam, & ad Sedis Romanæ obedientiam hæreticos & inobedientes quosvis modis quibuslibet compellere. Bononiæ etiam Cæsarem inter & Clementem de Concilio generali indicendo disceptatum, illo Concilium suadente & probante, hoc improbante & aversante vehementissimè. Conflictum rationum Suavis Polanus *Hist. Concil. Trid. lib. I.* ad A. M. D. XXIX. prodidit. Cessitque tandem Carolus Papæ desideriis, certus posthac cum inobedientibus non tam rationum ponderibus, & suasionis illecrebra; quàm authoritatis imperiique sui viribus decernere. Eo certè animo A. M. D. XXX. Augustam ad Comitia venit, ubi Confessione â Protestantibus exhibita, & partium conciliatione frustra tentata, sententiam nihil ominus mutat, & decreto de religione cuso, etiam Concilium, invito & ringente post Pontifice, intra annum auspicandum promittit; móxque etiam de Pace cum Protestantibus ad Concilii tempus usque ineunda consilia agitat. Licet verò Papa sinuatis hic velis non alienum se à Concilio, dummodo in Italia illud celebretur, simulaverit; ejus tamen Cardinales Concilii necessitatem refutant palam, & executionem diplomatis Leonis urgent. Cæsar Concilium in Germania habendum pertendit, simulque Confessionis Augustanæ sectatoribus ad Concilium illud usque libertatem religionis indulget. Qua indulgentia, aliisque etiam causis irritatus Papa deserto iterum

Principes Pontificii fœdere inito adversus Evangelicos conjurant.

De Concilio contentio Cæsarem inter & Papam.

Vi decernere Cæsar instituit:

et mox Augustæ cum Protestantibus de pace ad tempus usque Concilii transigit.

Papæ defectio à Cæsare ad Gallum (cu-

rum Cæsare, fœdus cum Galliæ Rege Francisco pangit Massiliæ, ubi Rex ad pedes Papæ prostratus eum adoravit; atque illud matrimonio proneptis suæ Catharinæ Mediceæ cum filio Regis Henrico (cui Papa numeratis centum millibus aureorum, tres etiam gemmas nobilissimas, Genuam, Mediolanum, & Neapolin, pixidem scilicet Pandoræ in manu habens, dotis vicem promisit) firmat. Catharina illa est, quæ *quarta Francorum furia* dicta, trium Regum, Francisci II. Caroli IX. & Henrici III. mater, mirè post Galliam artibus & furore in filiis regnans turbavit. Celebratæ sunt nuptiæ tanto cum splendore & luxu dies triginta tres integros, ut hominum memoria nuptiæ Regum majori agitatæ nullæ sint. Rediitque ex nuptiis illis Franciscus à Pontifice in tyrannum & Maxentium quendam ita efferatus, ut fideles Regni sui dirissimis suppliciis afficere cœperit. Tandem Clemens, ceu Epiphanes & Herodes alter viscerum: quæsitissimis doloribus diu excruciatus, die XXV. Sept. A. M. D. XXXIV. misere expiravit; non sine gaudio communi aulicorum etiam. *Etsi enim*, verba Suavis *ad A.* M. D. XXXIV. refero, *quibusdam dotibus, naturali gravitate, parsimonia exemplari ac dissimulatione insigni multorum in se admirationem concitârat: ob avaritiam tamen, austeritatem & crudelitatem, quas semper exercuit, sed in morbo plus solito manifestavit, multò pluribus erat odiosus.* Certè mortem ejus tanto exceptam esse gaudio, quanto erat electio. Pallavicinus etiam *Hist. Concil. Trid. III.* 16. 8. fatetur, addens, caruisse ipsum dotibus, quæ animos conciliant, beneficentia & humanitate eum caruisse, creditumque caput Pontificatus, cujus revera solum dextera extiterit. *Neminem plane oderat*, ita de eo etiam Jovius *Hist. lib.* 32. scribit, *quum neminem adamaret, præterquam ab occultiore causa conciliatos. His certè unis adeò favit intemperanter, ut ad summos honores, aut ad summum au-*

filio Henrico II. neptim Catharinam Mediceam, quartam Francorum furiam post dictum despondet.)

& mors subsecuta.

De eo Suavis,

Pallavicini,

& Jovii testimonia.

thoritatis locum, ſtabileſque divitias nulla proveheret pudore; multorum verò conſtanter obliveſceretur, qui ab optimis literarum ſtudiis, veteríque obſequio commendationem & præmia meruiſſent. Hos quidem blandè appellabat, ut imagine gratiæ detineret, ſed occultè oderat tanquam creditores.

Pauli III. Papatus.

CLXV. Clemente fati clementia humanis rebus exempto P. Petrus Loſſius Romanus, ex Furneſiorum familia, qui Pauli III. nomen ſibi vendicavit, ſucceſſit. De vita & moribus, parricidiis inprimis, proditionibus, ſacrilegiis, veneficiis, inceſtibus & ſtupris ejus nefandis, peculiaris liber Italicè ſcriptus, qui Ochini nomen præfert, ſed ab alio, cui Paulus ille propiùs innotuit, ſcriptus putatur, à Thuano, Sleidano aliiſque allegatus, talia prodidit, ut inſanire eum, qui alium Antichriſtum tum expectavit, oportuerit. Alibi recitata, & ab Adverſario cætera protervo ſatis in *C. T. veritate inextincta*; ipſóque etiam præcentore ejus Pallavicino *Lib. III.* 17. 5. leviter, nulliſque rationibus ſolidis diſcuſſa, repetere heic non libet. Id quidem certum & â Panvinio etiam memoratum, illum quatuordecim Cardinalium electionibus ſeptuaginta & unum in Purpuratorum Senatum adoptâſſe, atque ea ratione immenſam auri vim corrogâſſe. Pecunias pleraſque tum ad luxum & voluptates, quibus deditum eum ſupra modum fuiſſe facinora ejus loquuntur: tum ad Petrum Aloyſium Parmæ & Placentiæ Ducem à ſe creatum, nothum ſuum, Sodomæ ſpurciſſimo crimine infamem; & ex eodem notho, nec non Conſtantia itidem filia notha, progenitos nepotes Alexandrum Farneſium, & Guidonem Aſcanium Sfortiam, (quorum illum quatuordecim, hunc ſedecim annos natum Cardinales creavit;) exornandos impendit. Quam Pauli Simoniam ita Pallavicinus loco citato extenuat, ut aſſerat, eum, *qui ob hanc humanæ conditionis labem Pontifices vituperat, ineſſe Divinum quidpiam in*

De eo teſtimonia libri Italici,

Simonia ejus à Pallavicino neguiter defenſa,

Ponti-

Pontificatu fateri. Bellè scilicet, ceu ἄτοπον & absurdum, *in Pontificatu Divinum quidpiam non inesse*, inferens; & Simoniam labem esse ne quidem vituperandam in Pontifice, statuens.

CLXVI. Dissidia in religione mota latiùs serpere cùm cerneret Paulus, antecessore suo astutior, studium amicitiæ Cæsareæ singulare præ se tulit, quò faciliùs ipsum cum aliis Principibus ad arma in Protestantes capienda, sanguinis Germanici sitientissimus concitare posset; Et importuna quidem flagitatione ita concitavit denique, ut bellum diriſſimum in Germania exarserit, in quo duo Principes præpotentes Evangelici acie inferiores in Cæsaris potestatem captivi concesserunt. Veruntamen ea rerum conversio facta est, ut dimissis Principibus captivis, ac religionis libertate Germanis concessa, Papalis amicitiæ fructus spe multò minores Cæsar senserit, maluerítque se, post impensa Papæ servitia, Germanorum Principum amicitiam Pontificio fœderi præposuisse. Nam etsi minores in ipsum Pauli tardioréque quàm aliorum Pontificum machinationes fuerunt: tamen factus tandem à Cæsare alienior, quòd is Parmam atque Placentiam post filium Aloysium conjuratione sublatum repoſcenti, negâsset, eas se civitates in ditionis ac dignitatis Imperialis præjudicium alienare posse; vindictam agitans de transitu ad Gallicas partes consilia suscepit, perfecturus etiam, nisi prævertente morte ad plures abiisset.

Qualem se erga Cæsarem Paulus hic gesserit.

CLXVII. Concilii Generalis convocandi, & reformandæ Ecclesiæ statim atque electus Papa est, studium enixum præ se tulit. Delectis igitur sive tribus, uti Suavis habet, sive pluribus, uti Pallavicinus narrat, Purpuratis, de reformanda Ecclesia consulationem injungit: diplomate etiam exhibito, quo rerum capita tractanda exponebantur. Decretum tamen mox, ne vulgaretur diploma il-

Concilii celebrandi studium testatur.

lud, *quippe quod* (verba Pallavicini *lib. III.* 17. 3. refero) *dum reformari mores jubebat, fatebatur in iis deformationem ineſſe, adeóque obtrectationes hæreticorum apud vulgus confirmaſſet.* Miſſis dein huc illuc Legatis, Petro Paulo Vergerio cum primis in Germaniam, conſilium ſuum de Concilio celebrando aperit. Quod, à Proteſtantibus graves ob cauſas rejectum licet, ille proſequitur, diplomate edito, quo Mantuam Concilii locum deſignavit. Cùm verò id Ducis Mantuæ, uti quidem Papa tricabatur, culpa non ſuccederet, ſuſpicionis, quaſi minùs vel Concilio vel Reformationi faveret, amoliendæ cauſa, diploma aliud de emendanda Curia Romana vulgavit, conſiliique de ea maturè capiendi negotium quatuor Cardinalibus, puta Contareno, Theatino, Sadoleto & Reginaldo, nec non quinque Præſulibus dedit. Extat adhuc delegatorum illorum Cardinalium & Præſulum Conſilium, ſub hoc titulo: *Conſilium delectorum Cardinalium & Præſulum aliorum de emendanda Eccleſia juſſu Papæ Pauli III. conſcriptum & exhibitum* A. M. D. XXXVIII. In conſilio eo Romanæ Curiæ morbi & ulcera olidiſſima ingenuè detegumtur.

Conſilium ejus juſſu à Cardinalibus & Epiſcopis conſcriptum de reformanda Curia Romana.

CLXVIII. Et initio quidem Cardinales laudato Paulo, ejuſque inſtituto, ab eodem ſibi in mandatis datum narrant, *ut nullius aut commodi Papæ, aut cujuſpiam alterius habita ratione ipſi ſignificarent abuſus illos, graviſſimos videlicet morbos, quibus jam pridem Eccleſia Dei laboret, ac præſertim hæc Romana Curia, quibus effectum propeſit, ut paulatim ac ſenſim ingraveſcentibus peſtiferis his morbis magnam hanc, quam videant, ruinam traxerit.* Addunt ἀξιομνημόνευτα hæc: *Et quoniam Sanctitas tua, Spiritu Dei erudita, qui, ut inquit Auguſtinus, loquitur in cordibus nullo verborum ſtrepitu, probè noverat, principium horum malorum inde fuiſſe, quòd nonnulli Pontifices tui Prædeceſſores prurientes auribus, ut inquit Apoſtolus Paulus, coacervaverunt ſibi Magiſtros ad deſideria ſua, non ut ab eis diſcerent,*

Ejus præcipua capita.

quod

quod facere deberent, ſed ut eorum ſtudio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet: inde effectum eſt, præterquam quòd Principatum omnem ſequitur adulatio, ut umbra corpus: difficillimúſque ſemper fuit aditus veritatis ad aures Principum, quòd confeſtim prodirent Doctores, qui docerent, Pontificem eſſe Dominum beneficiorum omnium; ac ideò cum Dominus jure vendat id quod ſuum eſt, neceſſariò ſequi, in Pontificem non poſſe cadere Simoniam, ita quòd voluntas Pontificis, qualiſcunque ea fuerit, ſit regula, qua ejus operationes & actiones dirigantur: ex quo procul dubio effici, ut quicquid libeat, liceat. Ex hoc fonte, Sancte Pater, tanquam ex equo Trojano irrupere in Eccleſiam Dei tot abuſus, & tam graviſſimi morbi, quibus nunc conſpicimus eam ad deſperationem ferè ſalutis laborare, vel manâſſe harum rerũ famam ad infideles uſque; credat Sanctitas veſtra ſcientibus, qui ob hanc præcipuè cauſam Chriſtianam religionem derident adeò, ut per nos, per nos, inquimus, blaſphemetur nomen Chriſti inter gentes. Tu verò, Sanctiſſime Pater, vidiſti, inde incipiendam eſſe medicationem, unde primùm ortus eſt morbus. Antea verò quàm abuſus perſtringerent, monent Pontificem, *ne putet ſibi diſpenſare licere in legibus, niſi urgenti de cauſa & neceſſaria: neque licere Pontifici & Vicario Chriſti in uſu poteſtatis clavium lucrum aliquod ſibi comparare.* Poſt abuſus plures, eóſq; graviſſimos, inprimis circa *ordinationem Clericorum, collationem beneficiorum Eccleſiaſticorum, maximè Curatorum, expectativas, reſervationes beneficiorum, abſentiam Clericorum ab Eccleſiis, ſuis exemptiones à juriſdictione Ordinarii, multitudinem Ordinum Religioſorum, inſtitutionem publicam in Gymnaſiis, Gratias & diſpenſationes,* alioſque ſimiles ad incudem revocant. Demum ad ipſum Romanum Epiſcopum & Romanam Eccleſiam in ſpecie accedentes, inter alia ſcribunt: *In hac urbe meretrices ut matronæ incedunt per urbem, ſeu mula vehuntur, quas aſſectantur de media die nobiles familiares Cardinalium, Clericíque. Nulla in urbe vidimus hanc corruptionem, præterquam in hac*

omnium

In nervum tamen, dissidentibus in ejus examine Cardinalibus non erumpit.

omnium exemplari. Habitant etiam insignes ædes. Consilium isthoc scriptum ad Cardinalium Senatum Pontifex retulit, ubi de eo dimicatio gravis inter Cardinalem Scombergium, Capuanum Archiepiscopum, & Johannem Petrum Caraffam, Cardinalem Theatinum suborta est; illo pertendente, temporum conditionem nullam ejus generis emendationem pati, & Lutheranos inde jactantiæ occasionem sumpturos, habituros scilicet Pontificios reos confitentes: hoc verò necessitatem reformationis ejusmodi irrefragabilem demonstrante. Cùm ita sententiis Cardinales variarent, Papa in aliud tempus consilium rejecit, & de toto negotio illo sacrum silentium suis injunxit. Emanavit nihilominus scriptum per Cardinalem Capuanum, qui ejus exemplar in Germaniam misit, conscio, uti rebantur multi, Pontifice, ut colligerent inde Germani reformationem Ecclesiæ sibi curæ cordíque esse.

Jesuita exorti & à Paulo confirmati labantem causam Ecclesiæ Romanæ sustinent.

CLXIX. Liquet autem ex his Pauli III. & superiùs etiam memoratis Adriani consiliis, aliorúmque etiam, Rivii cumprimis, qui circa hæc tempora de abusibus Ecclesiasticis scripsit, confessione, Papistas magis ingenuos se ante Concilium Tridentinum præstitisse, neque vel morbos Ecclesiæ Romanæ planè dissimulâsse, vel Pontificis *impeccantiam*, detur venia Tertulliani verbo, mordicus propugnâsse. Sicut autem accidere crebrò videmus, ut aciem inclinatam jam & labantem supervenientes integri restituant, & vi majore in hostem obvertantur: ita sub eodem Paulo Jesuitæ natales suos inauspicatos nacti, tempore scilicet novus & collectitius miles, paulatim verò factus usu veteranus, & ferè triarius, aliíque etiam, nihil fracti pugnarum priorum eventu, cunctatione conditionibúsque omnibus animosè excussis, & quæ molliores illi dederant, receptis, pugnam fortiter redintegrârunt, perfrictè negantes, Papam in fide, imò etiam, quod nuper addide-

runt,

runt, in facto unquam errâsse, vel errare potuisse. Sicut igitur ante annos circiter quadringentos, cùm Pontificia Sedes à Waldensibus impeti graviter cœpissèt, Papatum ruentem à Monachis Dominicanis recens exortis sufful-tum esse, supra observavimus: ita hoc tempore à Jesuitis ceu *Catholicæ fidei Principibus* (ita eos appellat in Philippica Sylvanus Jesuita, mulos mulus) caput infelix orco proferentibus, Papatus idem gravissimè concussus, sustineri potissimùm cœpit. Eorum institutum primus Paulus III. edita V. Cal. Octob. A. M. D. XL. Bulla, quam Polyhistor Hospinianus *Historiæ Jesuitarum pag.* 250. 251. inseruit, & laudavit & approbavit, commemorans, *dilectos filios, Ignatium de Loyola, Petrum Fabrum, Jacobum Laynez, Franciscum Xavier &c. Spiritu Sat piè credatur, afflatos, jamdudum è diversis mundi regionibus discedentes in unum convenisse, & Socios effectos, abdicatis hujus Seculi illecebris, vitam suam perpetuo Domini nostri Jesu Christi, atque suo & aliorum Successorum suorum Romanorum Pontificum servitio dedicâsse*, &c. Subjecta formula Regulæ Societatis, cujus initium est: *Quicunque in Societate nostra, quam Jesu* (Loyolæ scribere debuerant) *nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo* (egregium scilicet crucis vexillum, sub quo militantes mundi hujus potentia suffulti, carnis desideriis toti indulgent!) *Deo militare, & soli Domino atque Romano Pontifici ejus in terris Vicario servire* &c. declarat Paulus, *se præmissa omnia Apostolicâ authoritate ex certa scientia approbare, confirmare & benedicere: ac perpetuæ firmitatis munimine roborare; non obstantibus Generalis Concilii* (Lateranensis scilicet, quo novorum Ordinum institutio prohibita est) *& felicis recordationis Gregorii Papæ X. Prædecessoris sui, ac quibusvis aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrariis quibuscunque.* Ubi non sine Numine Papæ exciderunt verba, *se non obstantibus quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis* Je-

 suita-

fuitarum Ordinem laudare & approbare. Obstabant sanè *Ordinationes Apostolicæ* impiis moliminibus. Sed *non obstantibus* iis, adeoque neglectis, posthabitis, rejectis nefas Papa tentavit, dum nova munimenta ad manum succederent, quibus Sedes Pontificia insisteret. Nam peculiare esse huic Societati *tueri Apostolicam Sedem, Romanique Pontificis authoritatem*, ex Bulla Canonizationis Ignatii, Mutius Vitelleschius comprobat. Talis omnino cùm fuerit novella illa & Atlantica Societas, non immeritò paulò post A. M. D. L I V. Sorbona à suprema Galliæ Curia de ea judicium suum promere jussa, illud satis σηλεύκιον promsit, & sub finem omnia in pauca contrahens sic declaravit: *His omnibus atque aliis diligenter exploratis & examinatis & perpensis, hæc Societas videtur in negotio fidei periculosa, pacis Ecclesiasticæ perturbativa, Monasticæ religionis eversiva, & magis ad destructionem quàm ædificationem.*

De novello ordine eo judicium Sorbonæ.

CLXX. Atque talis cùm fuerit in prima sui origine, authoritatem sacerrimæ professionis præferens licet Societas; multò magis etiam successu temporis, uti solent mali εἰς πλεῖον προκόπτειν ἀσεβείας *ad majorem in dies impietatem proficere* (2. Tim. II. 16.) in pejus ita degeneravit, ut malorum omnium sentina quædam hodie dici mereatur. Cujus rei testes domestici complures cordatique in medium afferri possent, quorum non paucos recentiores Celeb. Hottingerus *Histor. Eccles. Tom.* v. *pag.* 495. &c. indigitat. Omnium instar esse potest Scriptor nuperus, paucis licet inter nostros notus, ex media Italia, gravissimus, Julius Clemens Placentinus, ex illustri Scotorum familia, qui scripto, & opera Francisci Solanguis Nobilis Cremensis Parisiis (ita frons libri habet, cùm Venetiis potiùs impressus sit) vulgato *de Potestate Pontificia in Societatem Jesu* libro, Societatis hujus morbos procedente tempore contractos fusè & eruditissimè detexit. Et parte quidem libri ejus lectu dignissimi

Successu temporis ordo ille degeneravit.

Scripto impetuari scripto Julio Clemente Scoto.

gnissimi tertia *pag.* 108-149. proponit multa, *in quibus Religiosi Societatis Jesu derogârint Constitutionibus ab Ignatio conscriptis, aliisq; Legibus in Congregationibus Generalibus editis.* Parte quarta *pag.* 149-195. exponit illa, *in quibus Societatis Jesu Religiosi à primævo Majorum suorum Spiritu, à Constitutionum Regularumq; observantia, & à religiosa perfectione defecerint.* Parte quinta *pag.* 195-235. ex ipsis Jesuitarum libris recenset causas, *propter quas deficere potuerit primigenius Spiritus in Societatis Jesu Religiosis.* Parte sexta *pag.* 235-364. declarat illa, *in quibus Religio Societatis Jesu præsenti Reformatione indigere possit.* Parte septima *pag.* 364-382. damna ab hac Societate à primævo Spiritu deficiente imminentia prosequitur.

CLXXI. Eodem Paulo Pontifice, uti etiam Masenio in *Anima historiarum* observatum; Capucinorum quoque Secta caput infelix extulit; incerto licet authore, quem alii *Bernhardinum Ochinum*: alii *Gotfridum Varaglium* Buscanum, Pedemontanum, qui etiam Ordinis Generalis electus, at post Evangelicam veritatem amplexus Taurini penult. Dec. A. M. D. LVII. ob constantem ejus professionem vivus combustus est; alii *Matthæum Bascium* Umbrum fuisse conjectant. Uti Jesuitæ doctrinæ profunditatem & prudentiam singularem: ita Capucini innocuam simplicitatem præ se tulerunt. Temperata igitur Jesuitarum serpentina prudentia, & Capucinorum simplicitate columbina egregiè suffulciri Papatum, & simpliciorum credulitati imponi posse, Paulus forte credidit. Sed detracta utrisque larva pridem est, & illorum perfidia, doli, sævitia; horum hypocrisis apertam in lucem prolata est.

Capucinorum ordo ab eodem Paulo confirmatur.

Jesuitæ & Capucini sanctis viribus Romanam Ecclesiam ruentem sustinent.

CLXXII. Cùm non procederet Concilium Mantuæ indictum, Pontifex Novembri A. M. D. XXXVII. novo diplomate illud Vincentiam indicit, & propinquam hiemem causatus, ad Calendas usque Majas A. M. D. XXXVIII. tem-

Concilium Tridentum indicitur.

tempus ejus extrahit. Cumque ne sic quidem negotium procederet, tandem Tridentum, vicinum Germaniæ oppidum, deligitur. Eò cùm vocasset Paulus Bulla indictionis ad Idus Augusti A. M. D. XLII. Pontificii consilium probârunt: at improbârunt Protestantes, qui liberum Concilium, nec à Papa convocatum, nec in Urbe Papæ obnoxia celebrandum constanter flagitârunt. Neque tamen, intercedentibus variis, ejus initium ante diem XIII. Dec. A. M.D. XLV. quo prima Sessio successit, factum est. Et decem quidem primis Sessionibus sub Paulo III. habitis decreta fidei est Reformationis, variaque contra Evangelicos anathemata cusa, alibi ad partes vocata, historiamque Sessionum, Pontificis & Curiæ Romanæ πανεργίαν propalantem discussam, heic repetere nihil attinet.

Reformatio in eo Concilio susceptæ qualis fuerit.

CLXXIII. Reformatio certè in capite & membris Ecclesiæ ab universo orbe Christiano desiderata, & ab Adriano Pontifice etiam promissa fuerat. Fidei verò reformatio sincera tantùm abest ut successerit ulla, ut deformatio ejus major, & errorum deterrimorum solennis confirmatio Ecclesiam Pontificiam infestaverit magis. Morum verò Reformatio vel nulla omnino, vel ludicra tota, fuit. Omnium pæne malorum radicem in Papa & Curia Romana, & utriusque tyrannide, ambitione, avaritia, luxu fixam non attingere, nedum tollere ausi Patres sunt. Et si qua salutaria decreta Pontificem & Curiam obliquè ferientia cudi visa sunt, iis nervos succidit omnes tum secutum *Sess.* XXV. 21. decretum, *ut in omnibus de morum Reformatione & Ecclesiastica disciplina decretis salva semper Sedis Apostolicæ authoritas & sit & esse intelligatur*: tum jus interpretandi & declarandi singula Concilii decreta, quod Synodo indulgente sibi Papa reservavit, quæ duo efficere posse, ut omnia Papæ & Curiæ noxia decreta in nihilum recidant, & sensim sine sensu in antiquum cuncta statum redigantur;

Pon-

Pontifici Concilium confirmare, eò quòd Sedi Pontificiæ nonnulla ejus decreta præjudicare viderentur, cunctanti, Cardinalis Amulius, & Episcopus Vestanus suggesserunt.

CLXXIV. Unum addo, in Congregatione die XVIII. & XXII. Jan. A. M. D. XLVI. habita quæsitum anxieque disceptatum esse, à decisione dogmatum fidei, an à reformatione morum & abusuum capiendum sit initium? Prius Pontificii, Cæsarei posterius pertenderant. Et Pontificiorum quidem rationes Pallavicinus *Hist. C. T. lib. VI. 7*: 2. 3. fusè edisserit. Operæ autem pretium puto, nonnulla ejusdem Pallavicini verbis attexere, ex quibus liquere possit, quis circa reformationem abusuum & morum Pontifici θυμὸς ἐκ σήθεϊ fuerit, quamque vehementer illi animus à seria reformatione abhorruerit. *Haud ipsis deerant*, inquit *num. 2. validissimæ duplicis generis rationes: aliæ ad populi captum, aliæ minùs in speciem apertæ &c. Accedebat, hanc adeò efflagitatam emendationem tendere potissimùm in ritus ac Romanæ Curiæ tribunalia: nec prudentis esse consilii, à Principe Regiam suam subdi correctioni subditorum. Cunctorum quidem sententiam explorandam; paucorum consilium petendum. Cæterùm illius esse familiæ suæ leges ferre, ne gens sibi subjecta illius gesta accusare consuescat, quem venerari debet; ac longè minùs eum dirigere, à quo est regenda. Esse homines plerunque acerbos chirurgos in alienis membris; parùm ab his intelligi, minusq; ipsis dolere vulneris acerbitatem. Episcopos, alios rerum imperitia, alios imprudenti religionis studio, alios etiam privatæ rei commodo, desiderio gratificandi Principi, in cujus ditione nati sunt, ira atque invidia in supremum Principem, meditari severissimas. Aulæ Romanæ leges, quæ non tam corruptelas purgarent, quàm imminuerent ejusdem potentiã, Majestatem, ad eum confluentium frequentiam, & quicquid habet præstantissimi succi, quæ quasi vitis mystica in Christianarum Ecclesiarum palmitibus vim & unitatem sustentat*

A Reformatione seria abhorruisse Pontifices,

ex Pallavicino probatur

stentat ac fovet. Quid porro agendum, ubi Tridenti ea statuerentur? Num ignavè cedendum, ac plus detrimenti inferendum Petri solio, per Concilium à se adversus hæresin coactum, quàm ipsamet hæresis intulisset? An repugnandū, abrogandaque fides illi conventui, cujus in hæresin arma, nonnisi publica veneratio futura erant? Nonne Duci cum suo exercitu decertandum, ubi cum hoste congrediendum erat? turbæq; Basileenses iterum excitandæ, eò certè in præsentia periculosiores, quò materia promptior erat ad incēdium concipiendum hujusmodi favillarum injectu? Nec hic discrimen hæsurum. Etenim veritos forsitan Episcopos, ne decreta de Romana Curia in irritum caderent, tentaturos priùs judiciariam sibi potestatem stabilire, Basileensem planè cœtū imitantes, conaturosq; statuere Concilii supra Pontificem excellentiam: quibus haud liceret Pontifici consentiri, dignitate & conscientia reluctantibus; quippe doctrinis perquam perniciosis, quæ non modò Pontificalem Sedem dejicerent, sed universum Hierarchiæ ordinem perverterent, ac sub speciosa libertatis colore, pacifici Regis Ecclesiam in perennis discordiæ campū converterent &c. Ad tam gravia arcenda pericula par esse, ut primo loco Synodus in doctrinis examinandis destineretur; interim verò ab ipso Pontifice pro dignitate ac prudentia leges esse sanciendas Aulæ Romanæ opportunas. Paulò inferiùs *num.* 8. fatetur idem, *invaluisse ad eam usque diem* (apud Patres ipsos Concilii) *persuasionem, ab hominibus Romanæ Aulæ addictis nihil æquè formidari ac leges, quibus ipsi reformarentur. Fidem & dogmata speciosa quædam esse vocabula, & fucum simulati studii religionis tuendæ.* Sequenti capite 8. num. 4. Pallavicinus ipse animi sui notionem implicatam hactenus his verbis explicat: *Existimo, cuicunque hominum, cui livoris tabes rationem non infecerit, satis esse, si repetat animo, ambitionis artem non esse, sedulo tueri supremam potestatem in Romano Pontifice divinitus constitutam, & Ecclesiæ incolumitati necessariam. Quòd si liceat hujusmodi solertiā vituperare, quoniam ea est dominanti jucunda; vituperandus etiam erit, quicunque cibo vitam sustentat, quia cibaria*

baria guſtatui voluptatem afferant. Hæc ſcilicet myſteria Pontificiæ iniquitatis, Pontificem, ceu alterum in terris Numen ἀντιτύθυον omni juſtiſſimæ etiam cenſuræ hominum ſubducentis, & reformationem in capite, quam neceſſariam ipſemet Adrianus conteſſus fuerat, tanto ardore oppugnantis; adeoque verbo dicam, Romam ἀθεραπευτον inſanabilem manifeſtè propalant. Si poteſtas ſuprema Divinitus in Pontifice omnino conſtituta eſſet, regulis tamen verbi Divini ſubjectus ejus uſus & abuſus Concilii examen neutiquam effugiſſet.

CLXXV. Non defuerunt equidem in Concilio etiam Theologi nonnulli παρρησιάζοιτες, qui Romanæ Eccleſiæ ulcera & inteſtinos morbos maſculè detegerunt. Inter alios, Paulo Pontifice Cornelius Muſius, Epiſcopus Bitontinus, initio Concilii faſtus eſt: *nulla eſſe turpitudinum monſtra, ſordium colluviem & peſtem, quibus non fœdati eſſent populus & Sacerdos &c. Utinam,* inquit, *non à religione ad ſuperſtitionem, à fide ad infidelitatem, à Chriſto ad Antichriſtum, quin à Deo ad Epicurum vel Pythagoram, velut prorſus inanimes declinâſſent dicentes in corde impio & ore impudico, Non eſt Deus. Nec jam dius fuit paſtor, qui requireret, quia omnes quæ ſua ſunt, quærebant, quæ Jeſu Chriſti, ne unus quidem.* Bartholomæus quoque Caranza Oratione eodem in Concilio habita, ſic Patres conſcriptos allocutus: *Peregre abeunte Rege, juxta Parabolam Evangelicam, eos reliquit Vicarios ſuos; Epiſcopos domus ſuæ, Speculatores, Vigiles, Doctores, Cuſtodes Civitatis ſuæ, Duces militiæ, Gubernatores Regni, Paſtores gregis, Patronos familiæ, Sponſos Eccleſiæ. Veſtri muneris erat vigilâſſe ſuper cuſtodia hujus Civitatis. Veſtrum erat juxta præſcriptas à Chriſto leges Regnum hoc gubernâſſe. Veſtrum erat facere, ut juxta illas irreprehenſibiliter viveret fidelis populus. Ad vos pertinebat Servâſſe hanc Chriſti Sponſam Sanctam, impollutam, eisdemque ornatam ornamentis, quibus reliquit illam Chriſtus. Fingite nunc, redire Chriſtum, (redibit autem*

Cornelii Muſii Bitontini.

& Caranzæ Orationes in Concilio habitæ, ex quibus Eccleſiæ Romanæ corruptio aſſeritur.

autem citò) & requirere Sponſam ſuam, qualem reliquit vobis; quam, obſecro, illi reſtituetis? Num hanc ad hunc angulum orbis (Tridentum) contractam? Num hanc profana pompa, & adparatu Seculari ſuperbientem? Num hanc, quæ Palatiorum magnificentia cum Principibus etiam decertat? Num omniũ deliciarum corporalium copia affluentem? Hæccine eſt illa Civitas Sancta, mundi ſpiritu ſejuncta? Hæccine eſt illa Dei Civitas Divinis gubernata legibus? Ipſiſſima. Heu quantum ab illa mutata? Hæccine eſt illa Civitas nova? Nunc univerſa in ea cum Ethnicis & barbaricis civitatibus video communia & antiqua. Antiqua in ea regnat avaritia, vetus dominatur ambitio, ad delicias & divitias adſpirant & ſuſpirant in ea cives univerſi. Heu, heu, quis hæc cogitare audeat? Hæccine eſt civitas illa perfecti decoris, & gaudium orbis univerſi? Hæccine eſt illa tota pulchra & decora? Num quid eſt, quò minùs illam poſſimus dicere totam deformem? Ubi ſunt ornamenta tua, quibus parabaris Sponſo tuo tradenda? Ubi ſunt monilia tua, quibus ornabaris Chriſti Sponſa? Ubi fides illa, quæ etiam mortuos ſuſcitat? Ubi charitas, ubi contemptus vitæ & rerum præſentium? Ubi ardor ille mortis & rerum cœleſtium? Ubi ſitis illa videndi Regnum Dei? Ubi amor paupertatis? Nunc omnes, ut olim dixit Jeremias, ſtudent avaritiæ, à minimo uſque ad maximum, à Propheta uſque ad Sacerdotem, cuncti faciunt dolum. Ubi olim regnabat caſtitas & innocentia, nunc regnat ambitio, luxuria, dominandi cupiditas & vanitas. Heu, heu, quis eam ſiccis contemplabitur oculis, quis hæc conſideret ſine lachrymis? O cives Jeruſalem, ô cives hujus Regiæ & Sanctæ civitatis, quis hæc intelligens non commoveatur; quis, ſi Chriſtianus eſt, hæc audiens non perhorreſcat? Quis non miſerebitur matris ſuæ? Ego cum Jeremia precabor: ô utinam caput meum aqua, & oculus meus fons lachrymæ, & plorabo interfectos filiæ populi mei. Plura ejusdem argumenti ſubjicit verbis planè patheticis, claubitque hunc in modum: *Aperuit Dominus os aſinæ, ut moneret Prophetam Bileamum. Potuit Dominus os aperire hujus peccatoris, ut commoneret*

vos.

vos. Mementote eorum, quæ dixi vobis. Testis eorum ero, quæ vobis hodie significavi, cùm pariter veniemus ante Dominum, quando inutilis erit conatus, & sera omnis pœnitentia. Extant hæc inter Orationes Concilii Tridentini à Jansenio primùm editas, & nuper etiam à Labbeo recognitas: Tacentibus hominibus, & hiscere non ausis, quis non asinæ Bileami à Deo apertum os intelligit?

CLXXVI. Paulo IV. Idus Nov. A. M.D.XLIX. defuncto successit Julius III. Aretinus, antea Joh. Maria de Monte dictus, Cardinalis, & Pauli III. in Concilio Legatus princeps. Post longam Cardinalium in Conclavi disceptationem, cùm, teste in Musæo Historico Johanne Imperiali, ὁμοψήφως Papa jam electus esset Reginaldus Polus, eamque electionem promulgare nocte appetente inauspicatum duxissent iidem; nocte transacta & mutatis rationibus aureis Julius Papa subitò emersit. Vaticinium de eo futuro Papa, teste Rota Ægidii Minoritæ, ejusmodi circumferebatur: *Tertius Mons Sion vertetur in opprobrium, caro prævalebit, non erit quies.* Nempe Cardinalis de Monte Julius ante dictus est, qui Papa etiam per licita & illicita fœdatus, luxui & saginæ mancipatus, in Venerem ac libidinem projectus omnem est. *Novem montes* (ita declaratio vaticinii habet) *ac terni faciunt insigne domus de Monte, & multorum fuit sententia, Julium non omnia sua facta cum dignitate consensisse, retulisseq; ad prudentiam & experientiam, quæ plenissimè in Cardinalatu primum apud ipsum obtinuerunt locum.* Impura se vita contaminâsse, veneri ac ventri dedisse, quasque Cardinalis nonnisi furtim voluptates sequebatur, Pontificem, etsi sexagesimum quintum annum implêsset, ultro complexum esse; abdicata rerum maximarum cura hilaritati & genio, conviviisque assiduis, etiam in villa agitatis, indulsisse; levibus & inanibus verbis suam aliquando Majestatem minuisse, in vita ejus Onuphrius &

Julii III. Papatus.

Ejus spurca mores

Papirius Massonus, & post utrumque Thuanus *Annal. lib. XV.* memorant. Soluti ad omnem licentiam animi hominem fuisse, hoc etiam argumento Thuanus *lib. VI. p. m.* 181. probat, quòd statim adepta dignitate galerum suum juveni cuidam, cui Innocentio nomen, (quem seu Bononiæ, uti Suavis, seu Placentiæ, uti Pallavicinus memorat, in deliciis habuit, at nefario amore inflammatus deperiit; de quo videnda Epistola Erasti apud Celeberrimum Hottingerum *Histor. Eccl. Tom. V. pag.* 571. &c. sub qua etiam impurissimi Johannis Casæ Archiepiscopi Beneventani de laude παιδερασίας liber impune lucem salutavit) quique, quòd in familia Simiæ curam gereret, *Simiæ* etiam post adeptam dignitatem nomen retinuit, cognomine etiam suo (nam *il Cardinal de Monte* dictus est) atque insignibus attributis donavit; & querentibus Cardinalibus, quòd indignum hominem ad tantum fastigium evexisset, respondit: *Et vos quid tandem in me meritorum comperistis, quem Christianæ Reip. principem constitueretis?* Addit Sleidanus, *Romæ famam fuisse, & libellis quoque perscriptum, à Jove Ganymedem foveri, licet deformem. Sed nec ipsum Pontificem hoc ad reliquos Cardinales dissimulare, & per jocum ferri aliquando commemorare, quàm sit lascivus.* Talia cùm de eo etiam Suavis narraverit, adeò in dubium non revocavit Pallavicinus, ut *lib. XI. c. 4.* historiam Innocentii hujus seu *primam Purpuram*, ceu *principia Pontificatus decolorantem* pluribus cum circumstantiis, ad favorem licet Julii detortis, tradiderit: & *lib. XIII. c. 8.* palam confessus sit, *pronum eum fuisse ad laxamenta: suum sanguinem deamavisse, variis purpuris inter consanguineos distributis: præ cæteris unum extra consanguinitatem amavisse evexisseq; nec antea, nec postea dignum, qui fuerit Innocentius de Monte: æstimatione tenui, nec majore benevolentia mortuum esse: quandam ipsius libertatem ac familiaritatem, quæ ipsi privatam gerenti personam amorem inter æquales conciliaverant,*

& prima purpura Innocentio non sine gravi suspicione donata;

verant, in excelso postea Principis gradu venerationem minuisse: ipsius vitia majora quidem quoad speciem fuisse, quàm virtutes, sed non fortasse quoad pondus. Hæc de Julio mollissimè dicta quid sibi velint, perspicaciores intelligunt facilè. Neque hic præterire possum levitatis (*libertatem* vocat Pallavicinus) ejus specimen, quod in vita ejus MS. Bullingerus de ipso scriptum circumferri, his verbis prodidit: *Cum aliquando exutis vestibus, diploide & caligis tantùm indutus, in aula, quòd ferveret tempestas, obambularet, venerunt Cardinales duo, collocuturi cum ipso. Quos ipse ad exuendas vestes suas, & deambulandum secum urgebat, mox autem nudos interrogabat: Quid si in Campo Floræ aut per plateas nudi sic deambularemus, quid oro populum existimatis de nobis judicaturum? Responderunt: Judicarent, nos esse nebulones, & conjicerent in nos rudera atque lapides. Excepit Pontifex: Ergo, quòd non habemur pro nebulonibus, id acceptum ferre debemus nostris vestibus. Quantum igitur, ô fratres, debemus illis nostris vestibus?* *aliaq; impietatis ejus argumenta.*

CLXXVII. Talis Sardanapalus reformationem Ecclesiæ se meditari, restaurato, Cæsare urgente, & juramento, quod Cardinalibus recens electus fecerat, ita postulante, Tridentino Concilio, quod eo Cardinale adhuc Bononiæ elanguerat, ipsomet validissimè repugnante, ne unquam Tridentum revocaretur, simulavit. Extat Bulla indictionis, in qua inter alia se Concilium, Calendis Maji A. M. D. L I. resumendum, moderaturum profitetur, authoritatemque suam supra modum effert. Cumque Cæsar, cui talia displicuerunt, metuenti scilicet, ne Protestantes conditionibus ejusmodi offensi, ad Concilium venire gravarentur, Bullam mitigari expetiisset, Oratorque Cæsaris verborum comitatem & blanditias, quibus Protestantes ad Concilium pellici, pellecti demum facilius instrui possint; suasisset: respondit Papa: *Nolle se dimicare cum hoste, tanquam cum fele cavea incluso. Quod Christus docuit,* *Sardanapalus talis Concilium Tridenti restaurat.*

semper prædicandum & inculcandum esse, nempe Majestatem Divinam vicarium suum caput Ecclesiæ, & lucernam mundi constituisse; atque eam veritatem doceri oportere tempestivè & intempestivè. Ita Sessio XI. Concilii, quæ sub Julio prima fuit, Calendis Maji A. M. D. L I. successit. Interea bello Parmensi Gallum inter & Pontificem æstuante, Galliæ Episcopis, ne Concilium frequentarent, à Rege Henrico II. injunctum fuerat. Rege ipso contra Concilium protestante. Processere nihilominus sub Julio Sessiones aliquot, & decreta de Sacramento Eucharistiæ & extremæ unctionis cusa sunt, talia, qualia à cœtu illo expectari poterant. Sed & Electoris Saxoniæ Mauritii Legati in Concilio appulerunt, postulantes à Cæsare, *ut sibi æquè ac Theologis Saxonicis, aliisque Protestantibus, ad Concilium venire paratis, eadem fide, qua in Concilio Basileensi Bohemis factum, caveatur idoneè, anteacta retractentur, Papa Concilio se submittat, Episcopis juramentum remittatur, & suffragari ipsis quoque Protestantibus liceat.* Conditiones haud iniquas cum detestarentur Pontificii, aliaque intercederent, Concilium prorogari ad biennium usque placuit. Sed prorogatum mansit integros annos decem, ad XVIII. Jan. A. M. D. LXII. usque.

protestante contra illud Galli.

Prorogatio Concilii, ad biennium usque decreta, decennium integrum durat.

CLXXVIII. In Germania interim, in qua Carolus extinguendæ veritati intentus, hactenus victricia arma circumtulit, mirè conversa rerum facies est. Fatigata enim nimium Principum Protestantium patientia, Mauritius Saxoniæ Elector, cui etiam Albertus Brandenburgicus & Duces Megalopolitani suppetias tulere. A. M. D. LII. in Cæsarem, cui etiam Gallus graviter imminebat, movens, Augustam capit, & superatis Alpium Rhæticarum jugis, captaque Ehrenberga arce, tantum Carolo metum incussit, ut noctu, accensis funalibus, una cum fratre Ferdinando Oenipontem relinqueret, & se Villacum versus in Carniolam reciperet. In diplomate, quo causæ illati Cæsari

Conversi in Germania rerum vices.

belli

belli exponebantur, religio adversariorum artibus, & contra fidem datam, convulsa in dies: per dissidium religionis extractum strata ad dominationem iniquam via: Hassiæ Landgravii captivitas violenta: Germanicæ libertatis oppressio tyrannica: Monarchiæ universalis machinatio, allegabantur. Rebus Protestantium sic satis prospere fluentibus die XX. Jul. A. M.D.LII Passavii, Ferdinandi Regis cui sapienter visum præcipitem publicæ calamitatis, obvia cuncta obtrituræ rotam, salutari Pacificationis edicto quasi sufflaminandam esse; interventu, Pax Religiosa toti orbi Christiano saluberrima sancita, & A. M.D.LV. etiam Augustæ, frequentissimis & augustissimis Comitiis, firmata est. Quæ quidem Pax Religiosa non iccirco rata minùs & valida censeri debet, quòd, uti osores Pacis Jesuitæ, aliique vociferari solent, vi & metu extorta sit, atque insuper Pontificis consensu destituta, imò à Paulo IV. apertè rejecta, & damnata sit. Etsi enim, cùm pax primùm Passavii sanciretur, conflictus aliqui & velitationes, & occupatio castri Ehrenbergæ, Augustæ & Oeniponti antecesserint; nondum tamen totis viribus aut castris pugnatum erat, ut altera pars vicisse, altera victa esse dici potuerit. Atque adeo rebus utrinque integris in Pacificationem illam consensum ultro; eademque sequentium item Imperatorum consensu firmata est. Imò si vel maximè pars alterutra succubuisset, & ad indignas durasque conditiones adacta fuisset, indignitas tamen rerum sponsionis vinculum non levat. Neque etiam consensus Pontificis requirebatur, cùm Imperator nec ita puer fuerit, ut promiserit, quæ promittere sibi non licere nôsse debuerit: vel ita servus, ut mitræ mancipato diademate, necesse habuerit à Dictatoris illius Ecclesiastici nutu supercilioque per omnia pendere. Resolvitur enim vis Principatus, cuncta vocando ad Papam: nec quisquam Princeps est alio imperante.

Passavii & mox etiam

Augusta libertas religionis sancitur. Frustra ringente Pontifice, atque vi extortam causantibus.

Anglia ad Papatum relapsa

CLXXIX. Majorem Julius voluptatem ex turbis Anglicanis, quæ Eduardi VI. Religiosissimi & indubitatæ ac summæ spei Principis mortem, quam is præmaturam A. M.D.LIII. Julii die VI. oppetiit, consecutæ sunt, cepit. Nam & Johannam Suffolciam declaratam hæredem Regni, virtutis & eruditionis incomparabile speculum, ac orthodoxiæ etiam addictissimam, capite plexam: & Mariam sævire igni & ferro in eos, qui Evangelium amplexi fuerant, ac matrimonio insuper cum Philippo Hispanorum Rege coaluisse, lætus, si quid aliud, audiit. Miserat autem in Angliam Cardinalem Reginaldum Polum, qui Rege Philippo atque Maria præsente Anglos ad obedientiam Papæ hortatus, morigeris absolutionem promisit. Ordines Angliæ conditiones ejus impias amplexi mox Evangelium ejurárunt. Ingens inde Romæ lætitia, accensi ignes, institutæ ad Templa supplicationes, indulgentiæ largissimæ tributæ sunt. Eoque insaniæ Julius pervenit, ut in perpetuam rei memoriam excudi curaverit monetam, cujus altera pars ejus imaginem tricorniferam ostentavit, altera inscriptionem ejusmodi habuit: *Gens & Regnum, quod non servierit tibi, peribit*; sibi stolidè vendicans, quod Christo Esaias. Sed diuturnum & stabile gaudium neutiquam fuit. Nam & sterile fuit Mariæ matrimonium cum Philippo: & Maria à spe bona omni deserta, & ex mœrore die XVII. Nov. M. D. LVIII. mortua (comitante eam Cardinale Polo post sedecim horas) locum cessit sorori Elisabethæ, quæ Pontifici servire dedignata, Christoque soli sacramento dicens, blasphemam Julii inscriptionem damnavit.

ingens gaudium Papæ

sed non diuturnum, affert.

Marcelli II. Papatus.

CLXXX. Julio A. M. D. LV. X. Cal. Martii defuncto Marcellus Cervinus Thuscus, antehac in Concilio Tridentino Legatus Pontificius, successit, nomenque suum retinens, Marcellus II. dictus est. Scenicus licet dieculá-

rum

rum aliquot Papa (dies enim XXI. duntaxat & aliquot horas vixit) putatur tamen reformationem quampiam Romanæ Curiæ molitus. Quam non processuram fuisse, utpote viribus ejus superiorem, meritò Pallavicinus auguratur. Et fortè hæc ipsa causa est, quòd difficilem esse salutem Pontificum Romanorum, Marcellus ingeminavit. Testis quippe in ejus vita est Onuphrius, Marcellum jam Pontificem pro mensa subitò conticescentem sibi recitari jussisse verba Pontificis Adriani sequentia: *Romano Pontifice nemo est miserabilior; conditione ejus nulla miserior. Totius enim vitæ ejus lætitia & felicitas est amaritudo. Cathedra Romani Pontificis est spinosa, iter undique consertum aculeis, pondus tantæ molis, ut robustissimos premat & confringat humeros.* Quibus verbis recitatis, manu mensam percutientem eum dixisse: *Non video, quomodo, qui locum hunc altissimum tenent, possint salvari.* Tales scilicet, quorum conclamata æterna salus est, Christus suos in Ecclesia adversus Sathanam & mundum militante vicarios esse voluit, jussit! *Salutem Pontificum pro conclamata habet.*

CLXXXI. De Paulo IV. Mediolanensi, ante dicto Johannæ Petro Caraffa, Marcelli successore, sic Johannis Abbatis oraculum præsagiverat: *Intrabit velut Draco, sedebit velut alter Leo, immitis in populo.* Qualem is se gesserit adversus supremos mundi Principes, Pontificios etiam, historiæ commemorant. Cardinalis adhuc malevolentia suffusus in Carolum V. Cæsarem, Paulo III. occupandi Regni Neapolitani suasor extiterat. Papa verò creatus, nactus majorem nocendi occasionem, conditum adversus Cæsarem odium promere, ejusque partibus addictos incredibili rabie persequi cœpit. Vix enim conscensa sede, magnos etiam Ordinis Ecclesiastici viros, quos Cæsari favere suspicabatur, in carceres conjicit: quorundam bona publicat; ministros ac nuntios Cæsareos, quotquot potest, intercipit: proscriptos è Regno Neapolitano, in *Ei Paulus IV. succedit. De eo oraculum malè præsagiens impletur. Draconicus ejus adversus Cæsarem Carolum &*

odium

odium Caroli receptos, officiis publicis præficit: inducias inter Cæsarem & Gallum in Belgio pactas nefariè turbat: denique ne quid ad malevolentiam reliqui faciat, Philippo filio, cui Pater, Imperio abdicato, Regnorum omnium administrationem commiserat, Siciliæ Neapolisque Regna beneficiario titulo Ecclesiæ Romanæ obnoxia, conferre renuit. Unde tam horrida tamque funesta bella exorta fuere, ut potentissimorum Regum viribus inter se hostiliter commissis, Italia Galliaque bello Pontificio implicita, sanguine suorum maduerit. Imperio ad fratrem Caroli Ferdinandum translato, cùm hic pro sua erga Sedem Pontificiam observantia Paulum Pontificem de Imperii administratione susceptâ certiorem reddere statuisset, cum significatione voluntatis, de diademate Imperiali prima quaque occasione, petendo recipiendoque: Paulus idem tam improba malevolentia, elataque protervia, observantiæ Cæsareæ respondit, ut se Petri magistratum tanquam ordinationem Divinam, debito honore cultuque prosecuti, suffragatorem; vel hominem ad mutua benevolentiæ ac humanitatis officia propensum, hac quidem in re minimè demonstrârit. Ut enim Neronis potiùs quàm Petri se successorem ostenderet, quemadmodum olim Tiridatem Parthorum Regem, (ut Taciti verbis *Annal. XV.* 29. id exprimam) *oportuit apud effigiem Cæsaris, insigne Regium ponere, nec nisi manu Neronis resumere*: sic à Ferdinando novus iste Nero impudentissimè postulare ausus fuit, *mitteret*, (verba Thuani *Histor. lib. XXI.* refero) *procuratorem, per quem, prius acta pœnitentia, cessioni fratris, ab Electoribus approbatæ renuntiaret: rem omnem Pontificis arbitrio permitteret, qui inaugurationem, quamvis ritè non factam plena potestate confirmet. Carolum enim apud nullum, nisi se Pontificem, Cæsaream dignitatem ejerare; nec Ferdinandum eam citra suum Vicarii Christi consensum, cui claves cœlestis ac terreni* (grandia loquitur Sullaturiens

Ferdinandum assumit.

riens ille. Nam ut de cœlesti imperio nihil dicam, ubi *terreni imperii* claves Christus Pontifici tribuit?) *imperii creditæ sint, accipere potuisse.* Cumque tres menses Romæ Legatum Cæsareum Husmannum detinuisset, ne quidem in conspectum ipsum admittere dignatus, ineptissimis interim de Papæ potestate, Ferdinandique persona (quem, teste etiam nuper Masenio, *inconsulta Sede Romana in Comitiis colloquiisq; multa de Religione tractâsse, Pacem Papæ iniquissimam Germanis Passavii indulsisse, utriusque specici usum Austriis permittere, Filium Maximilianum pæne in consortio & familiaritate hæreticorum educâsse*, inexpiabili crimini dabat) per Cardinales examinatis: postquam etiam Philippi Hispaniarum Regis, causam Ferdinandi patrui per Oratores obnixè commendantis preces esset aspernatus; tandem ipsum re infecta dimisit, quòd diceret, amplius ea de re deliberandum esse. Quæ deliberatio non aliud quàm deliberata elusio fuit, qua confirmationem Imperatoris splendidissimis ejus titulis efficere conatus, eousque protelavit, donec ipse è vita excederet.

Studium reformandæ Curiæ Romanæ simulant.

CLXXXII. Talem se Paulus erga Principes summos gessit, ut *Draconis* & *Leonis* fidem vaticinio abundè fecerit. Neque Ecclesiæ mitiùs consuluit. Cardinalis quidem adhuc nomine Joh. Petri Cardinalis Theatini, inter alios etiam faber fuit illius de reformanda Ecclesia Consilii, quod Paulo III. perhibitum suprà memoravimus. Tum equidem libero ore profitebatur *Papas ad sua desideria coacervare sibi Magistros auribus prurientes, per Cardinales & Episcopos Christi nomen inter gentes blasphemari, clavium potestate emungi pecunias, improbos ordinari, Simoniacas nundinationes exerceri, ambitione & avaritia æstuare Prælatos, in Monasteriis horrenda flagitia committi,* & si quid aliud. An verò Pontifici creato Romanæ Curiæ & Ecclesiæ universæ emendatio curæ seriò fuit? Non liquebat equidem. Etsi enim curam

ejus rei nonnullam simulâsset, instituta mense Januario A. M.D.LVI. Congregatione ex viginti quatuor Cardinalibus & quadraginta quinque Præsulibus constante ; atque in ea argumentum de Simonia ventilari curâsset; non tamen tantùm res in nervum erupit nunquam, sed etiam negotium referri ad Concilium generale, cujus solius mentio bilem ei in nares concivit, prohibuit. Profitebatur palam, nunquam se probâsse, quod Concilium indictum sit Tridentum, apud Cardinalem Bellajum affirmans, uti Suavis *lib. V. ad A.* M.D.LVI loquitur; *magnæ fuisse vecordiæ, sexaginta Episcopos, neque eos maximi nominis, & quadraginta doctores, non omnes de meliore nota, ad montes ablegâsse, sicuti jam bis factum esset: simul credere, Ecclesiæ doctrinam & disciplinam ab his rectiùs ad rationis normam designari posse, quàm ab ipso Christi Vicario, cui adminiculantur tum Collegium omnium Cardinalium, tum Præsules ac Doctores, quotquot sunt Romæ, eruditione cæteris per Europam superiores, & numero plures, quàm qui omni opera ac studio Tridentum adduci poterant.* Quæ à Suavi ita dicta, à Pallavicino revocata in dubium non reperio. Et vera cum scripsisse, res ipsa loquitur, cùm superstite Paulo Concilium Generale restauratum nunquam fuerit.

palam Concilium detestatur.

CLXXXIII. Maluit nimirum Paulus, ceu *Draco* & *Leo* in oraculo designatus, cum iis, qui Romanæ Sedi morem gerere dedignarentur, vi quàm jure decernere. Testis est ejus Bulla *de hæreticorum, schismaticorum & fautorum eorundem pœnis*, Romæ x. Cal. Martii A.M.D.LVIII. edita, & Septimi Decretalium *lib. V. tit. III. cap.* 9. inserta. In ea præfatus, *posse etiam Romanum Pontificem, qui Dei & Domini nostri Jesu Christi vices gerit in terris, & super gentes & Regna plenitudinem obtinet potestatis, omnes q. judicat, à nemine in hoc Seculo judicandus, si deprehendatur à fide devius, redargui*, mox *omnes & singulas excommunicationis, suspensionis & interdicti ac privationis, & quasvis alias sententias, censuras & pœnas, à quibusvis*

Juxta oraculum Draconem & Leonem se gerit, edita Bulla de puniendis hæreticis.

Romanis

Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus ſuis, aut pro tali habitis, etiam per eorum literas extravagantes, ſeu ſacris Conciliis ab Eccleſia Dei receptis, vel Sanctorum Patrum decretis & ſtatutis, aut ſacris canonibus & conſtitutionibus Apoſtolicis contra hæreticos aut Schiſmaticos quomodolibet latas aut promulgatas, Apoſtolica authoritate ſe approbare & innovare, ac perpetuò obſervari velle ſcribit, adverſus omnes ſcilicet hæreſeos convictos, *cujuscunque*, inquit, *ſtatus, gradus, ordinis, conditionis & præeminentiæ exiſtant, etiamſi Epiſcopali, Patriarchali, Primatiali, aut majori dignitate Eccleſiaſtica, ſeu Cardinalatus honore, & Apoſtolicæ Sedis ubivis locorum, tam perpetuæ, quàm temporalis Legationis munere; vel mundana, etiam Comitati, Baronali, Marchionali, Ducali, Regali & Imperiali authoritate ſeu excellentia præfulgeant. Eorum quemlibet ſententias, cenſuras & pœnas prædictas incurrere volumus atque decernimus.* Omnes illos porro, adeoque etiam Reges & Imperatores hæreticos vel ſchiſmaticos, ultra cenſuras & pœnas prædictas, declarat dignitatibus omnibus, etiam *Regnis & Imperiis, in totum & perpetuum privatos, & ad illa de cætero inhabiles & incapaces. Quinimò*, addit, *Seculares* (puta etiam Reges & Imperatores) *relinquantur arbitrio poteſtatis animadverſione debita puniendi, niſi apparentibus in eis veræ pœnitentiæ indiciis, & pœnitentiæ condignæ fructibus, ex ipſius Sedis benignitate & clementia, in aliquo Monaſterio, aut alio Regulari loco, ad peragendam perpetuam in pane doloris & aqua mœſtitiæ, pœnitentiam retrudendi, omni humanitatis ſolatio deſtituti. Regna, Ducatus, feuda, dominia & bona hujusmodi publicentur, & publicata ſint efficianturq; juris & proprietatis eorum, qui illa primo occupaverint, ſi in ſinceritate fidei & unitate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac ſub noſtra & Succeſſorum Pontificum Romanorum canonicè intrantium obedientia fuerint.* Quid quæſo Draconica & Leonina hac Bulla horrendum magis: quid ad convellenda inani quovis prætextu læſi Pontificis imperia, & ima ſummis miſcenda idoneum

etiam Regiæ & Imperiali dignitate fulgentibus.

Institutio tribunali Inquisitionis.

magis? Testis insuper violentiæ Papalis est bos ille Phalaridis, Tribunal Inquisitionis, verè Draconicum, ab eodem Romæ erectum cujus etiam erigendi pridem Cardinalis adhuc author Paulo III. extiterat. Moribundus etiam *Sanctæ Inquisitionis officium, quod sanctissimum appellabat, & quo uno niti affirmabat Apostolicæ Sedis authoritatem, Cardinalibus commendavit*, inquit in vita ejus Onuphrius. Æterna laude dignum isthoc Pauli opus, cui Italia servatam fidei integritatem acceptam referre debeat, etiam Pallavicinus *Hist. Concil. Trid. lib. XIV. 9. 5.* scribit. Idem turbas ob eam rem mortem Pauli comitatas & consecutas, incensum à populo furente Inquisitionis carcerem, destructa Caraffarum insignia, aliaque ejusmodi, quæ parcius Suavis Polanus & Thuanus recensent, copiosissimè perstringit; ut satis vel ex iis colligatur, quam impatiente rigidoque cervice homines Romani immane isthoc jugum, & sanguinariam quandam per Syllogismos ex aquæ, ignis & laquei terminis confectos, disputandi rationem, tortoribusque carnificibusque magis, quàm Doctoribus Pontificibusque convenientem, tulerint. Testis quoque est Index librorum Prohibitorum, jussu ejus Romæ ab Inquisitoribus compositus, & A. M. D. LIX. typis impressus, de quo plusçula alibi dicta hic non repetimus. Saltem inde constat, Paulo id unum curæ cordique fuisse, ut omne veritatis lumen animis hominum excuteret, eosque ad brutam & sedentariam assentiendi oraculis suis, Papali Majestati amplificandæ unicè intentis, (nam *amplitudinem omnem sacrosanctæ suæ potestatis habuisse eam pro mensura sapienter eam exercendi*, etiam Pallavicinus *loc. cit.* fatetur) necessitatem compelleret. Ne eadem ratione Pontifices Papatum stabiliviſſe, qua Turcæ Muhammedismum stabilivêrint, dubitari ullatenus possit.

& conscripto Indice librorum prohibitorum:

adeoq; meræ Turcicæ Papatum promovens.

Pii IV. Papatus.

CLXXXIV. Paulo publica lætitia omnium defuncto

cto, Johannes Angelus de Medicis, Mediolanenſis, Pii IV. nomen ſibi arrogans, ſucceſſit. Fuiſſe eum *ingenio vivacem, mente ſagacem, verbis & ſcommatibus acutum, cibi vinique avidum, in voluptates pronum, occultè invidum, ad audiendum impatientem & difficilem, dominandi cupidum, vafrum, timidum, cujuslibet rei ſimulatorem & diſſimulatorem, pecuniæ cupidum, amicitias non ex re, ſed ex commodo æſtimantem*, Onuphrius Panvinius non diſſimulavit. Confirmationem electionis Ferdinando Imperatori à prædeceſſore Paulo IV. ſuperbiſſimè, uti ſuprà diximus, negatam, ipſe quidem ultro obtulit. Sed eam Cæſar animo excelſo reſpuit, non modò, quia, uti Seneca *de Beneſic. lib. II.* 1. loquitur, *ingratum eſt beneficium, quod diu inter manus dantis hæſit: quod quis ægrè dimittere viſus eſt, & ſic tanquam ſibi præriperet*: verùm etiam, quòd eo facilè ſe carere poſſe putaret, exemplo Henrici Aucupis & Rodolphi Habſpurgici, imo inde ab Auguſto Auguſtorum omnium uſque ad Carolum M. quos ſolus ille, per quem Reges regnant, & potentes juſta decernunt, conſecravit. Conatus tamen idem Pius eſt Florentinorum Principem creare Regem: creaſſetque niſi interceſſiſſet Maximilianus, his non incongruè verbis uſus: *Non habet Italia Regem niſi Cæſarem.*

Ferdinando Confirmationem fruſtra offert.

CLXXXV. Concilium Tridentinum denuo Pius aperuit, non quòd veræ Reformationis ſtudio & amore flagraret, ſed tum quia metuebat, ne in Gallia Nationale Concilium coiret: tum quia querelam publicam percrebeſcere audivit, quòd ob Concilium interruptum religio paſſim mutetur, & Scoti libertatem religionis, ſancito cum Anglis adverſus Reginam ſuam fœdere, ſibi vindicaverint: tum denique quia ſuſpectam habuit Maximiliani Regis Bohemiæ cum Proteſtantibus amicitiam, eoque progreſſam, ut Papa quiritaretur, *habere ſe filium hæreticorum fautorem.* Novo autem exemplo quinque Lega-

Concilium Tridentinum peſtilentia orta, ad finem perducit.

tos Concilio præfecit, & Italis ut magna frequentia Concilium viserent, quamvis haud alii quàm Hispani adfuturi crederentur, mandavit. Muniturus se ea ratione, ne Pontificia potestas, cui ab omnibus Transalpinis insidias strui, ipsemet fassus est, ullum in periculum adduci posset. Sed & dicis gratia Evangelicos invitavit. Quorum plerique ejus literas aperire dignati non sunt, invitationem utpote ab illegitima potestate profectam respuerunt omnes. Sessiones eo Pontifice habitæ sunt novem, & in iis decreta de sacrificio Missæ, Ordine, matrimonio, aliaque etiam reformationem morum concernentia edita sunt. De quibus in loco dicto plura non repetimus.

Ferdinandi Imperatoris de Concilio querela;

CLXXXVI. Durante adhuc Concilio Ferdinandus ad Pium Papam literas dedit, quibus graviter questus est, *quòd Concilium non eo modo ac ordine procedat, quo pii vellent, & afflictus rei Christianæ status exposceret: quòd segniter negotia tractentur: quòd Patres contentionibus & dissidiis distrahantur: quòd Concilio salva & integra non sit libertas*, aliaque ejusmodi. Misit etiam ad Concilium volumen postulatorum, cujusmodi erant, *ut Pontifex seipsum & Curiam Romanam reformari benignè patiatur; ut numerus Cardinalium reducatur: ut provideatur, ne fiant ampliùs dispensationes scandalosæ: ut revocentur exemptiones passim contra communia jura concessæ: ut tollatur prorsus beneficiorum pluralitas: ut Episcopi omnino ad residentiam cogantur: ut communio sub utraque specie decernatur, in usu carnis & jejuniis de pristino rigore aliquid remittatur, conjugium Sacerdotum Nationibus quibusdam indulgeatur.* Exstant tum literæ, tum Articuli apud Goldastum, secunda Constitutionum Imperialium parte. At Legatos Tridenti scripto eo Ferdinandi vehementer esse commotos, eò quòd profectum sit ab eorum arte, *qui omnem impendebant operam ad elevandam Synodi ac Præsidum dignitatem, splendoremq; Pontificatus minuendum*, ac proinde ne quidem Conventui tra-

den-

dendum, *sed tantisper suspendendum, dum ipsi per officia Nuntii Ferdinandum ab eo officio dimoverent*, judicasse; Pallavicinus *Hist. Concil. Trid. lib. XVII.* 1.6. commemorat. Similes articulos à Galliæ Rege ad Concilium missos idem Goldastus parte tertia narrat, addita ejusdem adversus Concilium Protestatione solenni, in qua inter alia sic Galli loquuntur: *Eramus nos Galli esurientes & famelici, petentes à Beatissimo Papa, veluti Patre communi, Panem, non equidem naturalem, cujus non indiget Gallia, Regio feracissima, sed illum Divinum Angelorum Supersubstantialem, cujus in toto ferè orbe Christiano tanta primùm fuit caritas, deinde nunc etiam inopia, ut vix unquam post Christum natum major. Ille verò non quidem Panem, quem petebamus, dedit, sed scorpium, cujus cauda unico ictu simul duos potentissimos Reges, Ecclesiam Gallicanam, & Theologorum Parisiensium doctrinam feriret.* Post alia adversus Papam Pium σηλισυλικῶς dicta, sic iidem Patres etiam Concilii alloquuntur: *Quid vobis judicandum proponitur, aut à vobis judicatum publicatur, quod non prius Romam missum, & Pio quarto placuerit?* Concludunt: *Pii quarti imperium detrectamus, quæcunque sint ejus judicia & sententiæ, rejicimus, respuimus & contemnimus.* Rursumque sic Patres Concilii alloquuntur: *Cum nihil à vobis, sed omnia magis Romæ quàm Tridenti agantur, & quæ hic publicantur, magis Pii quarti placita, quàm Concilii Tridentini decreta jure existimentur; denuntiamus & protestamur, quæcunque in hoc conventu, hoc est, solius Pii quarti nutu & voluntate decernuntur & publicantur, ea neque Regem Christianissimum probaturum, neque Ecclesiam Gallicam pro decreto Concilii Oecumenici habituram.* Bruta porro hæc fulmina non fuisse, rebus ipsis & experiundo innotuit, quando Gallia, obnitente Clero licet, & cum exceptione quadam in publicis etiam Comitiis Concilii confirmationem urgente, ad agnoscendam ejus authoritatem adduci hactenus non potuit. Cujus rei causas apud Thuanum, & post illum

& Gallorum adversus illud protestatio.

illum etiam Petrum de Marco *de Concord. Sacerd. & Imperii lib. II. 17.* aliosque legere est.

Anathematismi Concilii quales?

CLXXXVII. Finem habuit Concilium die III. Dec. A. M. D. LXIII. quo Patres anathema dixerunt *cunctis hæreticis*, indiscretè, non disertè his vel illis planè quod in Concilio etiam Archiepiscopus Hydruntinus monuit, contra consuetudinem veterum Conciliorum, in quibus anathema dici suevit non hæreticis in genere, sed definitè iis, qui doctrinam Concilii decretis repugnantem pertinaciter foverent, ejusque authores vel sectarii etiam extitissent. Sed vellicaverat aurem Patribus Cardinalis Lotharingus, caussatus scilicet, *hæreticorum capita esse Reginam Angliæ, Reginam Navarræ, Principem Condeum, Electorem Palatinum, Saxoniæ, &c. Hos nominandos, siquidem hæreticos nominatim exprimere placeat. Atque id turbis occasionem præbiturum.* Agnoscimus certè Divinam Providentiam, qua refrenati homines illi nominatim nobis anathema dicere non sustinuerunt. Quanquam verendum non erat, ne excommunicati ipsi à Deo excommunicare alios, & prostrati jam verbi Divini gladio, dejicere eos, qui prostraverunt, possent.

Recipitur Concilium & promulgatur à Pontificia non omnibus.

CLXXXVIII. Solicitè equidem Pallavicinus *Hist. Concil. Trid. lib. XXIV. cap. II. 2.* &c. requirit eos, qui Concilii authoritatem agnoscentes, solenniter illud receperunt, & in ditionibus suis promulgari curârunt. Nominat autem laudatque eo nomine Venetos, Philippum Hispaniæ Regem, Provincias Austriacæ familiæ hæreditarias, Poloniam, ubi in Comitiis Commendoni opera exceptum illud narrat. Potuisset Cantones quosdam Helvetios adjungere, si instrumentum fœderis Pium inter & illos initi, hunc ferè in finem, *ut Sanctiones piæ Sacrosancti Oecumenici Concilii Tridentini ad effectum* (NB) *tandem producantur*, ei innotuisset. Saltem plures, ne Pontificios quidem, nominare potuit.

Certè

Certè nec Ferdinandus Imperator, nec vel Gallia, vel Germania, vel Hungaria, vel Bohemia, vel Lusitania, vel Hibernia, quæ Pontificiarum partium sunt, Concilium eadem ratione, qua in Hispania, Polonia & Venetiis factum narravit, promulgantes à Pallavicino, induci potuerunt.

CLXXXIX. Protestantes verò in Anglia, Scotia, Gallia, Germania, Suecia, Dania, Norwegia, Pannonia, Helvetia, & procedente tempore etiam in Belgio, & quot quot uspiam terrarum hæserunt, vel hærent etiamnum, illud ceu *Conciliabulum profanorum hominum, Christianismi & Principum Christianorum inane ludibrium*, rationibus inducti gravissimis repudiârunt, condemnârunt, atque eo velut sepimento quodam & intergerino pariete à Papatu Romanensi sese discreverunt, separarunt que in æternum. Nimirum sapere Dei gratia pridem cœpit Christianus orbis, patefactæ sunt nebulonum fraudes, aperti doli, detracta persona. Contemnuntur Papæ tonitrua è pelvi. Bullæ ipsæ Papales pro bullis habentur, brutaque illa fulgetra & luteæ bullæ tam ludi nobis sunt, quàm Vulcanus, suam illam terens incudem, *Brontesq, steropesq, & nudus membra Pyracmon*. Nihil præter Evangelium admittitur. Et quoniam vox Cœlestis de Christo, *Ipsum audite*, præcipit; nihil jam morantur authoritatem Papæ, & Sanctulorum ejus, Dominici, Francisci, similiumque nihil deliramenta Monachorum, nihil apparitiones mortuorum. Ipsum, ipsummet Christum solum illis audire volupe est. Atque eò denique apud illos ferè promotum est, ut unâ cum Romani idoli dominatione & religione mendax & fucosa superstitio sublata è medio, atque extincta radicitus ex animis eorum ploret.

A Protestantibus verò omnibus ceu Conciliabulum profanorum hominum damnatur.

ECCLESIÆ ROMANÆ PERIODUS SEPTIMA.

Seu

Hiſtoria Eccleſiæ Romanæ, per decreta falſæ fidei & Anathematiſmos Tridentinos in errore obfirmatæ, & cum ſeparata à ſe vera Chriſti Eccleſia, fraude & vi continuò decertantis.

Inde à fine Concilii Tridentini, ſeu A.C. M. D. LXIII. ad noſtra uſque tempora.

BREVIARIUM.

CXC. *Eccleſia Romana poſt Concilium Tridentinum in errore obfirmata, impudentior & truculentior evaſit. Illuſtratur id ſimilitudine meretricis exoletæ, in obſcœnitate deprehenſæ.*

CXCI. *Pius V. de ſalute deſperat. Concilii Trid. executioni intentus, adverſus fideles ſævit, & apud Maximilianum Religionis libertatem Proteſtantibus impertientem proteſtatur.*

CXCII. *Angliam, Scotiam fruſtra turbare conatur. Galliam per Guiſios efficaciùs tentat.*

CXCIII. *Ejusdem artibus Belgii Hiſpanici tragœdia excitata. Cujus cauſæ & progreſſus narrantur.*

CXCIV. *Carolo Hiſpaniæ Infanti, & Iſabellæ matri favor erga Evangelicos exitium affert.*

CXCV. *Gre-*

CXCV. *Gregorii XIII. Papatus. Ejus initia laniena Parisiensis horribilis fœdat.*

CXCVI. *Frustra à Gallis nonnullis excusata; à Thuano, Maximiliano, Imp. Turca, ipso denique Rege Carolo IX. pœnitente damnata.*

CXCVII. *A Gregorio verò Papa, & modernis etiam Jesuitis, Strada & Baptista Gallo, laudata.*

CXCVIII. *Gregorius idem Calendarium corrigit, seminaria instituit, Jesuitas fovet, Hiberniam Elisabethæ subtrahere conatur, Belgas oppugnat. Oraculi de ipso eventus.*

CXCIX. *Sixti V. crudelitas. Ejusdem contra Henricum Navarrum & Henricum Condæum fulmina bruta. Ab iisdem spreta meritò.*

CC. *Monitorium ejusdem adversus Henricum III. diploma. Rex Venetorum consilio, asperè ei respondet; & mox à Clemente interficitur.*

CCI. *Parricidium Clementis à Papa nefariè laudatum. Scriptæ eidem Anti-Sixti, & Fulminantis titulo oppositæ.*

CCII. *Sixtina vulgatæ versionis recognitio, à Clemente VIII. rejecta.*

CCIII. *Sixtus Hispanis infensior, Henrici IV. & Elisabethæ Anglæ gratiam ambit. Unde ei mors ab Hispanis acceleratur.*

CCIV. *Gregorius XIV. Henricum IV. persequitur, dirisq; devovet. Monitoria ejus in Gallia spreta; sancitumq;, ne aurum vel argentum ex Gallia Romam ullum deinceps inferatur.*

CCV. *Henricus Pontificum odiis succumbens religionem Evangelicam ejurat, & Carnuti coronatur. Ejus jugulum à Castello, Jesuitis conscius, frustra appetitum. Jesuitæ ex Galliis proscripti, post decennium, in Pontificis & Mariæ Mediceæ gratiam, in eas postliminio admissi sunt. Henricus Pontifici reconciliatus, à Ravaillaco, Jesuitarum pullo, denique perimitur.*

CCVI. *Fœdus sacrum, Clemente Pontifice coryphæo, Pontificios inter Principes adversus Protestantes initum. Congregatio gemina de*

de propaganda fide, & sacri fœderis erigitur. Executio fœderis à Stiria, Carinthia, Carniola initium capit.

CCVII. *Intestina Romanam Ecclesiam dissidia exercent, ob quæstiones à Jesuitis motas, de Papa. Confessione & gratiæ auxiliis ac libero arbitrio, cujus postremæ inter Jesuitas & Dominicanos diu agitatæ historia texitur.*

CCVIII. *Sacerdotes ex Romano Seminario egressi & Jesuitæ in Anglia secretam Hierarchiam constituunt. Occulta inter alumnos seminarii & Jesuitas dissidia.*

CCIX. *Conspirationes & molimina varia adversus Elisabetham Reginam Angliæ & Jacobum VI. præsente Numine discussa.*

CCX. *Clementis de fide tutò à supremis Principibus violanda, doctrina perfida.*

CCXI. *Conspirationis pulverariæ adversus Parlamentum Anglicanum historia narratur.*

CCXII. *Ejus atrocitas exaggerata.*

CCXIII. *Ecclesiam Romanam per Jesuitas conspirationis ejus participem fuisse, probatur.*

CCXIV. *Jesuitarum hæresis singularis prima de jure occidendi Reges & Principes Romano Pontifici non obsequentes.*

CCXV. *Eorundem hæresis singularis secunda de æquivocationum & reservationum mentalium jure.*

CCXVI. *Ecclesia Romana hoc tempore duos insignes Atlantes habuit, Barontum & Bellarminum Cardinales. Baronii Annales cujusmodi sint? Pontificiorũ de iisdem judiciũ minùs favorabile*

CCXVII. *Bellarminus à Pontificiis quo in pretio habitus? In controversiarum Tomis ab eo editis laudem nonnulla merentur: plura verò reprehensione gravi digna sunt. Inconstans passim doctrinæ nostræ patrocinatur. Erga Reges & Principes infensum animum prodidit.*

CCXVIII. *Deserta ejus Methodo ad novas artes confugerunt Methodistæ novi, puta Veronistæ, Barth. Nihusius, V. Valenburgii, Richelius, Valerianus Magnus, Masenius, Marcellius, Bossuet Condomensis Episcopus. Novi illi Methodistæ causæ Pontificiæ proditores meritò habentur.*

CCXIX.

CCXIX. *Leo XI. ſex dierum ſcenicus Papa. Paulus V. miris factionibus electus. Arcana Conclavis Leonis XI. & Pauli V. à Card. Perrono prodita. Paulus Divinis titulis ſe ornari patitur.*

CCXX. *Hiſtoria diſſidii Paulum inter & Venetos, ob interdictum de bonis ſoli & immobilibus Eccleſiaſticis non acquirendis, aliaq; ſuborti, fuſiùs narrata. Sicarii in caput F. Pauli Servitæ, ob Venetorum cauſam ſtrenuè aſſertam, ſubornati.*

CCXXI. *Claudii Eſpencæi Pariſienſis Theologi verbis Eccleſiæ Romanæ facies depingitur.*

CCXXII. *Paulus V. Eccleſiæ non reformator, ſed deformator.*

CCXXIII. *Controverſias de auxiliis gratiæ & conceptione Mariæ definire non eſt auſus. Motus in Hiſpania ob poſteriorē excitati. Gregorii XV. & Alexandri VII. de eadem definitiones.*

CCXXIV. *Nova tempeſtas adverſus Eccleſiam à Jeſuitis per Ferdinandum Archiducem Auſtriæ, excitata. Occaſio ejus fuit favor Rodolphi II. erga Eccleſias Bohemicas.*

CCXXV. *Rodolphus acie victus moritur. Matthias ſucceſſor improles Bohemis Ferdinandum ſucceſſorem obtrudit. Ordines Regni turbatores Pacis conſiliarios Pontificios & Jeſuitas compeſcunt, & Fridericum Palatinum Regem eligunt. Inde bello victa Bohemia Ferdinando ſuccumbit.*

CCXXVI. *Nova Methodus, qua ex Bohemia religionem veram Jeſuitæ profligarunt.*

CCXXVII. *Anceps inde Eccleſiæ Evangelicæ ſtatus maximè. Sciopius claſſicum belli ſacri canit. Paulus Papa ex decimis Italiæ, aliarumq; regionum bellum ſuſtentat.*

CCXXVIII. *Palatinatus & univerſæ Germaniæ calamitas. Ferdinandus à Proteſtantib⁹ bona eccleſiaſtica repetit. Conclamatis rebus Deus velut è machina ſuccurrens, Guſtavum Adolphum ſubmittit, qui Henoticis domitis Eccleſiam feliciter adjuvat.*

CCXXIX. *Lanienæ in Valle Telina adverſus Evangelicos patratæ hiſtoria terribilis. A clero & Pontifice illa defenditur & probatur.*

CCXXX. *Gregorii XV. Papatus, Formam eligendi Papæ præscribit, & Jesuitas quatuor, aliosq; in Divorum numerum refert.*

CCXXXI. *Ferdinandum collatione pecuniarum & copiarum adjuvat; Ludovicum XIII. adversus Evangelicos etiam Genevenses accendit, & Venetis, ob concessum Græcis Templum, iratscitur.*

CCXXXII. *In Hispania secta Illuminatorum emergens, spe veniæ facta, opprimitur.*

CCXXXIII. *Gregorio defuncto Roma factionibus turbatur. Eligitur tandem Barbarinus, seu Urbanus VIII. qui Nepotes impudenter promovet.*

CCXXXIV. *Canonizationis Lojolæ, Xaverii, aliorum bullas conficit. Eorum miracula falsò laudat. Vera Jesuitarum miracula ex Deza & Sciopio depicta.*

CCXXXV. *Jesuitæ expuncto Germano, & intruso Lojola temerantes fastos, repressi. Jesuitissarum secta ab Urbano abolita.*

CCXXXVI. *Valle Telinâ exigere Gallos idem satagit.*

CCXXXVII. *Occasione dissidii illius adversus Regem Galliæ & Richelium libellis seditiosis vulgatis, in jugulum Regis denuo culter acuitur. Libelli ii à Clero Gallicano damnati. Ob censuram Stampesii dissidium clerum inter & Parlamentum oritur, & à Rege ipso finitur.*

CCXXXVIII. *Santarelli de potestate Pontificis liber Regum potestati iniquissimus. Sorbonæ adversus eundem censura acris. In Jesuitas Claromontanos de eodem instituta inquisitio, malam eorum conscientiam profert.*

CCXXXIX. *Cotonus tædio inquisitionis illius moritur. Ejusdem quæstiones curiosæ dæmoni Hadrianæ Fraxineæ propositæ.*

CCXL. *Urbanus Bullam Cœnæ Domini renovat. Ejus origo & mutationes variæ. Reges & Ecclesias Galliæ in ea excommunicari, adversus P. de Marca asseritur.*

CCXLI. *Rupella à Ludovico XIII. Evangelicis erepta. Urbani lætitia inde concepta à Jos. Hallo objurgatur.*

CCXLII. *Pon-*

CCXLII. *Pontificum & Jesuitarum in Æthiopia seu Habessinia Sedi suæ subjicienda conatus, Urbani tempore infelicem exitum sortiuntur.*

CCXLIII. *Similis catastrophe fuit moliminum in subjuganda Romanæ Ecclesiæ Japonia. Persecutio immanis Japonum adversus Christianos à Jesuitis conversos. Ejus causa fuit Hispanorum & Jesuitarum consilium de Japonibus legitimo Regi subducendis. Simile Pontificiorum fatum in Sina.*

CCXLIV. *Urbanus Cæsaris & Hispani in Germania potentiam suspectans, adversus eos Gallum inflammat. Jesuita Hispanus edito libro Papæ potestatem infringit. Hispanorum adversus Urbanum consilia.*

CCXLV. *Dissidii Ianseniitas & Molinistas inter in Belgio & Gallia erumpentis historia fusè narrata.*

CCXLVI. *Propositiones quinq; Ianseniii ab Innocentio damnatæ.*

CCXLVII. *Galliæ Episcoporum in recipienda Innocentii adversus Ianseniitas Bulla divortium.*

CCXLVIII. *Ianseniitarum adversus Innocentii Bullam exceptio, ab Alexandro VII. editâ Bullâ, eliditur. Formula conficitur adversus Ianseniium, in cujus verba Pontifex clerum suum adigit.*

CCXLIX. *Non tam Ianseniium, quàm Augustinum à Pontificibus damnatum esse, Ianseniitæ confirmant. Controversia tota denique in quæstionem de infallibilitate Papæ exiit.*

CCL. *Tenia Iesuitarum singularis hæresis, ex pluribus conflata, de Gratia & arbitrio.*

CCLI. *Lanienæ Evangelicorum in Hibernia, Urbano Pontifice, patratæ historia horribilis compendiosè narrata.*

CCLII. *In Pontificis gratiam tot in Hibernia cæsæ victimæ sunt.*

CCLIII. *Urbanus pacis prætextu belli in Germania continuationem promovet.*

CCLIV. *Urbano succedit Innocentius X.*

CCLV. *Admittit is elogium blasphemiis refertum ab Italo-Græco cusum, quo Pamphilius Filio Dei præfertur.*

CCLVI. Pa-

CCLVI. *Papatū eo tempore non Innocentius, sed ejus glos Olympia Maldachina administrat. Historia ejꝰ ex Abbate Gualdo cōtracta.*

CCLVII. *Innocentio quæ causæ Jansenitarū damnādorū fuerint?*

CCLVIII. *Ejusdem & Nuntii ejus, Fabii Chisii, Bullæ & Protestationes adversus pacem Germaniæ, insolentissimæ.*

CCLIX. *Erneſti de Eusebiis de Pace Protestantibus non danda, liber, Fabii Chisii jussu vulgatus. Responsum ad eum Caramuelis, Dorchæi, Conringii. Innocentii adversus Pacem Bulla ab eodem Conringio, Blondello, Hoornbekio discutitur.*

CCLX. *Innocentii mors. Historia Conclavis Alexandri VII. authore Italo edita, & contracta exhibetur.*

CCLXI. *Ejus occasione quæstiones de electione Papæ motæ.*

CCLXII. *In electione Pontificis quid potissimùm Cardinales, quid Seculares spectent, inquiritur.*

CCLXIII. *Alexandri encomium ab authore Conclavis ejus contextum. Ejus Philomathia, & gradus consanguinitatis, quo Mahumetem Imp. Turcicum attigit.*

CCLXIV. *Papatus ejus initia Pedemontana laniena fœdantur. Continuatio persecutionis VValdensium sub Philippo II. Carolo, Philiberto, Emmanuele Pax à Carolo Emmanuele iisdem datur. Violata variè, à Gastaldo inprimis, qui migrationem ex Pedemontio iis indixit.*

CCLXV. *Horribilis eorundem laniena ex Morlando repetita. Ejus vera causa inquiritur.* (sumpta.

CCLXVI. *Vindicta de persecutoribus non sine præsente Numine*

CCLXVII. *Imago quædam pacis iis ab Angliæ, Galliæ, Belgii, Helvetiæ Legatis conciliata, iterum mox iterumq; violatur.*

CCLXVIII. *Alexandri Bulla, qua Pacis Catholicorum Principum sarciendæ prætextu, eosdem adversus Protestantes, Sueciæ cumprimis Regem accendere conatur, una cum glossa quadam Ordinaria repræsentatur.*

CCLXIX. *Ex Suecia prædam Alexander reportat, Christinam Reginam, cujus ad Papatum transeuntis historia narratur.*

CCLXX. *Ejus-*

CCLXX. *Ejusdem Alex. Nepotismus, Pallavicini consiliis adjutus describitur.*

CCLXXI. *De Pontificum Nepotismo querela Alvari Pelagii, ejusdem arcana detegentis.*

CCLXXII. *Francisci Rothomagensis Conciliorum adversus eundem Canones.*

CCLXXIII. *Canonizatio Thomæ Villanovani, in gratiam Hispan.*

CCLXXIV. *& Francisci Salesii, in gratiam Gallorū. Blasphemiæ de hujº ἀναμαρτησία & perfectione voces Caroli Augusti Salesii.*

CCLXXV. *Ejusdem erga Ecclesiam Romanam merita, & consilia erga Reformatos sanguinaria.*

CCLXXVI. *Jesuitarū hæresis singularis quarta de infallibilitate Papæ in quæst. facti, Lutetiæ in collegio Claromontano prodita.*

CCLXXVII. *A sanioribus Galliæ Theologis eadem libello ad Episcopos misso graviter obnuntiatur.*

CCLXXVIII. *Eadem hæresis in Sorbonam penetrans, ibidem defendenda suscipitur; intercedente Suprema Curia Parisiensi, à qua Sorbonæ circa authoritatem Papæ declaratio flagitatur.*

CCLXXIX. *Summa declarationis Sorbonæ.*

CCLXXX. *Dissidium Jesuitas inter & Sorbonam ac Curiam Parisiensem novum occasione tum controversiæ Curatos inter & Monachos de munere prædicandi.*

CCLXXXI. *Ubi Sorbona Vernantii de potestate Papæ propositiones varias obel[illegible]onfigit.*

CCLXXXII. *Tum novitiæ Theologiæ Moralis Jesuitarum, ceu quintæ eorundem hæreseos.*

CCLXXXIII. *Cujus præcipuæ hypotheses, veluti de probabilitate, methodo dirigēdæ intentionis, arte mutādi definitiones virtutū & vitiorum, cogitationibus bonis & attritione perstringuntur.*

CCLXXXIV. *Guimenii opusculum eam in rem editum à Sorbona ad incudem revocatur.* (incipit.

CCLXXXV. *Alexander Theologiæ illi succensēt; at mox favere*

CCLXXXVI. *Sorbonam apud Regem ob geminam censuram idem graviter accusat.*

CCLXXXVII. *Breve Pontificium eam in rem oblatum Supremæ Curiæ censuræ subjicitur.*

CCLXXXVIII. *Ejus consilium infallibilitati Papæ oppositum gravissimum.*

CCLXXXIX. *Index librorum prohibitorum Alexandri jussu vulgatus, Pontificum Bullas, Pontificios q; libros expurgans, servitutem Papatus propalat.*

CCXC. *Ejusdem censuræ acerba Missalis Romani Gallicè editi; zelum pro latinitate arguit.*

CCXCI. *Pallavicini & Julii Clementis Scoti de Ecclesia Pontificia in pejus degenerante contentio.*

CCXCII. *Post Concilium Tridentinum Ecclesiam Pontificiam in melius mutatam non esse, idem Julius Clemens fusè efficaciter q; demonstrat.*

CCXCIII. *Episcopi Germaniæ nonnulli Martilitant.*

CCXCIV. *Verbi Divini & vetustorum canonum adversus Episcopos milites sententia. Gregorii VII. & Bonifacii VIII. contrarii dictatus. Ximenii & Philippi Belluacensis historia.*

CCXCV. *Ecclesiasticorum militantium impietas verbis Erasmi & Wicelii depicta.*

CCXCVI. *Controversia de attritionis efficacia Jansenitas & Jesuitas inter fervet.*

CCXCVII. *Jesuitarum de eadem attritione hæresis singularis sexta. Alexandri Bulla, qua hæresin illã reprehendi impiè vetat.*

CCXCVIII. *Alexandri mors. Ei Julius Rospigliosus, Clementis IX. nomine insignis, succedit; cujus res gestæ strictim narrantur.*

CCXCIX. *Eum mox Æmilius Altierius seu Clemens X. excipit.*

CCC. *Hungaricas is Ecclesias per satellites suos evertere laborat.*

CCCI. *Evangelicæ in Hungaria religionis fata sub Regibus Ludovico, Johanne de Zapolya & Ferdinando I. obiter narrantur. Pacificatio Viennensis à Rodolpho inita, & ab Impp. Matthia, Ferdinando II. & III. nec non Leopoldo confirmata.*

CCCII. *Liberum religionis exercitium ab Hungariæ Regibus pactum,*

ctum, Georgius Barzon, Varadiensis Episcopus, libello A. 1671. edito oppugnat.

CCCIII. *Triplex ejusdem argumentum ad partes vocatum.*

CCCIV. *Cleri Pontificii machinationes à Bots-Kajo, Bethlenio, Rackozio repressæ. Denuo Ecclesiæ Hungaricæ à terrestribus Dominis persecutionem patiuntur.*

CCCV. *Civitates mox etiam Regiæ & liberæ, eversis earum Templis, vexatis expulsisque Pastoribus, invaduntur.*

CCCVI. *Tribunal Posoniense rebellionis prætextu Evangelicos Magnates plures evertit.*

CCCVII. *Pastoribus quoque eodem prætextu evertendis alia quoque tribunalia Tyrnaviæ & Posonii constituta; libelliq; præscripti, quibus mortis periculum eluctaturi subscribentes, ministerii abdicationem, exilium spontaneũ, vel apostasiam promitterent.*

CCCVIII. *Citatio ad tribunal illud prima Pastorum Augustanæ Confessionis, qui comparentes malè persecutionis impetum sustinent.*

CCCIX. *Citatio secunda universalis omnium per Hungariam Evangelicorum Ministrorum, cui alii obedire prohibentur, alii parent, gravibus rationibus inducti.*

CCCX. *Numerus comparentium utriusque confessionis. Actionis totius series exponitur. Accusationis capita. Accusatorum Judicumq; strophæ. Perduellionis culpa accusati liberantur prægnantibus argumentis.*

CCCXI. *Accusati innocentes damnantur, & in liberas custodia, paucis exceptis, detinentur, variis artibus ad subscriptionem libellorum pellecti. Subscribentibus Augustanis fratribus non paucis, reliqui in carceres varios distribuuntur. Reformati, duobus exceptis, omnes, subscriptionem constanter abnuentes, in vincula itidem rapti, atque inde producti, diversaq; in Hungariæ munimenta relegati sunt.*

CCCXII. *Vexatio horrenda fratrum Berenschinum, Comarinum, Eberhardinum, & Leopoldopolin asportatorum.*

CCCXIII. *Violentia in cogendis iis ad cultum Panacei Numinis adhibita.*

CCCXIV. *Astutia Kellionis testificationem humanitatis suæ, in levibus nonnullis captivis præstitæ, ab iisdem extorquentis.*

CCCXV. *Damnatio nova Pastorum, & raptatio crudelissima ad triremes.*

CCCXVI. *Tentationes eorundem, ut militiæ nomen dent, fortiter excussæ. Venditio eorum ad triremes, vexatio horrenda in iis, & ex iisdem Divina liberatio.*

CCCXVII. *Historia reliquorum Pastorum viginti, in carceribus Sarvvar, Kapuvvar Tergesti & Buccaris inauditis modis vexatorũ quorũ pars Buccari persecutioni succumbit, pars ad extremum usque eandem sustinet, & vicina jam morti liberatur.*

CCCXVIII. *Examen Extractus Judicialis Tyrnaviæ editi, quo author demonstrare conatur, Pastores non ob religionem, sed ob rebellionem horrendam adeò tempestatem subivisse.*

CCCXIX. *Concluditur historia persecutionis Hungaricæ.*

CCCXX. *Veritas in Papatu hoc tempore erumpens, atque mox sopita iterum, circa cultum B. Virginis Mariæ.*

CCCXXI. *Nec non venerationem imaginum.*

CCCXXII. *Clementi X. succedit Innocentius XI. cujus studium reformandi nonnulla, leviora licet, commendatur.*

CCCXXIII. *Indulgentias idem complures abolet.*

CCCXXIV. *Cleri Pontificii, Jesuitarũ in primis, advers⁹ Regẽ Angliæ, religionẽ, statumq; universum Angliæ terribilis conspiratio.*

CCCXXV. *Detecta per Titum Oatem, & suppliciis reorum magis patefacta.*

CCCXXVI. *Clerus in Anglia magnis ausibus excidens, ad Ecclesias Gallicanas pervertendas sese convertit.*

CCCXXVII. *Edicti Nannetensis, quo Ecclesiarum Gallicarum Ref. libertas nititur, historia narrata.* (*ditur.*

CCCXXVIII. *Modernis persecutionib⁹ violari illud varie ostenCCCXXIX. Nominatim in articulis concernentibus libertatem conscientiæ.*

CCCXXX.

CCCXXX. *Ægrorum & afflictorum consolationem;*
CCCXXXI. *Liberorum educationem.*
CCCXXXII. *Religionis exercitium publicum.*
CCCXXXIII. *Variis modis labefactatum.*
CCCXXXIV. *Vexationes & pericula Pastorum in Ecclesiis adhuc superstitibus.*
CCCXXXV. *Scholarũ & Academiarũ restrictio vel suppressio.*
CCCXXXVI. *Exercitii disciplinæ Ecclesiasticæ infractio multi-*
CCCXXXVII. *Camerarum Edicti usus.* (*plex.*
CCCXXXVIII. *& violenta suppressio.*
CCCXXXIX. *Pariũ cum Pontificiis Prærogativarum abrogatio.*
CCCXL. *Persecutio Ecclesiæ ejusdem ingravescens, & pressorum oppressorumq́ innocentia, patientiaq́ laudabilis.*
CCCXLI. *Non parùm persecutionem eam exasperavit controversia cum Pontifice circa jus Regaliæ, cujus origo exponitur.*
CCCXLII. *Recentissima circa illud dissidii historia.*
CCCXLIII. *Congregatio Cleri Gallicani jus Regaliæ Regi vindicat, & literis ad Pontificem exaratis sententiam suam tuetur.*
CCCXLIV. *Mox etiam Pontificiam potestatem definitionibus quatuor Regio Edicto graviter sancitis, restringit.*
CCCXLIV. *Romani Pontificis ad Cleri Gallicani literas super jure Regaliæ acris responsio. Epicrisis circa eandem authoris.*
CCCXLV. *Congregationis Cleri Gallicani ejusdem pro revocandis ad Papatum Evangelicis studia, & literæ circulares ad Episcopos, quibus negotium extinguendi schismatis commendatur, & dissidium cum Pontifice excusatur.*
CCCXLVI. *De literis illis circularibus judicium authoris.*
CCCXLVII. *Ejusdem Congregationis literæ ad fratres secessionis Calviniana monitoriæ.*
CCCXLVIII. *Fucus earundem detectus.*
CCCXLIX. *Finis operi imponitur.*
CCCL. *Prosphonesis ad Romam; & Ecclesiæ triumphantis militantisque ardentia vota.*

Ecclesia Romana post Concilium Tridentinum in errore obfirmata, impudentior & truculentior evasit,

CXC. POst Tridentinum Concilium Papatus reliquus factus est longè deterior quàm antehac, ante Reformationem inprimis, cùm vera Ecclesia ei adhuc captivæ instar commixta ejus corruptioni, erroribus tyrannidi alacriter obstrepuit. Separatis ab ea non volentibus duntaxat, sed per anathematismos etiam Tridentinos coactis fidelibus, reliqui decretis insanis Consilii dementati, querelas veteres justissimas in Romanæ Ecclesiæ laudes convertere, & perpetuam ei ἀναμαρτησίαν tribuere cœperunt, perfricta fronte negantes, Papam in fide, addunt hodie Lojolitæ, etiam in facto, unquam errâsse, vel errare potuisse; quod Paradoxum Tridentinum demum Concilium peperit. In errore igitur suo obfirmati, impudentiores & adversus eos, qui discessionem ab iis fecerunt, & Papæ tyrannidem ac idololatriam reprehenderunt, truculentiores longè evaserunt. Sic scilicet fieri par erat. Ut enim non illas modò mulieres, quæ primum virginitatis naufragium fecerunt: sed & quæ longo usu consuetudinem ac habitum induere, peccati tamen sui pudet, adeò ut (verbis Martialis utar) *abscondant spurcas & monumenta lupas*; at verò deprehensæ bene gnaviterque fiunt impudentes, & *olenti in fornice stando* palàm profitentur impudicitiam, quin eam tantùm non jactant, iram atque animos à crimine sumunt; ita Romana illa mulier à paucis in flagitiis & obscœnitate deprehensa, pudoris adhuc aliquid retinuit. Ex quo verò cum amasiis suis nefando complexu constrictam atque irretitam universus propalam orbis conspexit, tum verò nil mirum est frontem ei periisse, & vel de inferis extitisse, qui consumpta ignominia audaciam pro muro habentes, omnem turpitudinis infamiam impuden-

Illustratur id similitudine meretricis exoletæ in obscœnitate deprehensæ.

tiæ

tiæ magnitudine & perseverantia, quin & sævitia adversus accusatores, discuterent. Idque procedens Papatus Romani historia manifestum faciet.

CXCI. Qui igitur Pium IV. excepit Pius V. Insuber, sive Lombardus, Michael Gislerius ante dictus, officii Inquisitionis hactenus Commissarius, opilionis, ut scribunt, filius, apud Carolum Stengelium, Abbatem Anhusanum. 2. *Optic. Prælat. 3. p.* 153. referente etiam Cornelio à Lapide *in Ecclesiastic.* 32. 1. *& Apoc.* 3. 1. statim atque Papa creatus est, fassus est, *se Religiosum adhuc bene sperasse de salute sua: Cardinalem factum cœpisse timere: Papam creatum pœne de ea desperare*; Concilii Tridentini executionem, ceu præcipuum actionum suarum scopum is sibi propositum habuit. Ex decretis Concilii ejus Catechismum confici curavit, qui *Catechismi Romani* nomine venit. Quoscunque Evangelicis vel minimùm favere suspicatus est, ad dira supplicia inexorabilis rapuit. Inde scilicet, Thuano *Histor. lib. XXXIX.* aliisque testibus, Nicolaum Francum ad furcam, Julium verò Zoanetum, Petrum Carnesecam, & Antonium Palearium, quòd Inquisitionem nominaverint *sicam in literatos dirigi*, ad ignem damnavit. Maximiliano II. Imperatori, cùm is in Imperii Comitiis Augustanis libertatem Religionis Protestantibus concessurus esset, per Nuntium suum satis pro imperio significavit, „*se id nullo modo permissurum. Nec ullius Principis Secularis esse, ejusmodi sibi potestatem & authoritatem arrogare.* Improba non minùs quàm superba denuntiatio; quæ apud Imperatorem tamen sapientissimum parùm valuit.

Pius V. de salute desperat.

Concilii Trid. executioni intentus.

adversus fideles sævit.

& apud Maximilianum Religionis libertatem Protestantibus imperitantem protestatur.

CXCII. Quas verò non Impius ille in Hispania, Belgio cum primis Hispanico, Gallia, Anglia, Scotia, religionis sanioris exturbandæ & profligandæ penitus turbas dedit? Historiæ ejus rei testes locupletes passim prostant. Et in Angliam quidem misit Nicolaum Marianum, An-

Angliam, Scotiam frustra turbare conatur.

Anglum, ut Elisabethæ Reginæ pro stabilienda religione Evangelica conatus infringeret. Quin & ipsam Reginam, ceu hæreticam, Bulla edita diris devovere, potestate in Regnum omni, quantum in se fuit, exuere, subditos à juramento fidelitatis & obedientia omni liberare non dubitavit. Bullam, quam Johannes Feltonus Londini incredibili audacia foribus Episcopi affixit; ad partes Humfredus *de Rom. Curiæ praxi pag.* 81. & dedita opera Bullingerus vocârunt. In Scotia, eodem Papa & Lothareno instigantibus, à Regina Maria & Bothuelio Rex è medio sublatus est. Neque tamen in Anglia & Scotia res ex voto & sententia Papæ fluxerunt, Anglià magis magisque in vero Dei cultu stabilità, Scotiæ quin etiam Solio imposito Rege Jacobo, qui Pontificiam religionem & authoritatem omnem sustulit: In Gallia verò ex voto fluxerunt magis, ubi post decretum Caroli IX. *ut* scilicet *Nobilibus in arcibus & sedibus suis populoq; in Templis suburbanis, sacra liberè peragere integrum sit*; Pius furoris sui satellites nactus Guisios, cædibus horribilibus cuncta implevit, & Regem ipsum ad asperiora incitatum, contra Ludovicum Condæum, Principem optimum, pecunia copiisque adjuvit, etiam distrahendi facultates Ecclesiasticas eum in finem copia eidem facta.

Gallium per Guisios efficaciùs tentat.

CXCIII. Impii etiam hujus artibus & consiliis inter Regem Hispaniæ Philippum II. & subditos Belgas tragœdia funestissima suscitata est. Ejus causa fuit fœdus sacrum, Pio incentore Bajonæ Philippum inter Hispaniæ & Carolum IX. Galliæ Reges, *Ligæ sanctæ* titulo, initum, de religione Pontificia juxta Tridentini Concilii decreta per omnes ditiones suas asserenda. Hinc statim in Belgio leges promulgatæ sunt rigidæ: *ut Edicta Caroli V. contra receptæ religionis Pontificiæ hostes strictè observentur; Quæsitores fidei admittantur, & si necessitas postulaverit, brachio seculari juven-*

Ejusdem artibus Belgii Hispanici tragœdia excitata, cujus causa & progressus narrantur.

juventur; denique Concilium Tridentinum cuncti religiosè observent. Quo edicto perculsi Belgæ, simul quòd novorum Episcoporum Pontifici addictissimorum jugum sibi imponi, aliaque dira contra fas legum publicarum adversus se jam pridem supplices facti Gubernatrici Margarithæ Parmensi rigorem deprecantur, & in Hispaniam ad Regem Legatos idem tentaturos destinant. Sed adeò nihil subditorum preces & lachrymæ profecerunt, ut ipsi quoque Legati, qui venerant obsequium memoraturi, si nullo novo onere tentarentur; Regiorumque ministrorum tyrannidem deprecaturi, vel delusi turpiter, vel crudeliter & contra jus gentium occisi fuerint, utut evocante & jubente ipso Rege ad eam legationem à suis protrusi essent. Missusque mox cum ingentibus militum copiis in Belgium Ferdinandus Toletanus Albæ Dux, *lutum* illud *sanguine maceratum* (quo nomine olim Tiberium venisse, Suetonius in ejus vita *cap.* 57. author est) accepto etiam à Pio Pontifice galero & gladio Pontificiis precibus sacrato; *Concilium sanguinis* instituit, Comites clarissimos, Egmontium & Hornanum, capite plexit, denique Proceres Belgas ad Duodecim virile illud Concilium vocavit, ut Regii Procuratoris accusationibus satisfacerent. Albanus ille, hominis monstrum, sine fronte jactabat, octodecim (alii duplo majorem numerum notant) millia Belgarum, & sexcentos se carnifici tantùm contrucidandos dedisse. Sicut autem fieri amat, ut *qui nimis emungit, sanguinem eliciat.* Prov. XXX. 33. ita fortissimi in Belgio libertatis vindices luculento & in omnia secula victuro exemplo demonstrârunt, gravissimos esse morsus irritatæ necessitatis: & ut leni ac miti imperio habitos fidelissimos permanere; sic crudelitatem atque terrorem infirma esse charitatis vincula. Nam justa tantùm ira ac desperatione ad fortitudinem erecti (uti ferè solet plus impetûs, major constantia penes miseros esse)

cæteroquin omnibus modis inferiores, pro patria & libertate præter jus fasque oppressa, tam strenuè feliciterque pugnarunt, ut potentissimus hostis post quingentorum sexaginta quatuor millionum (hanc summam ipsemet moriturus filio apud Meteranum *lib. XIX. pag.* 878. confessus est) impensam, tot ingentium exercituum, &, quod caput est, tot nobilissimarum Provinciarum jacturam, demum in ipsum Hollandiæ meditullium, pacem ultro delatum venerit. Et qui à Carolo Comite Barlamontio, in sermone ad Gubernatricem, Gallica voce, *Gheuſii*, seu mendici vocati sunt, opulentissimi, & potentissimi Regis vires ita attriverunt, ut piam justamque causam præsentissimo Numine defensam fuisse, cordato nemini amplius obscurum esse possit.

Carolo Hispaniæ Infanti, & Isabellæ matri favor erga Evangelicos exitium affert.

CXCIV. Illud verò crudelitatis numeros omnes implet, quòd eodem Impio suasore, Carolus Infans Hispaniæ, viginti duorum annorum juvenis, Belgis favere creditus, in vincula à patre raptus, & propinato haustoque incautè veneno extinctus est: quodque etiam Regina ipsa Isabella, Philippi conjux, quòd pacis studiosior & amantior, quam in rem Papæ fuerit, visa; etiam secretiora consilia sanguinaria adversus Evangelicos Bajonæ Philippum inter & Galliæ Regem concluſa communicâſſet, eidem fato succubuit. Ob quæ facinora, quasi glorioſa, Pontifex ille Philippo Regi auream rosam & gladium dono misit. Certè, Jesuita licet, Famianus Strada *de Bello Belg. Dec.* 1. *lib. VII. p.m.* 377. *&* 380. vim utrique illatam esse, non dissimulat. Et favorem erga Belgas Carolo perniciem attulisse, his *ib. p.* 377. verbis testatur: *Hinc* Caroli *patrocinium studiumque in eos, quos patri offensos ejectosque sciret: in Belgas præcipuè, quorum Legatos Marchionem Bergensem atque Montinum solicitè complexus clam evocare ad se, tueriq; eorum causam videbatur ardentiùs, quàm par erat; pollicitus iis, iturum se se in Bel-*

Belgium ad componendos Provinciarum motus. Imò religionis gratia ſublatum eſſe à Rege filium unicum, idem Rex teſtatus eſt, quando, referente eodem Strada, *pag.* 381. miſſo ad Archiepiſcopum Roſtanum, Pontificium Nuntium, Concilii Caſtellani Præſide, eundem edocuit, *rei illius cauſam non eſſe aliam, quam quod Religionis populorumq; conſervationem ſanguini ſuo præhabere voluit; coactumq; propterea ſe filium unicum ſibi, ea ratione propemodum ſacrificare, ne quibus affluebat à Deo beneficiis, nimis quàm ingratè reſponderet.* Exemplum iſthoc eſt exercitæ Bullæ Pauli IV. de pœnis hæreticorum, eorumque qui iis favere creduntur; etiamſi, inquiebat ille, *Imperiali vel Regali dignitate & excellentia præfulgerent.*

CXCV. Gregorii XIII. Bononienſis, qui antehac Hugonis Bon-Compagni nomine venit, juris humani conſultiſſimi, at Divini ignariſſimi, in Papatum ſuccedentis initia ferales Eoæ illæ Pariſienſes S. Bartholomæi nomine non tam celebres, quàm ad omnem poſteritatis memoriam infames, fœdârunt. Nam eo Bartholomæi die A. M. D. LXXII. (cujus anni die XIII. Maji Gregorius Papatum adiit) & paucis aliquot ſequentibus Catharina Medicea, Regis matre, germana Jezabele; & Duce Guiſio incentoribus, neque inſcio ipſo Rege, tantùm Chriſtiani Evangelici ſanguinis, ab iis, qui Chriſtianiſſimi perhiberi volunt, effuſum eſt, ut paſſim ejus rivuli vicorum alveos inundarent. Quin imò tamdiu in viros fortiſſimos, in Regni Proceres, in florem utriusque ſexus innocentiſſimum pulcherrimumque, in multitudinem promiſcuam, ab Orci emiſſariis ſævitum eſt, quoad publica & nobiliſſima flumina repleta cadaveribus, & atrata ſanguine conſpecta ſunt; ita ut accolis etiam longiſſimè diſſitis uſus aquæ ad potum, aliasque res neceſſarias, nec non eſus piſcium humana carne ſaginatorum, magna cum execratione crudelitatis & inau-

Gregorii XIII. Papatus.

Ejus initia lauiena Pariſienſis horribilis ſæculi.

inauditæ carnificinæ, aliquantisper exosus & inutilis fuerit. Summa paucis illis diebus cæsorum, quod Rex ipse in Responsione ad Legatum Pontificis, teste in vita Gregorii XIII. Cicarella, fassus est, ad septuaginta millia, vel, ut alii colligebant, ad plus quàm centum millia Christianorum excurrit. Auxitque infamiam facinoris, quòd Rex crudelitatis notam, quam ne Thetys quidem universis undis suis abluerit, perjurii macula cumulavit. Gnarus enim ille, dejerare & pejerare suetus, neminem celeriùs opprimi, quàm qui nihil timet; & frequentissimum initium calamitatis esse securitatem; nimis credulos & bonæ fidei Protestantes, qui ab omni fraude & insidiis securi potiùs quàm tuti, in Regia fide, recenti fide cum Regibus Principibusque vicinis inita, ad servandam pacem adstricta acquiescebant, nuptiarum Regiarum Henrici scilicet Navarri & Margarethæ Valesiæ, Caroli Regis Galliæ Sororis, evocatos illico, perfidiæ suæ crudelissimæ cassibus implicuit.

Frustrà à Gallis nonnullis excusata;

CXCVI. Hanc furoris inauditi lanienam, cùm ad æternam Gallici nominis & Pontificiæ religionis infamiam pertinere judicarent meritò viri dignitate & doctrina præstantes, Scombergius, Morvillerius, Thuanus pater, Monlucius, Bibracius, Cujacius, alii, passim in Polonia, Germania, Gallia, alibique, ut Regni Regisque bono, famæ & honori consulerent, officiosis mendaciis scelus patratum aut simulatè laudare, aut astutè imminuere, vel exquisitissimis ex falsa narratione detortis ratiunculis ingeniosè diluere necesse habuerunt: quod intra se tamen omnibus diris & imprecationibus flagellabant. Thuanus certè, Parlamenti Parisiensis Præses, illos Statii Papinii ex *Theb. lib. II.* versus, in causa impare licet, huc accommodavit:

à Thuano;

Excidat illa dies ævo, nec postera credant

Secula:

Secula : nos certè taceamus & obruta multa
Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis.

Sed & optimum Imperatorem Maximilianum piaculare isthoc facinus improbâsse non parum, ex literis ejus, die XXII. Febr. A. M. D. LXXIV. Viennâ ad Lazarum Schwendium exaratis, liquet. Ipsum Turcarum Imperatorem, & natura & instituto crudelissimum, in stuporem acroasi isthac raptum, non desunt qui scribant. Denique Rex Carolus IX. qui corruptus exoticis consiliis, initiò lanienam illam & probârat & imperârat, & se imperâsse etiam, prætextu fictitiæ conjurationis Amirallii Chastilonii adversus adolescentem Guisium, aliosque, apud exteros professus est (quid enim etiam Legatus ejus in Helvetiorum Concilio eam in rem affirmaverit, ex Prisbachii Responsione ad orationem ejusdem A. M. D. LXXIII. Rupellæ typis impressa liquet) perfecto demum scelere magnitudinem ejus intelligens, sauciatæ conscientiæ furiis agitatus, tempore noctis, haud secus quàm Nero, interfecta matre (verbis Taciti *Annal. XIV.* 10. uti liceat) *modò per silentium defixus, sæpius pavore exurgens & mentis inops, lucem operiens tanquam exitium allaturam*; somni etiam & conscientiæ damna qualitercunque reparaturus, symphoniacos pueros adhibens, &, paulò ante mortem, etiam Orlandum Lassum Musicum celebrem Norico evocans; detestatus est crudelis consilii auctores, ac pœnitentiæ suæ certis testimoniis editis, à cædibus perpetuo deinceps abhorrens, Christianorum sanguini parcere decrevit, studuitque, uti de eo fusè Thuanus sub finem *lib. LVII.* commemorat.

Maximiliano,

Imp. Turcæ,

ipso denique Rege Carolo IX. pœnitente damnato.

CXCVII. Quid verò hic Sanctissimus ille Gregorius Papa? Is scilicet, eodem Thuano *lib. LIII.* narrante, & Strada etiam *Dec. 1. lib. 7. pag.* 441. confirmante, tragœdiæ feliciter peractæ factus à Rege certior, statim cum

à Gregorio verò Papa,

Cardinalibus ad B. Marci conceſſit. DEO O.M. pro tanto beneficio Sedi Romanæ collato gratias ſolenni ritu egit: Jubilæum toti orbi Chriſtiano lætam adeò ob cauſam publicavit: in Hadriani mole, publicæ lætitiæ ſignum feſta tormentorum diſploſione dedit: totam rei bene geſtæ hiſtoriam artifici penicillo parietibus illevit! Cardinali quoque Lotharingo, tam optatum afferenti Evangelium, mille aureorum Evangelia numeravit; denique Roma in Galliam miſit Gabium Urſinum Cardinalem, laudaturum Regem ob egregium facinus, auresque ei vellicaturum, ut Concilii Tridentini promulgatione illud obſignaret. Atque ille quidem recens tum flagitium, affectuum vehementia præpeditus, veris pretiis æſtimari non potuit. Tantoque mirandum magis eſt, hodieque reperiri Theologiam, & quod plus eſt, Jeſu Societatem profeſſos, qui non verentur immanitatis tantæ facinus & lanienam plus quàm Diocletianam non excuſare duntaxat, uti Stradam feciſſe conſtat: ſed ſummis etiam laudibus efferre, uti quidem Andræas Eudæmon Johannes, verè Cretenſis Jeſuita, *in Anticat. Confut. cap.* 3. facere non erubuit. Alius quin etiam Jeſuita ſub fictitio Johannis Baptiſtæ Galli nomine latitans, *Not. in hiſtor. Thuani cap.* 6. deteſtabilem illam Vitellii à Suetonio in ejus vita *cap.* 10. memoratam vocem, *graveolentiam ſcilicet hoſtilium cadaverum quibusvis odoribus & pigmentis eſſe ſibi fragrantiorem*, exultabundus huc trahere non erubuit. Qua re abundè teſtantur, ſemel factam lanienam ſibi ſatis non eſſe: ac diriſſimum quodque ſcelus ſe probaturos facilè, dum ſpecie pietatis admiſſum fuerit.

& moderni etiam Jeſuitæ,

Strada,

& Baptiſta Gallo, laudata,

CXCVIII. Idem etiam Gregorius mutandorum temporum poteſtatem ſibi, novamque adeò jurisdictionem arrogans; Calendarium novum opera Liliorum confecit, atque ea ratione non tantùm Imperatori & Principibus Calendarii emendationem indignè præripuit, cùm tamen olim,

Gregorius idem Calendarium correxit.

olim, Suetonio in Julio *cap.*40. referente, nonnisi *Cæsar conversus ad ordinandum Reip. statum, fastos correxit, jam pridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam turbatos:* sed etiam callido isthoc consilio Protestantes, Germanos inprimis, quos ejus jussa pridem aspectare desuevisse non ignoraverat, irretire, civilemque eorum cum Pontificiis Societatem & commercia turbare conatus est; quod passim etiam ex voto ejus successisse, historiæ testantur. Neque minùs subdolum ejus consilium fuit, passim Collegia seu seminaria instituentis, in quibus scilicet educarentur formarenturque novi ex Germania, Anglia, Græcia, &c. conductitii non tam haruspices, quorum apud Romanos olim famosa Collegia seu seminaria celebrata sunt, quam Cyclopes, Evangelicorum carnem mox laceraturi devoraturique, seu mavis, gigantei Atlantes, Cœlum Pontificium humeris suis passim, ne penitus corrueret, sustentaturi pacemque publicam turbaturi. Quo etiam animo Jesuitas propensissimè fovit, pro quibus Romæ Collegium splendidissimum erexit dotavitque. Eodem quinetiam animo Hiberniam Elisabethæ subtrahere; Belgas, oppugnantibus eos omnium peccatorum remissione promissa, debellare nequicquam molitus est. Denique ita se gessit; ut fidem impleverit oraculi, quod famosus ille Ægidius Franciscanus his in illum verbis enuntiavit: *Ex cavernis Draco velut exibit, citò abibit, duræ cervicis gustabit pessima.* Cujus vaticinii ejusmodi statim declaratio adjungitur: *Quare Draconis nomen Gregorio XIII. convenire dicatur, explicatione non eget. Citò eum prænuntiat discessurum, non quòd in adfecta ætate non discesserit, sed quia inopinanter. Invitus gravia sustinuit, cùm multifariam & ubivis gentium Ecclesia ipso Pontifice vexationes habuerit. Citò exiit, quia unanimiter primo die Conclavis eligitur.*

seminaria instituit.

Jesuitas fovet.

Hiberniam Elisabethæ subtrahere conatur.

Belgas oppugnat.

Oraculi de ipso eventus.

CXCIX. Paria etiam cum Gregorio Successor ejus Sixtus

Sixti V. creatio delitus.

Sixtus V. fecit. Licet enim is Cardinalis adhuc ob injurias patientiam *Asini Anconitani* nomine venerit; Papa tamen factus, depoſito mimo, *lachrymas cruentas fundere, & ſanguinem pro ſudore toto corpore emittere* aliquando, Thuano *lib. XXXII.* teſte, viſus; (naturâ ipsâ crudelem ejus animum quodammodo prodente; nam & ſævitiæ ejus exempla plura apud Cicarellam & Thuanum reperire eſt) ſummos Regès Principesque vel diſſentientes à Romana Sede, vel ejus commodis non ſtrenuè ſatis velificatos, anathemate diro ferire, & ab obedientia juramento iis obſtricta obnoxios abſolvere, neutiquam reveritus eſt. Extat ejus Bulla ſeu *Declaratio contra Henricum Borbonium aſſertum Regem Navarræ, & Henricum item Borbonium, prætenſum Principem Condenſem, Hæreticos, eorumq; Poſteros & Succeſſores: ac liberatio Subditorum ab omni fidelitatis & obſequii debito*: Romæ & Coloniæ A. M. D. LXXXV. edita. In ea feralem adverſus eos ſententiam multa de authoritate ſua, cunctas terrenorum Regum poteſtates ſupereminente, & in firma petra conſiſtente; præfatus, his verbis ſtringit: *Itaque in præcelſo hoc Solio, & in plenitudine poteſtatis, quam ipſe Rex Regum & Dominus dominantium, licet nobis indignis, tribuit, conſtituti, auctoritate Dei Omnipotentis, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, & noſtro* (en ſuam poteſtatem à poteſtate Divina & Apoſtolica blaſphemè diſtinguentem!) *ac de Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, pronuntiamus & declaramus, Henricum quondam Regem, & Henricum Condenſem ſupra dictos fuiſſe, & eſſe hæreticos, in hæreſes relapſos, & impœnitentes, hæreticorum quoque Duces, fautores & defenſores manifeſtos, publicos & notorios, ſicque læſæ Majeſtatis Divinæ reos, & orthodoxæ fidei Chriſtianæ hoſtes; ac proinde eos damnabiliter incurriſſe in ſententias, cenſuras & pœnas ſacris canonibus & conſtitutionibus Apoſtolicis, legibus generalibus & particularibus contentas, ac hæreticis relapſis & impæ-*

Ejusdem contra Henricum Navarræum & Henricum Condæum fulmina bruta.

impœnitentibus debitas, & ſpecialiter eos fuiſſe, & eſſe ipſo jure privatos, Henricum quondam Regem videlicet prætenſo Navarræ Regno, illiusq; parte, quam adhuc obtinuit, nec non Bearni: alterum verò Henricum, Condenſi, & utrumque, eorumq; poſteros omnibus, & quibuscunque aliis Principatibus, Ducatibus, Dominiis, Civitatibus & locis; feudisq; & bonis etiam amphyteuticis, & ſucceſſionibus, nec non dignitatibus, honoribus, muneribus & officiis, etiam Regiis, ac jurisdictionibus & juribus, quæ de facto detinent, & ad quæ jus quomodolibet habuerunt, ſeu prætendunt, eosdemque propterea ſe illis reddidiſſe indignos, ac fuiſſe & eſſe inhabiles & incapaces ad illa retinenda, & alia hujusmodi in poſterum obtinenda. Ac pariter eos ipſe jure privatos & incapaces ac inhabiles ad ſuccedendum in quibuscunque Ducatibus, Principatibus, Dominiis & Regnis, ac ſpecialiter in Regno Franciæ, & Regno ipſi annexis dominiis, jurisdictionibus & locis, &c. Pronuntiata pluribus ſententia Henricum Regem Francorum Chriſtianiſſimum *per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti* hortatur, rogat, ac etiam monet, *ut memor præſtantiſſimæ fidei, & Religionis Regum Majorum ſuorum, memor etiam juramenti, quod in ejus coronatione de exterminandis hæreticis ſolenniter præſtitit, authoritate, poteſtate, atque animi magnitudine verè Regia, ad executionem tam juſtæ ſententiæ ſuæ incumbat* &c. Ab Henrico tamen utroque, Navarro & Condenſi, validè id omne ſpretum eſt, ſeu fulgur è pelvi. *ab iisdem ſpreta merito.* Quinimò Navarrus Programmate, ad Marforii ac Paſquilli ſtatuas & aliis celebrioribus Romæ locis affixo, de injuſta damnatione queſtus, & ad Concilium liberum provocans, ſe Papam pro *mendaci, hæretico, ſectario & Antichriſto* habere declarat, donec, quæ ſibi impegerat, probâſſet. Addens etiam: *Si Deceſſores mei Reges hujusmodi nebulones, qualis hic Sixtus, coërcere poterant, idem ſe facturum.* Acceſſit Programmati illi Declaratio, authore, uti putatur, Franciſco Perroto, qua Sixtum mentitum eſſe confirmatur, collectis etiam ex Petrarcha,

trarcha, Aligerio, Bocatio, locis, quibus Curiæ Romanæ mores ac libidines amarulentè carpuntur. Postea in eandem Bullam scripserunt tum Franciscus Hottomannus joculari stilo, libro *Brutum fulmen* titulum faciens; tum Theophilus Banosius: tum grandi libro Petrus Bellojus, ob id molesto carcere diu vexatus.

Monitorium ejusdem adversus Henricum III. diploma.

CC. Neque tamen sic satis Sixtus bullavit. Nam & Henrico III. Galliarum Regi infensus, quòd Ducem & Cardinalem Guisios, occupans scilicet facinus, quod ipsos adversus Regem meditari constabat, interfici jussisset, Cardinalem Borbonium & Episcopum Lugdunensem captivos attineret, monitorio diplomate ei diras intentavit. Ni fecerit jussa sua, declarat Sixtus, *eum ab Ecclesiæ communione exclusum, anathematis fulmine feriendum, in omnes censuras Ecclesiasticas, ac præsertim in eas, quæ in Bulla Cœnæ Dominicæ leguntur, incurrisse.* Præterea Regem ipsum citat, ut intra LX. dies vel ipse, vel per procuratores, cum idoneo mandato Romam veniat, ac se judicio sistat, rationem redditurus, cur Cardinalem Guisianum interfecerit, & nunc Cardinalem Borbonium, & Archiepiscopum Lugdunensem detineat. Horum autem LX. dierum viginti pro prima, totidem pro secunda, reliqui pro tertia admonitione Canonica sint assignati. His additum, ut numero illorum nec Rex ipse à quoquam, nisi à summo Pontifice, ne quidem in casu conscientiæ, hora seu periculo mortis excepto; & ne tunc quidem, nisi præstita cautione se pariturum Ecclesiæ in iis, quæ essent illi injuncta, absque hoc esset, non posset absolvi, nec in pleno jubileo, nec in sacra crucis militia. Decretum illud IX. Kal. Junii A. M. D. LXXXIX. publicatum, & ad valvas Basilicæ B. Petri & Johannis Lateranensis affixum, & in Gallia etiam in civitate Meldorum, & Autrici Carnutum solenniter promulgatum fuit. Adversus Edictum isthoc Senatus Venetus,

magnus

magnus Etruriæ Dux, & Dux Mantuæ, Henrico Regi animosum consilium suppeditant, rati, cum Sixto agendum asperè, *quia ita agreste sit ejus ingenium, ut nullo cultu & obsequio ad amicitiam inflecti, tantùm vi ac convitiis ad officium cogi possit.* Refert hæc similiaque Bucanus *Histor. lib. XCV.* Rex igitur respondit Pontifici, flocci se facere excommunicationem ejus, neque eum se excommunicandi in Francia jus ullum habere, ob causam præsertim politicam, non Ecclesiasticam. Porro in Mœnium ac Legistas arma Rex sumit, fœdere cum Navarro inito, eoque legato copiis suis cum summa potestate præfecto. Ac hic demum in eum Papa fulminat, ac subditos obsequii sacramento solvit; quem & Sorboniſtæ Regno excidisse, à Parisiensibus rebellibus consulti respondent, eisque in eum arma ferre permittunt. Tandem Lutetiam obsidentem Regem ad Clodovæi fanum, crudeli sicarius cucullo tectus Jacobus Clemens venenato cultro ancipite, imum in ventrem intra ilia adacto, interemit. Ita Henricus, ultimus Valesiorum sanguis, qui Monachorum ordines præcipua semper veneratione coluit, postremò à Monacho interfectus est, justo utique Dei judicio, ulciscentis hac etiam ratione Parisiensem Lanienam, cujus Henricus Protestantes irreconciliabili odio ad ultimum usque vitæ spiritum prosecutus, eosdemque subdolè pace potiùs quàm bello labefactaturus deinceps, cùm parùm procedere vim animadverteret, præcipuus, in gratiam Lotharingorum, author suasorque extiterat.

Rex Venetorum consilio asperè ei respondet.

& mox à Clemente interficitur.

CCI. Quid verò etiam hic Sixtus ille, cruentas aliâs lachrymas fundere, & sanguinem sudare compertus? In Pontifice, Thuani ejusdem *Histor. lib. XCVI.* verba referam, *summè insolens, & pastorali moderatione indignum visum, quod de Clemente & Rege præconium ejus paulò post à fœderatis Lutetiæ publicatum est. Siquidē postquam de Regis morte Romæ al-*

Parricidium Clementis à Papa nefariè laudatum.

latum est, ille in Consistorio III. Eid. Sept. habito præmeditatam oratione habuit, qua factum Clementis operi assumptæ à Domino carnis, & resurrectionis ejusdem mysterio ab Habacuco vate prædicato, propter magnitudinem & rei admirationem, comparat, tum virtutem hominis, animi robur & ferventem erga Deum amorem supra Eleazarum & Judithan multis verbis extollit, ex eoq; colligit, hoc nisi certa Divinæ providentiæ ordinatione ac auxilio confici non potuisse; neque verò ipsum creditarum fuisse, nisi fidem ad obsequium Christi flexisset, qui ratione omnem fidem superante Parisiensem civitatem liberâsset, & gravissima Regis peccata punivisset, cumq; tam infausta morte è medio sustulisset. Se verò id antea animo providisse, ac Fousæ, Lenuncurio, Gandio Cardinalibus, & Pisanio Marchioni ipsius oratoris sæpius prædixisse, fore, ut quemadmodum esset familiæ suæ ultimus, ita aliquem insuetum & dedecorosum vitæ exitum habiturus esset. Itaq; indignis iis officiis, quæ Imperatoribus ac Regibus exhiberi solent, quippe S. Scripturæ authoritate prohiberi, ne quis pro eo; qui in peccato ad mortem, hoc est, in Spiritum S. commisso, quale Regis peccatum fuit, moritur, preces faciat. En peccatum Henrici, Guisios scilicet perduelles suos punientis, armis cum Navarro junctis pacem Galliæ parantis, at de cœtero Ecclesiæ Romanæ addictissimi; Protestantibus infensissimi, à Pontifice *peccati ad mortem & in Spiritum Sanctum* stigmate inustum! In Spiritum S. scilicet peccat, quisquis Papæ imperata, qualiacunque non promptissimè exequitur, & amicos ejus qualescunque illos lædit. Et dicta hæc etiam scripto comprehensa & publicata sunt. Cui scripto infami oppositus est liber, *Anti-Sixti* titulo, Latine; nec non Gallica Declamatio, *Fulminantis* nomine, *acerbior illa quidem*, ita prosequitur Thuanus, *sed tali oratione prorsus digna; quibus & Regis causa multis rationibus defenditur, & multa impia & absurda in illa Sixti oratione notantur; ad extremum superbo seni petulantia sua exprobratur, qui censuræ iniquissimæ fulmine in immeren-*

Scripta eidem Anti-Sixti, & Fulminantis titulo oppositæ.

rentem vibrato, funestissimam tragœdiam in Gallia excitâsset; & nunc jacenti summa impietate insultaret, & ipse lepus mortuo leoni barbam velleret.

CCII. Recognoverat idem Sixtus vel ejus potiùs jussu, alii, ad Typographiam Vaticanam deputati, S. Bibliorum versionem Latinam vulgatam. Ita enim in Tridentino Concilio decretum fuerat, sanciente etiam, *Sess. IV.* ut ita recognita in publicis lectionibus, disputationibus prædicationibus & expositionibus pro authentica habeatur, ita ut nemo illam rejicere *quovis prætextu* audeat. Ita fœtum in utero Tridentinis baptizare placuit. Neglexerunt tamen hactenus Pontifices decreto Tridentino facere satis. Primo Sixto huic res curæ fuit. Is recognitam Versionem edita, eique præfixa Bulla declaravit, Vulgatam sacræ tam Novi quàm Veteris Testamenti paginæ Latinam editionem, quæ pro authentica à Concilio Tridentino recepta est, sine ulla dubitatione ac controversia recipiendam, esse hanc ipsam, quam nunc, prout optimè fieri potuit, emendatam, & in Vaticana Typographia impressam, in universa Rep. Christiana, atque in omnibus orbis Christiani Ecclesiis legendam, evulget. Eam priùs quidem universali sanctæ Ecclesiæ ac S. Patrum consensione; deinde verò Generalis Concilii Decreto; nunc demum Apostolica sibi à Domino tradita authoritate comprobatam, pro vera, legitima, authentica & indubitata in omnibus publicis privatisque disputationibus, lectionibus, prædicationibus, & explanationibus recipiendam & tenendam esse. Eandem tamen editionem Sixtinam mox Clemens VIII. interpolavit, expunctis sententiis & vocibus, nec non restitutis passim lectionibus, à Sixtina discrepantibus, contrariis, contradicentibus, uti ad oculum Thomas Jamesius in bello Papali demonstravit. Neque etiam Bailius in Summa Conciliorum dissimulat, Cle-

Sixtina vul. gata versionis recognitio.

à Clemente VIII. rejectæ

mentem Bibliorum Sixti vulgatam editionem in multis emendatam, in pluribus emendatiorem edi curâſſe, mutatis, additis aut detractis aliquot verbis, aliis transpoſitis, nonnullis etiam apertam contrarietatem aut contradictionem habentibus. Quod nutantis infallibilitatis Pontificiæ ſpiritusque vertiginis, quo Pontifices illi ſe correptos prodiderunt, notorium ſpecimen prætereundum non fuit.

Sixtus Hiſpanis infenſior,

CCIII. Aliquid monſtri idem Sixtus alebat adverſus Hiſpanos, ut eos Italia, Regno inprimis Neapolitano, ubi creſcens eorum potentia ſuſpicionem nonnullam ipſi moverat, ſi qua pote, pelleret. Atque ambiviſſe ipſum eum in finem favorem tum Henrici IV. Regis Galliæ, tum Eliſabethæ Angliæ Reginæ, utriusque excommunicati licet, non deſunt idonei teſtes, qui affirment. Narrat id ipſum fuſiùs Eduinus Santis *de ſtatu Relig. in Occidente cap.* 29. Quodque utriusque & Henrici & Eliſabethæ virtutem ἡγεμονικὴν de mirari & ſuſpicere præcipuè teſtaretur paſſim, Hiſpanicæ factionis, ac Jeſuitarum inprimis acerrimum odium incurrit, à quibus etiam *Navarriſtæ* nomen ipſi impoſitum eſt. Proin etiam decretas adverſus Henricum fulminationes non ſolùm revocare, ſed etiam contra hoſtes ejus torſurum fuiſſe, ni mors præveniſſet, Henricus ipſe in Declaratione A. M. D. XCI. publicata, apud Thuanum *Hiſtor. lib. CI.* teſtatus eſt. Quinimò Hiſpanorum odio acceleratam ipſi mortem, his verbis Bartholomæus Moriſotus Divionenſis I C. *vitæ Henrici M. cap.* 17. teſtatur. *Cùm Hiſpani,* inquit ille, *ſenſiſſent ejus* (Sixti) *conſilia deſertionem factionis molientis: ne hoſti accederet, collum ejus tenui mantili implicitum per Monachum Franciſcanum, aut nefarium Monachali veſte de nocte compreſſum fuiſſe, continuato in mortem ſomno. Poſtero die Sixtum domeſticos dæmone ſtrangulatum totâ Româ vulgaviſſe. Et ut fidem rumori facerent, librum de ejus vita ſcriptum fuiſſe, typisq. mandatum, ubi ſcelera omnia, quibus Alexander VI.*

Henrici IV. & Eliſabethæ Angliæ gratiam ambit.

Unde ei mors ab Hiſpanis accelerata.

aſper-

aſperſus eſt, author & invenit & exaggeravit. Juſta ſcilicet ἀνταμοιβία fuit, ut qui Clementem Franciſcanum Henrici III. parricidam ad tertium uſque Cœlum extulerat, à Franciſcano altero die VII. Aug. M. D. XC. cæſus idem, ad generum Cereris deſcenderet. Reliquerat autem in theſauris, Onuphrioteſte, decem milliones, quos ad Regnum quodpiam ad Romanæ Sedis obedientiam reducendum erogari juſſit, Succeſſoribus juramento ad id adactis. Neque tamen venales adeò Regni totius animas Mercatores illi reperire potuerunt.

CCIV. Galliæ Regno Evangelii luce orbando inſudatum tum inprimis eſt, cùm Henricus Navarrus, legitimus hæres, Regni illius habenas capeſſens veritatis ſuſceپturus patrocinium viſus eſt. Tum enim Gregorius XIV. non tantùm Pontificiorum in Gallia partes miſſo exercitu, cui Nepotem ſuum Herculem Sfondratum *Eccleſiæ Generalis* titulo præfecit; conſumptis, quas Sixtus in ærario reliquerat, propriisque etiam, uti Carriere *Chronol. Pap. pag.* 83. teſtatur, pecuniis, bello adjuvit: ſed etiam cùm armis nihil ſe proficere poſſe, victore ſemper Rege, expertus eſſet, ſolemnia inſaniens ad diras ſe convertit: monitoriisque Româ miſſis denuò Henricum maledictis onerat, & adverſus ipſum ſubditos, obſequii religione ſolutos, inſtigat; miſſo etiam in Galliam Marcellino Landriano, cum mandatis acerbitatis plenis, qui cum Eccleſiaſticis, qui à Regis partibus ſtabant, niſi eum protinus relinquerent, horrendi carminis lege ageret, Nobilesque, ut eum quamprimum deſerererent, & ſe cum Catholicis Unioni fœderatis conjungerent, moneret. In Gallia contra Senatus conſultum factum eſt, audito & poſtulante cognitore Regio, & pro eo perorante Antonio Seguierio, quo Monitoria Romæ facta declarantur *nulla, abuſiva, ſeditioſa, damnanda, impietatum & impoſturarum plena, ſanctis decretis, juribus,*

Gregorius XIV. Henricum IV. perſequitur.

diriguæ decernet.

Monitoria ejus in Gallia ſpreta.

juribus, immunitatibus, libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ contraria; decerniturque simul, ut exempla eorum sigillo Marsilii Landriani firmata, & à Sextilio Lampineto subsignata à carnifice publicè lacerentur, & ante Palatii, in quo jus dicitur, portam igni consumantur: interdicitur sub perduellionis pœna, ne quis Episcopus, curio, vicarius, aliúsve è sacro ordine ea publicet, aliis item, cujuscunque conditionis sint, ne iis pareant, aut habeant, ac penes se retineant. Prohibitumque sub iisdem pœnis, ne quis deinceps aurum argentúmve Romam mittat, aut per mensarios numerari curet ad obtinenda mandata; & si quæ impetrata fuerint, ne judices eorum rationem habeant. Edictum, quin etiam, ut Landrianus se pro oratore Pontificis gerens, mandatorum illorum lator comprehendatur, & in jure sistatur, ex vinculis causam dicturus. Eodemque Senatusconsulto Gregorius Pontifex ipse, *publicæ pacis, Unionis Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ, Regis, Regnique hostis, conjurationis Hispanæ particeps, rebellium fautor, immanis, detestandi & inhumani parricidii per proditionem contra Henricum III. Christianissimum & verè Catholicum Regem patrati reus* declaratur. Sed & Præsules ipsi Galli, qui in Regis comitatu erant, nominatim etiam Carolus Borbonius & Philippus Lenuncurius Cardinales, Reginaldus Belnensis Archiepiscopus Bituricensis, &c. ad omnes Regni Ordines Pontificios decretum miserunt, in quo inter alia queruntur, *Gregorium Papam malè de Regni statu instructum, mandata quædam monitoria, suspensiones, interdictiones, excommunicationes misisse non solùm contra Præsules, sed etiam Principes, Nobiles & Franciæ populos, qui rebellium partes sequi noluerunt.* Ajuntque, post maturam consultationem, ex authoritate S. Scripturæ, sanctorum decretorum, Conciliorum generalium, Canonicarum constitutionum, perpensis Sanctorum Patrum exemplis, juribus & libertatibus Ecclesiæ Galli-

Sanctumque ne aurum vel argentum ex Gallia Romam deinceps ullum inferatur.

Gallicanæ interdictiones *tam in forma quàm in materia nullas, injustas, & hostium Franciæ suggestione factas* declarant. Fusiùs hæc apud Thuanum *Hist. lib.* CI. legere est.

CCV. Neque curam eam pervertendi universum Galliæ Regnum, sequentes etiam Pontifices deposuerunt; Clemens VIII. in primis, cujus consilia in eo maximè steterunt, ut exauthorato Henrico Rege Pontificiis bona fide addictus aliquis Galliæ imponeretur. Igitur conjuratos Galliæ pecuniis juvit, Regemque ipsum tertiùm excommunicat, publicata per Galliam Bulla: à qua Parlamentum provocans Majestatis reos, quotquot ei obsequerentur, declarat. Tandem Rex tutiùs regnandi cupidine victus, simulque Pontificis & Hispanorum molimina elusurus, à Nobilitate persuasus abnegata religione vera Pontificiam amplexus, die XV. Jul. A. M. D. XCIII. nudis pedibus cum candela S. Dionysii Templum ingressus, ab Archiepiscopo Bituriensi absolutionem impetrat. Neque tamen vel sic acquievit Clemens indignatus non parùm, quòd conatus suos in irritum cadere animadvertisset, & se inconsulto absolutionem Rex impetrasset. Nihilominus die XVII. Febr. A. M. D. XCIV. Henricus Carnuti Rex coronatur, & à Parlamentis talis agnoscitur proclamaturque, etiamsi Pontifex in Ecclesiam eum recipere gravaretur. Quòd tamen à Pontifice nondum absolutus esset, Johannes Castellus, in Schola Jesuitica literis imbutus, vitiis monstrosis supra ætatem; (nam novendecim tantùm annos egerat malitiâ Senex recoctus,) obrutus, conscientiæ terroribus in salutis desperationem incidens, audito non semel à Sodalibus Jesu ita dictis, *non impunè duntaxat Regem interfici posse, sed plurimum etiam id ad religionis causam conducere*, interficiendi Regis consilium cepit. Sed aberrante, qui in gulam dirigebatur, ictu, culter in maxillam inferiorem incubuit, & dente tantùm rupto, neque

Henricus Pontificum odiis succumbens,

religionem Evangelicam ejurat,

& Carnuti coronatur.

Ejus jugulum à Castello Jesuita conscius frustrà appetitum.

ultra penetrans, obtorpuit. In nervum raptus ſicarius, ſcelus confeſſus, in Jeſuitarum Schola ejus patrandi licentiam, ſpe etiam facta pœnæ æternæ damnationis, quam ob alia horribilia delicta commeruerit, aliquatenus levandæ, ſe didiciſſe affirmavit. Ita ſimul de reo ſumptum ſupplicium; ſimul cùm juxta illud Thucydidis *lib. 3. οἱ ἄρχοντες παρανομῶσι μᾶλλον τῶν ἑπομένων*, *authores plus peccant quàm actores*; adverſus Jeſuitas Senatus conſultum factum eſt, ut Scholæ Claromontanæ Sacerdotes ac diſcipuli, & alii omnes, qui Societati illi nomen dediſſent, tanquam *juventutis corruptores, publicæ tranquillitatis perturbatores, Regis Regnique hoſtes*, intra triduum à die denuntiationis Lutetia, aliiſque urbibus, in quibus ludos aperuerunt, faceſſant, & quindecim diebus poſt Regno prorſus excedant; nî paruerint, in eos tanquam Majeſtatis læſæ reos animadvertatur; bona eorum tam mobilia, quàm ſoli ad opera pia deſtinentur, eáque arbitrio curiæ diſtribuantur. Ad extremum interdictum cunctis Regni ſubditis, ne ad ſcholas ſocietatis illius extra Regnum pueros literarum diſcendarum cauſa mittant, pœna perduellionis in eos, qui contra fecerint, ſancita. Atque Senatus conſultum iſthoc aureis literis pyramidi ruinis paternæ Caſtelli domus ſuperſtructæ, futuro infamiæ illorum monumento perenni, inſcriptum eſt. Ex Gallia profugi in Polonia & Boruſſia plebem Evangelicis Proceribus ſubditam in Dominorum perniciem, promiſſa impunitate, concitant. Tandem exacto decennio intercedente pro iis Clemente Papa, importunéque etiam inſtante Laurentio Majo, ejuſdem Societatis primipilo, per jocum ſubinde Regi exprobrante, *ſegniorem eum eſſe mulieribus, quæ per novem menſes uterum geſtant*; (cui facetè Rex reſpondit, *Reges diutiùs quàm fœminas parturire*) in Mariæ Mediceæ Henrici Conjugis gratiam, reſtituti in Regnum, multum reſiſtente Parlamento licet

Jeſuitæ ex Gallia proſcripti,

poſt decennium, in Pontificis & Mariæ Mediceæ gratiam, in eas poſtliminio admiſſi ſunt.

(cu-

(cujus contra reſtitutionem illam orationem apud Cel. Hoſpinianum *Hiſtor. Jeſ. pag. 96. 97.* &c. legere eſt) poſtlimi-nio redierunt; pertexturi ſcilicet, quam nefariè cœperant, parricidii telam. Interim Clemens Papa, pœnitentia re-tenti diutius Regis doctus, & gravioris mali metu conci-tus, Regem, cujus procuratores miſſi genubus Papæ ad-voluti, errores ejus vice ejurârunt, obedientiamque pro-miſerunt; cantato Pſalmo LI. ad cujus ſingulos verſicu-los Papa virgula quaſi vindicta, qua ut olim ſervi apud Romanos manumittebantur, ſic hodie peccatis nexi abſol-vuntur; leviter ſupplices cernuóſque procuratores Re-gios feriit; ex ſolio ſurgens, apertóque capite ſolennibus orationibus recitatis, & denuo in ſolio, recepta tiara con-ſidens, & judicis ritu ſententiam alta voce pronuntians, authoritate omnipotentis Dei B. B. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſuáque à vinculo excommunicationis, hæreſcóſ-que culpa abſolvit. Neque ſic tamen in tuto collocata eſt Regia ſalus; machinantibus ejus interitum continuè ho-ſtibus ejus, donec magno cum exercitu ſtans in procinctu, ut Germanos fœderatos juvaret, Die IV. Maji, A. M. D. C. X. à Ravaillaco Engoliſmenſi horribili parricida, ictu ge-mino ſub quintam coſtam illato, in curru ſedens interfe-ctus nefariè eſt. A ſupremæ authoritatis judicibus, de cau-ſa ſuſcepti parricidii interrogatus ſicarius, cùm in reorum ſellula ſederet, non per ambages & ænigmata, ſed liquidò & diſertè reſpondit: ideo ſe, quod feciſſet, feciſſe, quia Rex Proteſtantibus Germaniæ Principibus in cauſa Clivenſi opem ferre paratus, Pontifici maximo rem face-ret ingratam; ac proinde dignus eſſet, qui periret. Deum enim ſe in terris Romanum Pontificem agnoſcere; cujus voluntati qui ſeſe quovis pacto opponeret, eum ſe habe-re *ἀυθονατάκριτον* & exitio devotum. Ipſiſſima feralis illius prodigii verba ſunt: *Papa eſt Deus, & Deus eſt Papa.* Quod

Henricus Pœnitentiſci reconciliatus.

à Ravaillaco, Jeſuitarum pulſo, perimitur.

illum, cætera rerum omnium maximè ignarum in Jesuitarum Schola, ceu Catilinarum seminario, didicisse, dubitatum à nemine est. Tametsi enim obfirmatus animo ad dirissimæ mortis patientiam, & perfecti sceleris recordatione lætissimus, criminis commissi complices nullos prodidit: suasoribus tamen conscisque Jesuitis patratum esse nefas, manifestis indiciis Anti-Cottonus, seu Author refutationis literarum Cottoni Jesuitæ ad Reginam viduam, demonstravit. Saltem per Jesuitarum hypotheses ad committendum parricidium inductum fuisse, neutiquam ambiget, qui Marianæ de Institutione Regis librum, quo assa voce pronuntiat, *licere Regem suum tyrannum* (tyrannus autem ei est, quisquis clitellarium Papæ mancipium non est) *occidere:* vel Apologiam Franciscí de Verona pro Johanne Castello aliósque volverit.

Fœdus sacrum, Clemente Pontifice Coryphæo, Pontificios inter Principes adversus Protestantes initum.

CCVI. Clemente & Pontifice & coryphæo, connitentibus Jesuitis, *Fœdus Sanctum* inter Monarchas & Principes Pontificios ad extirpandos Evangelicos, callidóque consilio coaluisse, Author speculi Consiliorum Hispanicorum prodidit. Nomen fœderi dederant Principes Pontificii omnes, excepto M. Duce Hetruriæ, & Henrico Galliæ Rege, de quo Clemens crebrò dictitavit, *artificiosum eum nimis esse, neutrique parti addictum.* Constitutum præterea Romæ fuit, annuente etiam Cæsare, ut in omnibus civitatibus Imperii alerentur Jesuitæ, arma adversus Evangelicos occultè fabricata, juventuti dispertituri, & Hildebrandinam Bonifacianamque doctrinam, fatalem Ecclesiæ, funestam Principibus, etiam senibus instillaturi. Sed & geminus Senatus erectus, quorum alteri *Congregationi de propaganda fide*; alteri *Congregationi sacri fœderis* impositum nomen est. Singulis novem Cardinales, totidemque Consiliarii, frequente cœtu coituri, & consilia opprimendorum Protestantium, bellíque auspicandi sacri

Congregatio gemina de propaganda fide, & sacri fœderis erigitur.

ri inituri, præfecti sunt. Decretum simul, ut eodem tempore Geneva & Argentoratum infestis armis impetantur, ad faciendum de consilio & viribus Protestantium periculum. Et anno quidem seculi hujus primo Cæsar Cardinale Dietrichsteinio Romam misso, fœderis illius executionem promisit, simulque in Styria jam initium factum renuntiavit. Extat liber, authore Johanne Regio A. M. D. C. IV. Francofurti ad Mœnum impressus, quo sævissimæ & immanis persecutionis à Carolo & Ferdinando Archiducibus Austriæ, Jesuitis obstetricantibus, in Styria, Carinthia & Carniola, excitatæ, oppressæque in iis locis per vim injustam Ecclesiæ, historia tragice pertexitur. Paucis eandem historiam Thuanus *Histor. lib.* CXXIV. retulit. Viennæ in Austria libri etiam Evangelicorum exusti sunt. In Ducatum quoque Bergensem eadem vis penetravit.

Executio fœderis à Styria, Carinthia, Carniola initium capit.

CCVII. Sed & intestina dissidia eodem tempore Romanam Ecclesiam exercitam habuerunt. Jesuitici enim sodales fiducia seu doctrinæ, seu, qua plurimum ubique pollebant, authoritatis, quæstiones aliquot proposuerunt, quæ magnæ animorum commotioni non solùm Romæ, sed quacunque Romanæ religionis patebat ditio, præbuerunt. Inter alia ab iis assertum, *Clementem VIII. tunc Romæ sedentem, credere legitimum B. Petri successorem, non esse ex articulis fidei.* Id verò, nisi Philippicus Orator interveniisset, periculum non mediocre toti societati importaverat. Addebant, *Confessionem, quæ inter Sacramenta Ecclesiæ habetur, per epistolam & præcursores peragi posse.* Sed duæ quæstiones jugulum Pontificis petere, & culinæ nidorem pertentare vitæ, statim in herba magno consensu suffocatæ sunt. Tertia verò, de gratia Dei cum libero arbitrio in nobis ad salutem cooperante, pertinaciùs doctorum ingenia exercuit. In partes autem venerunt Jesuitæ & Prædicatores, primò Salmanticæ & Valliſoleti, tum Romæ, de-

Intestina Romanam Ecclesiam dissidia exorsi sunt, ob quæstiones à Jesuitis motas, de Papa, Confessione, & gratia actuali & libero arbitrio. Cujus postrema inter Jesuitas & Do-

minicanos diu agitatæ historia texitur.

demum in Belgio, aliisque Europæ Provinciis. Et Jesuitæ quidem in publicis disputationibus Salmanticæ habitis gratiæ Divinæ prædeterminationem, ceu inimicam prorsus libero hominis arbitrio, hostiliter exagitaverant. Doctrinæ eorum ceu *novæ & priùs inauditæ*, Dominicus Bannes, primarius tum Salmanticæ professor, generosè se opposuit, ita prædeterminationem gratiæ vindicans, ut simul modum ostenderet, quo illa cum hominis libero arbitrio in gratiam reduci valeat. Jacto hac ratione in medium contentionis pomo, non acquiescere Patres societatis, sed contra audentiùs ire. Et Ludovicus Molina quidem Lojolæ sodalis libro edito Bannes doctrinam maximo studio oppugnavit. Molinæ paulò post succollavit Anthonius de Padiglia, Vallisoleti Theologiæ Professor, publicis conclusionibus Molinæ doctrinam, ceu probabilem defendens. At Bannes ejúsque asseclæ rem primò ad Senatum Regium, mox evocato ex Hispania Romam Francisco Suarezio, Dominicanorum sententiæ fibulam imposituro; ad Clementem VIII. deferunt, cujus jussu primò in Comitio Cardinalium, deinde coram ipsomet hac de re ab utriusque familiæ Theologis disputatum est. Vix tandem post plura hinc inde publicata scripta, ex Concilii Tridentini verbis; in quo tamen quæstio minimè agitata fuerat, interpretatione adjecta, à Pontifice controversia ita composita est, ut eam non motam ab initio optâsse ostenderet, & in ea decidenda nihil existimationi eorum, qui eam moverant, detractum vellet. Clemente è vivis sublato, controversia sub Paulo V. recruduit, qui tandem decrevit, ut utriusque sententiæ authores suam sententiam, citra ullam tamen adversæ partis censuram, defenderent, donec aliquid ea de re ab ipso vel ejus successoribus statueretur. Cæterùm nec ipse, nec Successorum ejus quisquam ausus est decretoriam sententiam fer-

re,

re, metu prævalidarum partium, quarum alterutra, Jesuitarum inprimis factio, Pontificiam authoritatem lædere posset. Creverunt sic in immensum dissidia, & animorum efferbuit exulceratio manifesto schismate, in re gravissimi momenti, in qua gratiæ & gloriæ Divinæ cardo vertitur, quando etiam factiosis nominibus (Jesuitæ enim Præscientistarum, Dominicani Prædeterminantium nomine venerunt) discreti sunt, & hodiéque discernuntur. Salmanticensis Academia omnes jurisdictioni suæ subjectos, in Augustini & Thomæ verba, ringentibus Jesuitis licet, conceptis verbis adigere solet. Utramque sententiam nequaquam conciliare conatus est Franciscus de Arriba, in opere conciliatorio Gratiæ & liberi arbitrii. Verùm ejus conciliatio, teste Camerario Scotista, *tam improbabilis fuit, ut præter ipsum, patronum nullum, hostes omnes invenerit.*

CCVIII. Ex seminario Anglorum, quod Guilhelmi Alani Angli suasu, à Gregorio XIII. Romæ constitutum supra diximus, Jesuitarum cura sensim in Anglia novi Sacerdotes Angli, in eo seminario ad artes omnes explicandas ficti factíque ac cum iis etiam Jesuitæ prorepserunt, qui non solùm in confirmandis Pontificiorum in Anglia reliquiis sedulitatem maximam adhibuerunt, sed etiam, quod Archiepiscoporum & Episcoporum nomina, dignitates & bona in eo Regno Elisabethæ auspiciis penes Protestantes esse dolerent, secretam Hierarchiam ordine subsidiario constituerunt, in eoque Principatum, tanquam à Pontifice delegati, sibi sumpserunt. Hierarchiam illam Alanus, ob zelum reducendi in Angliam Papatus, in Collegium Cardinalium à Sixto V. cooptatus; eóque mortuo Franciscus Toletus ex eodem sodalitio in Cardinalium Collegium allectus, rexerunt. Occulta tamen dissidia & æmulationes Jesuitas inter & seminarii alumnos, Sacerdotes,

Sacerdotes è Romano Seminario egressi, & Jesuitæ in Anglia secretam Hierarchiam constituunt.

Occulta inter alumnos seminarii & Jesuitas dissidia.

tes, quorum utrique imperium in Hierarchia illa affectârant, gliſcebant, quæ poſt mortem Toleti in nervum etiam eruperunt, Sacerdotibus Anglicanis à Veſtono, Roberto Parſono, Blacwello, apud Pontificem ceu ſchiſmaticis accuſatis, gravibúſque probris oneratis. Acerbiſſima hæc Sacerdotum Jeſuitarum & Anglorum digladiatio cùm quadriennio integro durâſſet, editis acribus adverſus invicem, Jeſuiticæ cum primis ſocietatis inſtitutum, libellis, ægrè tandem à Clemente VIII. compoſita eſt, diplomate ad Georgium Blacwellum Archipresbyterum, qui turbis his inprimis occaſionem dederat III. Non. Oct. A. M. D.C.I. miſſo, quo inter alia ei injunctum eſt, ut nulla negotia ad adminiſtrationem ſuam pertinentia cum Provinciali Societatis Jeſuiticæ, aut cum viris religioſis ejuſdem ſodalitii per literas, aut coram communicet, ſed de iis omnibus ad Pontificem & Sedem Romanam, aut Protectorem referat. Agnoviſſe Clementem infructuoſos in eo Regno conatus, nimiámque pertinaciam ad rei Pontificiæ perniciem vergentem Thuanus *Hiſtor. lib.* CXXVI. ubi diſſidii illius narratio prolixa extat, teſtatur.

Conſpirationes & molimina varia adverſus Eliſabetham reginam Angliæ.

CCIX. Contra Regnum idem Angliæ, cujus ceu *horti deliciarum pro Papis, & putei inexhauſti* (uti quondam venuſtè Angliam Innocentius IV. nominavit) jactura, inſanabilem Pontificibus dolorem attulit; Eliſabetham cumprimis Heroinam, ſacrum illud ſuperis caput, concatenatæ ferè conjurationes, architectis ut plurimùm Jeſuitis, tentatæ, ſed præſentiſſimo Numine diſcuſſæ ſunt. Proſtant Acta publica Garnetti Jeſuitæ, in quibus manifeſtæ veritati datur, à primo Jeſuitarum in Angliam ingreſſu quadriennium integrum nunquam effluxiſſe, quin conjurationes, turbas, ſeditiones, parricidia in perniciem Regni Jeſuitæ machinati ſint. Ita enim A. M. D. LXXXVIII. ſupplicium ſumptum eſt de Guilhelmo Parrio, qui conſciis

& ſuaſoribus Jeſuitis Lugdunenſibus, aliiſque Reginam Eliſabetham è medio tollere pluribus vicibus tentans, Mariæ Scotorum Reginæ ad Regnum Angliæ viam ſternere conatus eſt. A. M. D. LXXXVIII. ingens Hiſpanorum claſſis centum quinquaginta octo navibus bellicis conſtans, quamque benedictione ſua Sixtus V. dignatus eſt, & *invicta* inſuper *claſſis* nomine inſignivit; in Angliam transfretatura, ſed ἀπὸ μηχανῆς horribiliter diſſipata & perdita, prænuntios prævioſque Jeſuitas habuit. A. M. D. XCII. Patanius Cullen, inſtigante Jeſuita Holte, peccatorum remiſſionem & Euchariſtiam impertiente, facinoríſque dignitatem & meritum extollente, furiali face armatus ejuſdem Reginæ vitæ inſidias ſtruxit. Eodem Holte aliiſque Jeſuitis ſuaſoribus A. M. D. XCIV William & Jarke in Reginæ caput conſpirârunt. A. M. D. XCVII. Richardus Walpot Jeſuita Hiſpanus Eduardum Squirre ſubornavit, qui Reginæ ſella Regia veneno inuncta, eandem interimeret. A. M. D. C. I. Henricus Garnettus, Jeſuitarum in Anglia Provincialis, Robertus item Teſmondus, Catesby, aliíque Thomam Winterum in Hiſpaniam ablegârunt, cum literis ad Grenwellum Jeſuitam, mandatíſque, ut Regi Hiſpaniæ author ſit exercitum transmittendi in Angliam, conjuncturum ſe cum reliquis in Anglia Pontificiis, & Reginam Proteſtantéſque omnes παμφαλεῖ oppugnaturum. Clementer auditus Winterus, & promiſſis lactatus, plenus bonæ ſpei ad Cleones ſuos in Angliam rediit. Juvitque conjurationem Clemens Papa, miſſis duobus in Angliam Brevibus, quibus jubebantur omnes Pontificii operam dare, quantum in ipſis eſſet, ut poſt Eliſabethæ obitum *Rex eligeretur, omni ſanguinis propinquitate ſpreta, ad Religionem Catholicam bene affectus.* Duo in eandem ſententiam Brevia lutea ab eodem Clemente, ſub extrema vitæ Eliſabethæ tempora, Garnetto tranſmiſſa ſunt, quo-

rum alterum Archipresbytero & reliquo Clero Anglicano erat inscriptum: alterum Principibus & Nobilibus Angliæ Catholicis, ut communi omnium opera negotium procurarent, si qua forte perduci ad exitum posset. Post obitum Reginæ statim atque Successor ejus Jacobus VI. Scotiæ Rex Regnum intravit, quæsitissimis insidiis appeti cœpit. Nondum coronatum Watsonus & Clercus, Sacerdotes seculares, A. M. D. C. III. machinatione clandestina tollere de vivis aggressi sunt. Qui capti & tortura interrogati constanter affirmârunt, se, cùm sua consilia Jesuitis communicâssent, petiissentque dignarentur venire in partes præclari adeò facinoris, hoc responsum tulisse: *Non posse Jesuitas sese illis adjungere, ut qui suam ipsi parilem telam orsi, memorabilem in omne ævum technam pararent, tempore opportuno exitum habituram; pergerent modò illi in hoc suo instituto, & rem agerent strenuè:* ad pulverariam, de qua mox dicturi sumus, conspirationem digitum intendentes. Paulò ante ἐκβεβοὴς Zelotarum Anglorum petitiones per Christophorum Wrigthum ad Regem Hispaniarum delatæ sunt, obsecrantes, ut copias suas in Angliam ad Milfordum portum submitteret, ubi Angli Pontificii eas præstolaturi, & è Belgio Spinola cohortes suas conjuncturus sit. Quibus tamen precibus Hispaniæ Rex vacivas aures ampliùs non substrinxit, eò quòd in Angliam Legatum cum novo Rege de pace tractaturum jam misisset.

& Jacobum VI. præsente Numine dissuasa.

CCX. Ante verò quàm conjurationum hanc seriem prosequar ulteriùs, omittere non possum Clementis adversus Elisabetham molimina, quæ perfidiâ homine quolibet, nedum Pontifice Christi vices professo indignissimâ, cumulavit. Scribit enim non nostratum quispiam, sed Cardinalis Ossatus ad D. de Ville Roy *Epist.* 87. Pontificem hunc ursisse Regem Galliæ Henricum IV. ut in Angliæ occupatione se Hispano jungeret, regerentíque inter alia Car-

Clementis de fide tutò à suprems Principibus violanda doctrina perfida.

Cardinali, Regem Anglorum Reginæ juramento teneri, respondisse, *juramentum fuisse præstitum hæreticæ, sed alio juramento illum Deo & Papæ teneri.* Addidisse dein, *Reges & alios Principes supremos sibi omnia permittere, quæ ad emolumentum suum redundarent: & eò usque rem processisse, ut id eis non imputaretur aut vitio verteretur*; allegato insuper dicto Francisci Mariæ, Ducis Urbini, *ab unoquoque quidem nobilem virum, vel etiam magnatem, qui supremus non esset, culpari, & infamem haberi, qui fidem non servaret: sed posse Principes supremos fœdera sancire, & ab iisdem resilire sine famæ periculo, mentiri, prodere, & alia similia perpetrare.* Cui non hic in mentem veniat illud Poëtæ?

Accipe nunc Danaum insidias, & crimine ab uno
Disce omnes.

CCXI. Anni demum M.D.C.V. mense Novembri patefacta est conjuratio cum inhanitate & furore cerbereo conjunctissima, quam è re *pulverariam* vocant. Scelus humanam fidem omnem supergressum, utpote cujusmodi post homines natos nemo unquam vel fando audivit, vel animo agitavit, vel quisquam cacodæmon hactenus molitus est. Cùm enim furiæ nonnulli, zeli infernalis fervore sideravi, deprehenderent, spem illam de igne cœlitus deducendo decollasse; nec ipsos præteriret, ejusmodi petitionem jam olim, dum Christus in terris agitaret, repulsam tulisse; statuerunt alium ignem, ab archipyrobola Sathana subdolè impetrare, &

Flectere cùm nequeant Superos, Acheronta movere.

Planè ex indubitatæ fidei actis publicè editis intelligitur, Catisbejum, dramatis hujus primum auctorem, statim ut de Rege Jacobo armis pellendo, & auxiliis Hispanicis, spes est amissa (altero autem tertióve mense ab ejus adventu ea spes decollavit) nulla interjecta mora à vi aperta ad dolos & Sinonias artes sese contulisse. Non igitur

Conspirationis pulverariæ adversus Parlamentum Anglicanum historia narratur.

hunc vel illum aut singulos carpendos, sed universos simul & eodem tempore conspiratione amplectendos censuit. Sic enim rationes subduxit, Regem solum multis modis tolli posse, sed nihil agi superstite Principe & Eboraci Duce. Rursus iis sublatis parùm profici stante Senatu tam vigili, tam ad omnes casus intento. Et ut Senatus aut præcipui ex eo tolli possent, superare Magnates Regni, tot prudentes viros, tot præpotentes Comites, eidem religioni addictos, quibus obsisti vix posset, & qui authoritate sua, opibus & clientelis pares essent, si casus ferat, ipsi per se rebus suis instaurandis. Non igitur per spiramenta, sed uno ictu cunctos absorbendos, & simul ac semel tam laudabili conatu, ut ad exitum perduci possit, defungi oportere. Diu recoctum consilium ita se exequi posse Catisbejus speravit, si intra Parlamentariæ domus, in qua coactis Comitiis Rex, unà cum familia mascula, secretioris consilii Episcopis, Proceribus, Nobilitate Anglicana, primariis Magistratibus, & inferiore loco ex Provinciis, civitatibus, oppidis, municipiis, pagis denique delegati, sapientissimi consultissimique viri, conventuri erant; parietes, cuniculo acto, equus Trojanus, non bellicosis Græcis, ut olim, refertus, sed infernali pulvere nitrato tormentario, cadis unà cum ferramentis & ingentibus saxis, incluso, oppletus introduceretur, eóque succenso ille totius Angliæ flos illibatus ejusdem ruinæ ruderibus involutus, uno impetu, diffaretur, & in æra impulsus membratim frustillatimque (ô crudelitatem!) discerperetur. Consilium ferinæ crudelitatis mox ille Thomæ Percio Comitatus Northumbriæ gentili verbis, ad persuadendum efficacibus, aperuit, ejusdemque exequendi rationes pari artificio proposuit. Nec abnuit Percius, qui statim ædes loco vicinas & ad cuniculum agendum peropportunas conduxit. Indicta anno superiori

Co-

Comitia in Februarium ſequentem A. M. D. C. V. rejecta fuerant. Medio tempore Thomas Bates, Catisbeii famulus, homo manu promptus, & cui multum herus tribuebat, ex ſuſpicione in facti conſcientiam aſcitus, cùm initio rei atrocitate permoveri videretur, ad Jeſuitam Teſmundum, qui & Grenwellus vocabatur, remiſſus, & ab eodem perſuaſus, ac rei merito demonſtrato, ad executionem mirum in modum confirmatus eſt. Poſtea Robertus Keies, & poſt eum Ambroſius Rookwodus, & Johannes Grauntius conſilii participes facti ſunt. Decembre A. M. D. C. IV. opus ſubterraneum inchoatum eſt, Chriſtophoro Wrigthio, & paulò poſt Roberto Wintero, Thomæ fratre, in ſocietatem aſſumpto. Sæpe intermiſſo, ſæpe repetito opere, tandem cuniculus ad Curiæ murum perductus fuerat; ubi nova ſe difficultas, ob muri duritiem, & trium ulnarum craſſitiem, ſe offerebat, paucis diebus ad Comitia reſtantibus. Jam pertinacia operariorum medium murum pene pertuderat, & non deficientibus animis ſolum tempus defuturum videbatur, cùm Comitia in Octobrem menſem dilata ſunt. Tum deſperatio in gaudium vertit, cum certa rei exequendæ fiducia. Dum verò murum alacriter pertundere pergunt, obſervatum, ſtrepitum ex altera muri parte audiri, eò miſſus Guido Fauxius, ut cauſam inquireret, renuntiat, cellam ibi ſubterraneam eſſe, inde removeri carbones, defuncto eo, qui cellam in eos uſus conduxerat. Igitur conjurati hanc cellam commodiorem rati, [illegible]ra Percii, ut alteras ædes locant, & in illam omnes opes, omnes ſpes ſuas conjiciunt: ob loci opportunitatem inprimis, utpote qui throno Regali ferè ſubjectus erat. Pulvis nitratus per otium in cellam eam ex ædibus Catisbeii, è regione Curiæ, ubi ſummo ſtudio antea congeſtus fuerat, doliis triginta ſex magna lapidum & lignorum ſtrue contectis, convectus eſt. Denique jam parata

erant omnia, & scena ultimum actum expectabat, cùm justo Dei judicio quidam ex iis, dum alteri salutem adferri cupit, sibi ac sociis suis exitium accersivit. Decem ad Comitia dies supererant, dum Saturni die sub vesperam literæ incerto auctore, incognito latore, ad Montaquilium regulum tanquam ab amico deferuntur, quibus monitus is est, ut primo Comitiorum die à conventu biduum se abstineret; magnum enim & inopinum malum congregationi imminere, terribilem ictum sensuræ, nec percutientem visuræ. Quid faceret Montaquilius, diu incertus, pensitato Regis periculo, nihil contemnendum, & quicquid erat, secretos Regis consiliarios minimè celandum, judicavit. Factum igitur ab eo indicium Roberto Cœcilio, Sarisburii Comiti, & ab hoc Carolo Howardo, maris præfecto, Worcestrienſi & Northomptonienſi Comitibus, atque demum Regi ipsi (cujus in obscurè dictis animadvertendis perspicax ingenium, & in ambiguis extricandis felicem conjecturam sæpius se expertos Consiliarii ajebant) ex venatione reduci, qui lectis literis ad Montaquilium exaratis, & expensis verbis illis: *Terribilem conventus iste ictum sentiet, neque videbit percutientem*, subodoratus primus est, subitum à pulveris tormentarii ictu exitum his verbis designari. Perlustratis die Lunæ, quæ proximè Comitia antecedebat, sub vesperam à magno Camerario & Montaquilio Curia & vicinis locis, in cella subterranea lignorum, fascium, carbonum strues deprehensa est. Rogatóque Wineardo, Regiarum ædium custode, in quem usum illa essent comportata, à Percio conductas ædes cum cella, & acervum illuc congestum, didicere. Præterea astantem in cellæ angulo Fauxium cum efferato desperati ac perditi nebulonis vultu conspicati, Percii domesticum, & illarum ædium per Percii absentiam custodem esse, ex ipsomet intelligunt. Quibus perceptis indiciis iterum concubia

cubiâ nocte perveſtigatione facta, denuo Fauxius veſtitus & occreatus ante ædes offenſus captúſque & amotis in cella lignis ac carbonibus triginta ſex diverſæ magnitudinis dolia pulvere nitrato repleta; denique veſtibus Fauxii excuſſis fomenta & tres funes canabei, quibus lenta flamma alitur, inventa ſunt. Interrogatus Fauxius, in flagitio deprehenſus, re deſperata, quam negare non poterat, crimen ultrò confeſſus eſt, & interrita facie inſuper addidit, bene quæſitoribus eveniſſe, quòd ſe ante ædes, jam cella egreſſum, in qua erant parata omnia, offendiſſent. Nam ſi intus eum nacti eſſent, non commiſſurum, quin ſe cum illis immiſſo igne contumulâſſet. Patefactis inſidiis, conjurati huc illuc diverſi abeuntes, Holbechi ad Stephani Littetonii ædes in Staffordiæ finibus conveniunt: quò etiam aliunde complices, detectæ rei ignari, veniunt. Cúmque magnum in loco ibi condicto exercitum ſe aggregaturum factionis Duces confiderent, re ex animi ſententia perfecta, novam prorſus Angliæ faciem inducturum, & ſemel rectè placita ſacra aboliturum, non niſi centum in armis comparuerunt, qui à Regiis cum valida manu ſuperveniente cincti, cùm evadere non poſſent, & pulvere ſulphureo, qui ad ſiccandum prope ignem poſitus erat, ſcintilla eò delapſa inflammato, obſeſſorum facies, latera, brachia, manus tam ſubito amburente, ut tractandis armis plerique inhabiles redditi, animos cum viribus amiſerint: Catisbejus & Percius glande plumbea transfoſſi, utrique Wrigthii interfecti, Thomas Winterus, Grauntius, Digbejus, Rookwodus, Bates; & alio profugi latitanteſque Treſhamus, Robertus Winterus & Littetonius capti, & rei ſeriem, ſicuti eam ex actis à viris doctiſſimis, Aug. Thuano *Hiſtor. lib.* cxxxv. & Iſaaco Caſaubono, cujus Londini in aula apud Regem agentis Epiſtola ad Jeſuitam Frontonem Ducæum exarata (ad

quam

quam non Fronto ipse, sed Eudæmon seu mavis Cacodæmon Johannes, novum è Creta prodigium, præter copiosa convitia regerere nihil potuit) inter Epistolas à Celeb. & amicissimo Grævio auctius editas *pag.* 704--798. extat, repetita paulo accuratiùs & præter instituti rationem prolixius, quia id res tanti momenti postulare visa est, narravimus, confessi, meritis suppliciis horribile scelus expiârunt.

Ejus atrocitas exaggerata.

CCXII. Dubitari certè nequit, fuisse conjurationem isthanc omnium, quæ nostri & prisci ævi temporibus memorantur, consilio, audacia & immanitate maximè admirandam. Nam fando ubique acceptum, & fama ad posteros transmissum est, multos Principes fraude casos, & Respublicas insidiis petitas fuisse. At nulla ætas, nulla tellus tale conspirationis monstrum unquam aluit, in qua Rex cum Regina, parentes cum omni sobole, Regni totius Ordines, totum denique Regnum, & in eo innocentes innumeri uni exitio uno momento destinabantur. Ut populus Romanus unam cervicem haberet, Caligulæ votum fuisse, narrant historiæ: sed votum duntaxat prætereáque nihil. Hi verò Zelotæ non voverunt illi quidem fortasse, ut universa Britannia cervicem unam haberet, uno ictu præcidendam: sed, quod longè majus est, subtilissimam rationem, novi Sisyphi, novi Autolyci repererunt, quâ id ipsum ferè in Anglia effectum darent, quod Romæ Caligula voluit, nec potuit. Si enim istarum insidiarum magna moles, sed improspera ad votum successisset, quid futurum erat aliud, nisi magnæ Britanniæ caput una veluti cervice nixum amputâsse, & reliqui corporis trunco vitam eripuisse? Et Caligulæ quidem votum, ut erat temeritate subitanea conceptum: ita fortasse, si ejus exequendi potestas ipsi esset ex inopinato facta, pœnitentia fuisset emendatum, pro eo ac animum

mum revocata magnitudo facinoris metum, prolationes, diversa interdum consilia solet afferre: & omnia inconsulti impetus cœpta, initiis valida, spatio languescere consueverunt. Isti verò non repentè, neque temerè, sed destinato consilio parricidium hoc susceperunt: semel susceptum jugi meditatione concoxerunt, & ad consummationem illius cupiditate summa anhelantes, integrum ferme triennium in tanta immanitate obstirmati, duraverunt. Tum autem quæ comparatio Imperatoris Pagani & mente capti, cum optimi Regis subditis: cum hominibus, qui se Christianos, qui Catholicos dici haberique vellent: denique cum salutaris doctrinæ Christi præconibus, quales Jesuitæ haberi volunt?

CCXIII. Nam quòd hæc nihil ad Papatus, nihil ad Ecclesiæ Romanæ historiam attinere, regerent forsitan illi, qui tanti criminis infamiam ab ea abstersam cuperent; hoc uno efficacissimè refelluntur, quòd tererrimæ huic conjurationi immixtos fuisse professos Sodalitii Jesu Patres, Pontificiæ dominationis instrumenta & satellites, Pontifícumque ipsorum mancipia νευρόσπαστα, nunquam eo nomine à Paulo V. qui eo tempore rerum potiebatur, vel reprehensos, vel admonitos, nedum damnatos, certo certius est. Quamvis enim hoc hominum genus, potentibus infidum, solita, sed non solida fide, ferréaque adeò fronte, quenquam è suæ Societatis Patribus conspirationi huic interveniſſe, negat: si tamen, prout prosperum ac felix scelus virtus vocatur, res bene cessisset, Ignatiana hæc veréque ignea Societas, igneum isthoc ac nefarium scelus, quod ipsa præcipuè machinata est, non sibi modò vendicaret, sed summoperè insuper deprædicaret. Nunc verò vulpeculam istam imitatur, quæ ad sublimem uvam, quam de vite dependentem conspicata erat, subsilit iterum atque iterum, omnes vires corporis adhibens,

Ecclesiam Romanam per Jesuitas conspirationis ejus participem fuisse, probatur.

si forte attingere posset; & tandem cùm defatigata inani labore discedere cogeretur, ipsa sese quasi consolata: *At enim acerbæ nunc etiam*, inquit, *uvæ sunt, & ista cumprimis austera; nec, si in via reperiatur, videretur tollenda esse.* Scilicet homines noluisse videri voluit, quod assequi nequiverunt. Enimverò conjurationis pulverariæ negotio Jesuitas minimùm quatuor, Henricum Garnetum Provincialem, Hollum, qui & Oldcorni nomine venerat; Oswaldum Tesmondum sive Greenwellium, & Johannem Gerhardum implicitos fuisse, è publicatis actis, inconcussæ fidei monimento, Epistolisque Garneti propria manu exaratis, ex quibus τὰ κυρίωτατα tum Episcopus Eliensis in Tortura Torti, tum Casaubonus in Epistola laudata, descripserunt vulgaruntque, planissimè constat. Qui etiam partim debitas meditati & aliquo usque producti parricidii, cujus flagitium Sathanicæ æquivocationis novo artificio non ita occultare potuerunt, quin judicum sagacium industria apertam denique in lucem prodiret; pœnas luerunt, à sociis postea perridiculè vanissimèque Cœlis inserti: partim matura sibi fuga consuluerunt, Romam & alio ad suos delati, minimè recipiendi, si quid Papæ & Jesuitis reliquis pudoris inesset. Neque etiam intra quatuor illos proditionis consilia stetisse, verisimile est, cùm pauci celandæ rei quàm agendæ aptiores esse soleant. Constatque præterea priùs quàm rebus, post acceptam ab Hispano repulsam, deploratis, in novi Angliæ Regis caput conspirari cœpissent, adeóque devoluti in extrema consilia essent, ita conscientiam eorum à Jesuitis instructam: *Regem deponere, Regna concedere, penes supremum Ecclesiæ judicem esse. Atqui hæreticos omnes ipso jure extra communionem positos diris fidelium proscriptionibus separari, & quotannis a Pontifice in Cœna Domini excommunicari: idque locum habere non solùm in hæreticis professis, sed etiam occultis, quippe qui, cùm ipso*

jure

jure excommunicati censeantur, in pœnas à professis ipso facto promeritas incidant. Ex eo sequi, Reges aut alios Principes Christianos, si in hæresin incidant, deponi posse, & subditos eorum dominio protinus liberari: nec jus illud recuperari posse, etiamsi Ecclesiæ reconcilientur. Nec solùm ad Principes hac labe infectos pœnam extendi, sed etiam ad eorum filios, qui à Regni successione ob vitium paternum pelluntur. Hæresin quippe lepram & morbum hæreditarium esse. Atque ut disertiùs res exprimatur, Regnum amittere, qui religionem Romanam deserit, diris illum devoveri, abdicari, proscribi, nec unquam ipsum aut illius posteros in Regnum restitui, quoad animam à solo Pontifice posse absolvi: quibus verbis conscientiæ instructionem à Theologis impertitam Thuanus *Histor. lib.* cxxxv. describit. Ac his rationibus cùm se tutos conjurati existimàssent, demum conjurationis munimenta quæsiverunt, atque inprimis secretum, quod confessionis fide & Sacramenti sumptione obsignârunt: conceptumque inter eos juramentum, quo per S. Trinitatem & Sacramentum mox sumendum fidem obligârunt, se nunquam consilium directè vel indirectè, verbo aut circumstantiis sibi communicandum declaraturos, nec ab illius executione desituros, nisi à sociis facta potestate. Neque ante Catisbejus, doli totius architectus, quàm ita à Theologis ad facinus, utpote non licitum duntaxat & laudabile, verùm meritorium etiam, auctoratus esset, consilium pulverariæ conspirationis vel animo agitavit ipse, vel sociis apperuit, vel Garneto, ad quem in rebus dubiis ceu oraculum se contulit, consiliis suis, uti propter longum rerum tractandarum usum, prudentiæ & solertiæ laude inter Anglos Pontificios erat clarissimus, etiam extra confessionis sigillum, universum negotium moderaturo, institutum suum prodidit.

CCXIV. Lubet hoc loco Jesuitarum seu potiùs *Ignatianorum*, quos ab *igne jaciendo* seu *ciendo* ita dictos non inepte

Jesuitarum hæresis singularis prima

de jure occidendi Reges & Principes Romano Pontifici non obsequuntur.

nonnemo censuit; desperatam hæresin novissimam duplicem, qua veterem Hildebrandinam & Bonifacianam adversus sceptra Regum & Principum doctrinam, ceu novis fulcris, sustentare firmiùs conati sunt; cujusque etiam Ecclesia Romana, Pontifices inprimis, qui nunquam alterutram aperte improbâsse, nedum damnâsse vel proscripsisse comperti sunt; reos se fecerunt, paucis perstringere. Prior est, *Regem vel Principem quemvis in hæresin prolapsum, etiam ante exploratam voluntatem & authoritatem Romani Pontificis, dummodo subditi Comitia habere prohibiti, Jesuitarum vel Theologorum similium consilio ad id usi fuerint; occidere, non fas duntaxat, sed piumetiam, laudabile & meritorium esse.* Hanc hæresin gravissimam Regum & Principum jugulum nefariè appetentem; Divinæ Providentiæ, per quam Reges regnant, inimicam; verbo Divino, quod potestatibus, legitimè scilicet electis, vel jus exercendæ potestatis honesto titulo obtinentibus, etiam iniquis obsecundare, & Unctos Domini non attingere jubet, contrariam; Ecclesiæ, cujus interest plurimùm Nutritios amari, eorumque authoritatem sacrosanctam & ἄσυλον inviolabilem haberi, fatalem; denique religioni Christianæ apud infideles, si qua alia est, probrosissimam, non in sinu duntaxat Sinones illi fovent, sed publicis etiam scriptis, ne latere eos, quos libido incessit Unctos Domini attrectare, ullo modo queat, propalare non erubuerunt. Ex multis pauca de Draconica illa, non atramento, sed sanguine, scripta Jesuitarum lege, testimonia proferam. Johannes Mariana, Jesuita Toletanus tractatum de Institutione Principum (occidendorum scilicet) scripsit, cujus imprimendi facultas à Stephano Hojeda, visitatore Societatis data est. Libro ejus primo hanc quæstionem certo consilio tractat: *An liceat Regem legitimum, puta Henricum III. Regem Galliarum Christianissimum, postquam à paucis seditiosis, sed doctis* (nam

his

his arbitrium ille, ut de capite Principis sui statuant, permittit) *cœperit tyrannus appellari, occidere?* Concludit ad extremum, licere: & infandam illam Sathanæ progeniem, Jacobum Clementem, ob patratum parricidium magnificis verbis in Cœlum extollit. Ejus libri *cap.* 6. hæc inter alia extant: *A populis sive subditis volentibus Rex principatu spoliari potest. Et ab omni memoria in magna laude fuerunt, quicunq; tyrannos opprimere aggressi sunt.* Abdicandi verò Principis rationem ejusmodi ille ostendit: *Expedita*, inquit, *& maximè tuta via est, si publici conventus facultas detur, ut communi consensu statuatur, quid fixum ratumque esse debeat. Et si monitis Princeps non obediat, consilia explicanda, arma expedienda, pecuniæ in belli sumptus subditis imperandæ, Princeps etiam privata authoritate ferro perimendus. Si verò publici Conventus facultas sublata erit, tum etiam, qui voti publicis favens Regem sive Principem perimere tentârit, haudquaquam eum iniquè fecisse existimabo. Ac nisi publica vox adsit, quæ Regem pro tyranno habeat, adhibendi sunt in consilium viri eruditi & graves.* Subjicit: *Præclarè, præclarè cum rebus humanis ageretur, si multi homines forti pectore invenirentur, pro libertate Patriæ vitæ contemptores & salutis. Et dolet, quod pleroſque incolumitatis cupiditas retineat, magnis sæpè conatibus adversa.* Mox *cap.* 7. temperamentum quoddam suadet: *In Regibus*, inquit, *ferro aut veneno, nihil interest enim, interficiendis, hoc utendum temperamento, si non ipse, qui perimitur, venenum haurire cogitur, quo concepto pereat: sed exteriùs ab alio adhibeatur, nihil adjuvante eo, qui perimendus est: nimirum cùm veneni tanta vis est, ut eo sella aut veste delibuta, vim interficiendi habeat.* Concluditque parricidiorum ille doctor: *In* vitam Regis aut Principis (quem *viri eruditi & graves*, hoc est, Jesuitæ, non-Regem, non-Principem judicaverint) *grassari quacunque arte concessum, tantùm necogatur sciens aut imprudens sibi ipsi mortem conscire.* Hæc igitur erga Reges & Principes Clementiæ Jesuiticæ ara

est, quòd ἀυτοχειρίας necessitas iis non imponitur, sed carnificis munus aliis delegatur: benignior scilicet ara illa Meroensium Sacerdotum, qui Diodoro Siculo *Biblioth. hist. lib.* 3. memorante, tanta polluerunt authoritate, ut quandocunque ipsis in mentem venit, misso ad Æthiopum Regem nuntio, vita seipsum abdicare juberent. Oraculis enim Deûm id edici, nec fas esse ulli mortalium eorum jussa contemnere: quomodo etiam nostri illi Pontifices Manlianis suis in Principes imperiis, veteri Ecclesiæ prorsus ignotis, jussum Divinum obtendunt. Libri etiam parricidales, eadem Marianæ decreta complexi, post tentatam à Castello cædem Henrici IV. à Jesuita Johanne Guignardo propria manu scripti, Lutetiæ in Collegio Claromontano reperti sunt, ex quibus nonnulla Thuanus *Histor. lib.* CXI. plura verò Acta Parlamenti Parisiensis in *Memor. Ligæ Tom.* VI. *p.* 256. excerpserunt. Doluit nebuloni illi inprimis, quòd Sanbartholomæano tumultu vena basilica sanguis non sit missus: quod si factum esset, inquiebat ille, ex febri in phrenesin res minimè recidisset. Nominavit etiam Academia Parisiensis in auribus Illustrissimi Senatus Petrum Barrerium, à Jesuitis ad parricidia auctoratum: Guilhelmum Parrium à Benedicto Palmio Jesuita persuasum, licere impunè Reges occidere à Pontifice diris devotos: Hannibalem Cadretum Jesuitam, qui factum cœlum mereri Parrio dixerit. Extat præterea liber Jesuitarum de abdicatione Henrici III. Regis Galliæ, Lugduni apud Johannem Pillehot, Ligæ Gallicanæ Bibliopolam A. M. D. XCI. editus, in quo Henricus III. ceu impius & impurus tyrannus accusatur, additurque præclarè actum iri, si is cum sui similibus Regibus & Principibus ab uno vel pluribus vasallis aut subditis, non expectata speciali excommunicatione Papæ, interficeretur: idque opus & glorioſum & meritorium omnino futurum. *Non desinem*[9] *etiam*, inqui-

inquiunt, *auxilia & media quærere, quibus Rex iste cum omnibus ei adhærentibus opprimi & interfici posſit.* Eadem Apologia pro Caſtello & Jeſuitis edita, qua Caſtelli propoſitum ceu heroicum planè & juſtum in tertium uſque Cœlum extollitur, ipſéque Caſtellus inter Martyres numeratur: Martæ Neapolitani libri, quibus ille κυρίας δόξας ſuprà narratas rigidè tuetur: Ribadeneira, Henrici III. diriſſimam cædem probans, & parricidam tartareum ſic memorans, ut propiùs multò abſit à laudante quàm, à deteſtante: denique Harnetus & complices cerbereo furore διεφορολαβήμενοι, eorumque ex eodem ſodalitio hyperaſpiſtæ ſtrenui, Eudæmon Johannes Cretenſis, in Garneti Apologia; Bellarminus in ſuo diri ominis Torto, alii, qui novos Cœlites, Garnetum & Oldcornum, non ſecus ac διογενεῖς Heroas laudârunt defenderuntque mordicus, pædagogicis ſuis ſyllogiſmis ſceptra Regum ac Principum impunè laceſſentes, aurigantur. Demum etiam Jeſuitarum pro tempore, quo ſcilicet adhuc ſalem illorum lingere ei datum fuit, pullus vix nominandus Alaſtor Scioppius in Claſſico belli ſacri Fr. Jacobi Marteniſii, Vicarii Generalis Inquiſitionis Papiæ, juſſu vulgato, *cap. 3. pag. 22.* quod muſſitant plures, apertè profeſſus ipſe, rationibus etiam comprobare inſtituit, hæreticos Principes jure à ſubditis contrucidari, producto etiam exemplo Zambri, Regis Iſraëlitici, qui ab Amri obſeſſus ſeipſum cum domo Regia ſuccenderat, adoram libri hæc allinere non dubitavit: *Quid ad hoc exemplum pulveraria illa Anglorum conjuratio?* Quam probationem non minùs ἀπροσδιόνυσον, quàm canis in balneo eſt, tantum abeſſe à ratione, quantum diſtat Roma Londino, ab Idolatra Chriſtianus, factum à jure, tyrannus à Rege, denique Scioppius à viro bono; Optimus & doctiſſimus Berneggerus in Aureola Tuba Pacis *pag.* 115, 116. &c. verè demonſtrat. Neque verò obſtat,

quòd

quòd Claudius Aquaviva, Societatis Generalis, edita sanctione prohibuit, ne quis deinceps publicè vel privatim doceat, *licitum esse cuicunque personæ, quocunque prætextu tyrannidis Reges aut Principes occidere.* Ad minuendam scilicet invidiam prohibuit *docere*, non *sentire* vel *facere*; & *cuilibet personæ*, scilicet à Jesuitis non submissæ, vel à Papa non approbatæ: uti in Jesuita vapulante *cap.* 12. Cl. Rivetus solidè demonstrat.

Eorundem hæresis singularis secunda de æquivocationum & reservationum mentalium jure.

CCXV. Posterior Ignatianorum novella, nisi mavis, recocta & ab inferis revocata hæresis est: *Fas esse sive in judicio, sive in casu confessionis, etiam in juramento ipso, ejusmodi uti æquivocationibus & mentalibus reservationibus, quibus ad veritatem occultandam aliud pectore clausum teneatur, aliud ore verbisque promatur.* Eum scilicet in finem induci hæresin placuit, ut parricidia aliáve etiam scelera sua coram judice pernegare, saltem involvere, & ne ad liquidum perducantur unquam, efficere possint. Tametsi verò hæresin illam in publicum parùm ingenuè & pœne inviti proferunt, atque adeò inter Societatis suæ arcana abscondere; tamen in scriptis non planè dissimulârunt, & factis apertè probârunt. Scripta & Scriptores è pluribus nomino Toletum *lib.* IV. *Instructionis Sacerdotalis cap.* 21. Gregorium de Valentia *Tomo III. Disput.* 5. *quæst.* 13. *pag.* 1350. *&c.* ubi *prudentem defensionem* vocat; Edmundum Campianum *in Epistolis ad Generalem Societatis*; Navarrum *in Enchiridio*; Andream Eudæmon. Johannem *in Anticotoni refutatione, & Apologia Garneti, ad actionem proditoriam Eduardi Coqui*, à Claudio Aquaviva, Societatis Præposito, comprobata, qua æquivocationis doctrinam ex Scripturis, Patribus, Scholasticis, Thomistis, defendere & explicare conatur; Personium Anglum, qui Romæ vixit & mortuus est, in disputationibus ejus argumenti à Mortono confutatis; Thomam Sanchez *Oper. Moral. lib. III.* 6. 15. Authorem Theo-

logiæ

logiæ Moralis Jesuitarum *Tract.* 1. *Exam.* 3. *cap.* 4. *& cap.* 7. ubi ex Sanchez & Lessio exempla practica profert; Becanum *Manualis libro V.* alibique. Toletus addit limitationem: *Si judex contra justitiam petat responsum aut juramentum. Est autem contra justitiam, cùm de religione aut sociis interrogantur: tum quia hæreticus non est judex competens, tum quia est in præjudicium religionis.* Sed Becanus longiùs crimen removet, injuriam sibi sociisque fieri questus. Docere quippe ipsos, sincerè, candidè & seclusa omni æquivocatione respondendum esse. Unum tantùm, de quo disputetur, casum esse: *Anne reus, quando in judicio interrogatur de crimine perpetrato, possit negare, vel æquivocè respondere?* Sic autem ille destinguit, *teneri respondere & fateri veritatem, si judex juridicè, seu servato ordine juris, interroget; secus autem non. Ratio*, inquit, *prioris est, quia quisque tenetur obedire superiori legitima præcipienti; quod fit, cùm secundùm ordinem juris reos interrogat. Ratio posterioris, quia judex non habet jus interrogandi nisi secundùm ordinem juris. Juris autem ordo non servatur, cùm interrogat de occulto crimine, de quo neque fama est contra reum, neque judicii competentia, neque plena probatio. Et in tali casu non mentitur, si neget à se patratum crimen; si videlicet crimen adhuc sit occultum.* Cæterum Becanus hic more suo partim tergiversatur, partim etiam æquivocatione, ubi à Societate sua ejus crimen amoliri tentat, ludit. Distinguunt enim Jesuitæ inter causas seculi sive forenses, & religiosas. In illis si quis juridicè interrogetur, cum æquivocatione distinguendum esse negant. In his autem iis uti fas esse. Ipse verò respondet de causa Seculi & crimine perpetrato; quo nomine non censet sua illa clandestina sacra. Illud etiam *juridicè*, sive *Ordo juris* ab aliis ad forensia speciatim applicatur. Sed & in altero illo genere reus perfidiæ perjuriique tenetur. Neque enim vel judex hæreticus ipsi est *judex*: vel judicium ejus *judicium competens*. Juris quoque ordo

 sus-

ſuſpenditur ipſi ex æſtimatione accuſati ſeu rei, ſitne crimen publicum an privatum, judicium competens vel non competens, probatio plena, vel non plena. Sed & facta Jeſuitarum, doctrinæ eorum interpres locupletior, ex hiſtoriis Anglorum & Belgarum, inprimis ex Negotiatione Jeſuitica in Belgio edita, manifeſtiora ſunt, quàm imber cùm pluit. Vel unius Garneti hiſtoria in Actis ejus vulgata, & à Doctiſs. Caſaubono in Epiſtola ſupra laudata, nec non Thuano *Hiſtor. lib.* cxxxv. luculentiùs repetita, ejus rei fidem pleniſſimam faciet. Hujuſmodi verò æquivocationum notitiam & uſum prioribus Eccleſiæ Doctoribus atque Magiſtris non contigiſſe, adeóque ſuæ ætatis noviſſimum εὕρημα & veluti munus quoddam eſſe, Societatis ejuſdem Theologus percelebris Gabriel Vaſquez *Tom. IV. quæſt.* 93. *art.* 5. *dub.* 13. apertiſſimè fatetur & gloriatur: *Negari*, inquit, *non poteſt, hujus* (per æquivocationes) *reſpondendi modi non meminiſſe antiquos Doctores, & ita credidiſſe, ſi negaretur factum tam coram judice quàm coram alio, eſſe mendacium. Et revera ita eſſet, ſi mens reſpondentis non eſſet cum illa, quam diximus, reſtrictione ad interrogationem reſpondere. Id colligitur ex Thoma, qui etiam in Reo, cùm injuſtè interrogatur, alium modum non invenit, quàm non reſpondere. Colligitur etiam ex Auguſtino, qui loquens etiam de judice iniquè interrogante, non meminit hujus reſtrictionis & modi loquendi, ut excuſaret reſponſum, ſed tamen nec negavit.* Scilicet S. Auguſtino, Thomæ aliiſque vetuſtioribus Doctoribus mirabile iſthoc donum linguarum non contigit; nec tam felicibus eſſe iis licuit, ut novæ ac ſerpentinæ iſtius linguæ uſus iis innoteſceret, agnoſcerentque adeò, duplici lingua more ſerpentum loqui fas piumque eſſe.

Eccleſia Romana hoc tempore duos habebat Antipapas.

CCXVI. Habuit hac ætate Romana Eccleſia duos Arſanticos fere Pontificiæ poteſtatis religioniſque hyperaſpiſtas מגבני העים *Propugnacula Maolim*, ſeu *arcium*,

Dan.

Dan. XI. 39. Jesuitam & Cardinalem eruditionis & industriæ laude cœtera non defraudandum utrumque, Cæsarem Baronium, Sora Campaniæ urbe oriundum; & Robertum Bellarminum, patria Politianum, Marcelli II. Papæ Sororis, Cynthiæ Cervinæ, filium; quorum ille secuſi hujus ſeptimo, hic viceſimo primo anno defunctus eſt. Scriptis illi in vulgus editis pluribus, giganteiſque voluminibus ad ſcopum eundem, ſtabiliendam, quæ inde à Reformatione nimiùm labefactata & pluribus in locis penitus collapſa eſt, Romani Pontificis potentiam, ſupra mortalium omnium, imò ipſius Dei Omnipotentis, potentiam ſeſe efferentem, atque inde manantem religionem Pontificiam univerſam, diverſa omnino via graſſati ſunt. Illi Annales Eccleſiæ condere, huic controverſias Pontificias tractare, curæ cordique fuit. Ac ut de Baronio, qui ſub auſpiciis & ductu Philippi Nerii, Congregationis Oratorii fundatoris, Annalium illum partum ſuum pluſquam elephantinum (nam cùm elephanti ſpacio decem annorum partus ſuos edant, ille ter decem annorum ſpacio ſuum edidit) enixus eſt, priore loco dicam; res ipſa manifeſtè arguit, quando ad ſcribendum Annales ſeu hiſtoriam Eccleſiæ animum appulit, non eum id negotii ſibi credidiſſe dari, ut faciem veteris Eccleſiæ, qualem inveniebat quâ in Scripturis, quâ in Patrum & hiſtoriarum antiquiſſimis monumentis, penicillo ſuo bona fide exprimeret: ſed potiùs, ut talem ei σοφία quadam κακοσυνέτῳ faciem fingeret, qualem Eccleſiæ Romanæ ſuſceptum ſemel patrocinium poſtulabat. Cùm enim omnes hodiernæ de religione controverſiæ ad duo capita, doctrinam ſcilicet de dogmatibus ritibuſque, & Pontificis Romani poteſtate & Monarchia revocentur commodè, in utroque eam rationem Baronius tenuit, ut omiſſa quæſtione de voluntate Domini, & vera antiquitate, omnia ſine exceptio-

Laures habuit, Baronium & Bellarminum Cardinales.

Baronii Annales cujuſmodi ſint?

ne defenderet, quæ Romæ probari sciebat. In quo etsi subtilem artem seu κρύψιν quandam vaferrimam adhibet, plerunque tamen implicatam animi sui notionem ita prodit, ut, quisquis rudis & cœcus non est, consilium ejus subodoretur facilè. De Scripturæ usu populo erepto, lingua ignota, traditionum etiam recentiorum authoritate, Transsubstantiatione, Missa, concomitantia, Sanctorum imaginum invocatione, cultu reliquiarum, purgatorio, indulgentiis, similibusque sequiorum seculorum inventis, Protestantes inter & Pontificios controversis, asserendis Gibeonitica fraude ita ubique laborat, ut canæ & venerandæ antiquitatis colore ea invita licet imbuere annitatur unicè. Romani Pontificis verò Monarchiam, & illud infinitum imperium, ita assidue omnibus viribus εὐκαίρως ἀκαίρως propugnat, ut meritò Doctiss. Pithoeus prioribus inspectis tomis judicaverit, non titulo *Annalium Ecclesiasticorum*, sed potiùs *de potestate Papæ*, insigniri debuisse. Hinc scilicet est, quòd omnia ac singula, quæ in Ecclesia acciderunt, Pontificis authoritate gesta esse, contendit: probatissimos quosque authores, sicubi Sedi Romanæ adversum quippiam scripserunt, non sine stomacho rejicit: Pontificum Romanorum facta quantumvis enormia, truculenta, tyrannica excusat, tuetur, laudat: Hildebrandum, illum generis humani furiam, Regum & Principum potestati, libertati, cervici denique insidias quæsitissimas struentem, & Sathanicæ illius de ἐξουσίᾳ ὑπερεχούσῃ Pontificis doctrinæ elementa brevibus quasi aphorismis, qui Dictatuum nomine veniunt, complexum, amplis mirisque elogiis exornat, & perfectissimi Papæ ideam absolvere pronuntiat: Bennonem aliósque contradicentes, auritos licet & oculatos testes, obelo suo confixos exagitat damnatque: Concilia non indicta authoritate Pontificum Pseudo-Synodos; Imperatores, Reges, Prin-

Principes, Papæ ſputa lingere dedignatos, hæreticos, ſchiſmaticos, tyrannos appellat; noviſſima quæq; exempla promeritos clamat: eoſdem res Eccleſiaſticas attingentes maledictis inceſſit; auſus etiam (ad A. DCCCLV.) Reges veteres Francorum eam ob cauſam cum *latronibus in ſylvis* comparare: fideles eorundem conſiliarios, jura Regia adverſus Romanam Curiam defenſitantes teterrimæ hæreſeos Politicorum crimine arceſſit: denique non aliud fere omnibus ſine diſcrimine, quàm cœcam obedientiam & humile ſervitium, Vicario Chriſti in hiſce terris exhibendum, ſuadet, commendat, & exhibere abnuenteis, Campano ſupercilio ſuo (Campanus quippe fuit) ubique deteſtatur damnatque. Scilicet venalitium erat Romani Pontificis mancipium, purpuræ mercede conductitium, ad Papatum aſpirans & remis atque quadrigis contendens ipſe: de quo ſic meritò Grotius cecinit:

Annales docti nimium ſervile Baronî
Qui legis, & Romæ quale probatur opus,
Credere ne propera: multo vigilata labore
Pagina; ſed nutu ſub dominantis erat.
Auctoramentum non eſt leve purpura: pridem
Pontifices verum non didicere pati. &c.

Accedit ad hanc διάθεσιν τῆς ξυγγραφέως ſeu *diſpoſitionem ſcriptoris*, quam in Scriptoribus inprimis ſpectandam Dionyſius Halicarnaſſeus monet; modus etiam, quo ſingula hæc Baronius, διελεύσεται τῆς ἱστορίας, proſecutus eſt; præpoſterus paſſim & perverſus. Quò pertinent viſiones, miracula, & putidiſſimæ fabulæ, quas ex recentioribus ſcriptoribus, Zonara, Vincentio, Nicephoro, Metaphraſte, Antonino, Cypomanno, Surio, ſimilibúſque fabularum anilium hamaxariis, eorúmque adeò fide ita collegit, ut ipſum inter & illos alióſque etiam aurearum Legendarum confarcinatores, veluti Jacobum de Voragine, Petrum

trum de Natalibus &c. non aliud discrimen appareat; quàm quòd illi sine arte, rusticè & pingui Minerva fabulati sunt; ipse verò majorem colorum apparatum, quippe nec ingenio nec arte rudis, adhibuit: horrenda convitia, quæ passim vibravit in Protestantes, quos etiam *ad A.* DCCC. unà cum Sergio Manichæo, hæreseon horrendarum patre, Diabolum Catechistam habere criminatur; & *ad A.* M. C. XVIII. unà cum Basilio Bongomiliorum auctore, Alexii Imp. jussu cremato, vivicomburio destinat: judiciorum temeritas. Veluti cùm sive adversa sive læta, quæ Principibus, populis, privatis contigerunt, vel observantiæ insigni erga Papam, Ecclesiamve Romanam: vel contumeliæ injuriæve, quam illi feciſſe visi sunt; accepta refert: parachronismi manifesti, crassique ex ignorantia Linguarum Græcæ & Hebraicæ (quarum ignarissimus tantùm non *ἀνίπποις χερσὶ* & impransus paratus ad opus isthoc accessit) admissi passim errores: corruptum erroneumque & inconstans de authoribus veris falsisque judicium: consignatissimæ notæ contemptus nefarii Regum & Principum, odiique adversus plures concepti inexpiabilis: quorum omnium exempla irrefragabilia Viri doctissimi, Casaubonus in Prolegumenis Exercitationibus præmissis, & Exercitationibus ipsis, Mornæus in Mysterio Iniquitatis, Otto in Examine Annalium, Blondellus, Pavius, Carolus, aliique deprompserunt. Ne dicam, segniter, Opus tot malæ fidei compunctum notis, probari etiam Pontificiis emunctiorum narium, Gallis inprimis. Certè Cardinalis & ipse Perronius *in Posth. in Baronius*; sic eum perstringit: *Bonus homo* (Baronius) *multis in locis historiæ suæ deceptus fuit, magni in eo parachronismi, in infinitis locis fallitur, minimè est exactus, ne in ipso quidem stylo. Nonnisi laboriosum est opus*, &c. *In voce Roma* sic de eodem censet: *Nimis magna temporalis potestas Papam exosum reddit Principibus Chri-*

Pontificiorum de iisdem judicium minùs favorabile.

Christianis. Neque prudenter fecit Baronius, quando tantopere illam defendere conatus est. Doctissimus Launojus Sorbonicus de eodem ejusmodi in Epistolis fert judicium: *Nemo nescit, cum sedis Romanæ opportunitatum assertorem esse cupidissimum, & ubicunque & quomodocunque erogare, quæ illius amplitudini, commodis, honori inserviunt:* Alibi: *Baronius nullam prætermittit occasionem amplificandæ dignitatis Romani Pontificis.* Neque etiam propitium de eo judicium Godavii Episcopi in Præfatione historiæ Ecclesiasticæ extat. Denique edito undecimo tomo Annalium, quo Hispanorum in Siciliam juribus derogare visus est, tantam eorundem offensam invidiamque incurrit, ut non tantùm vacante post Clementis VIII. mortem Sede, quam conscensurum se Baronius, & cum eo alii sperabant; infestis Hispanorum, Avilæ inprimis & Ascanii Columnæ Cardinalium, artibus studiisque à Papatu exclusus fuerit; sed etiam eò res processerit, ut Antverpiæ, ubi Annales eodem ferè tempore recudebantur, undecimi tomi editio, Philippi jussu, prohibita, & Romæ excusa exemplaria in terris Hispanorum distrahi vetita; duóque insuper librarii, quòd contra edictum ea habuissent, ad triremes damnati fuerint: pluribus rem gestam narrante Thuano *Histor. lib.* CXXXIV. ubi etiam Baronii iracundum & thrasonicum ad literas Pro-Regis Siciliæ responsum ejusmodi narratur: *Melius est mihi mori, quàm ut evacuetur gloria mea. Deus meam laudem ne tacueris, quoniam os peccatoris, & os dolosi apertum est super me, quippe cùm hæc accusatio non tam in me & meos Annales directa sit, quàm adversus ipsum Pontificem, & Sanctæ Sedis Majestatem, qui eos vidit, & cunctis Cardinalibus examinandos præbuit. Petrus vidit, Petrus approbavit: Huic petræ atque adeò rupi infixus minimè vereor, ne loco moveri aut concuti possim.*

CCXVII. Non minus famosus in Ecclesia Romana est alter, Robertus Bellarminus, Cardinalis & Archiepiscopus *Bellarminus à Pontificiis quo in pretio habitus?*

ſcopus Capuanus, magnus ſcilicet Apollo, & gregis Pontificii vitula, qua diſputaturi cum Proteſtantibus arare ſolent, uſitatiſſima: quem apud Alegambium in Bibliotheca ſcriptorum Societatis Jeſu, Cardinalis de Sourdis *Sydus, malleum hæreticorum, verticem Theologorum hujus Seculi* vocat; & apud eundem alter Cardinalis Viſinus quoad caſtitatem etiam in florenti ævo cum *Joſepho*; quoad paupertatem inter divitias cum *Davide*, quoad liberalitatem in egeſtate cum *Tobia*; quoad ſolitudinem interiorem inter occupationes aulæ, cum *Gregorio*; quoad humilem de ſe opinionem in conferta multitudine virtutum excellentiſſimarum cum *Paulo*; quoad liberam vocem erga dominantes cum *Johanne Baptiſta* liberaliter ſatis comparat. In quatuor, quos edidit, controverſiarum tomis, mole ſine nervis, ſic procedit, ut primò Eccleſiæ Romanæ doctrinam, probationibus ex Scriptura S., Conciliis, Decretis Pontificum, Patribus & ratione, petitis, aſſerere conetur; deinde objectiones hæreticorum, quos vocat, ſolvere aggrediatur. Præfatione tomi primi ad lectorem ait, *ſe omnes fidei controverſias complecti, ut unum doctrinæ corpus integrum & perfectum, ſuisque numeris abſolutum exiſtat.* Quomodo ſperat, ſe *hæreticos homines*, ut eodem tomo perorat, *ad lumen fidei revocare, vel ſaltem impetum eorum & furorem frangere poſſe.* Quòd igitur ex Scripturis, principio nobiſcum communi, diſputare inſtituit: quòd non perinde malignus atque Jeſuitæ alii, Valentia inprimis, Vaſquez, Becanus, Maldonatus &c. meliore ut plurimum fide adverſariorum ſuorum argumenta allegavit, & amantior, quàm illi, veritatis, ſicubi erravit, prudens ſcienſque errare non videtur: quòd, ſecus ac novi Methodiſtæ aperto Marte, non per cuniculos, & tergiverſando nobiſcum egit: quòd adverſus falſa errantium & verorum hæreticorum dogmata rectè & ex veritate nonnulla dixit: quòd infamem illum

In controverſiarum Tomis ab eo editis laudem nonnulla merentur:

Mo-

Molinisimo-Pelagianismum perosus, de prædestinatione orthodoxè satis disseruit: quòd in iis, quæ præter veritatem, constabiliendis Ecclesiæ Romanæ dogmatis, attulit, capita illa doctrinæ, in quibus à vero aberrant, diffidentaut instabiles sunt Pontificii, in unum compegit atque concinnavit, multasque multorum sententias summa Pontificum, Academiarúmque Pontificiarum approbatione munitas comportavit, & sententia sua concluſit, ut ad liquidum perduci possit, qua in re partes contendentes conveniant discrepentque; amplam certè laudem ille meretur: Sicut autem naucleris tria solent esse periculosa; si in scopulum allisserint, si in dorsum arenarium inciderint, si velificentur malè; sic Bellarminus etiam vastissimam illam navigationem suam tribus inconmodis illis obnoxiam reddidit. Etenim *scopulus*, seu rupes & petra firmissima est S. Scriptura, ad quam quicunque allidunt, ut cum Poëta loquar, *infringunt dentem solido*. Unus idemque scopulus nobis est pharus ad salutem: iis verò, qui veritatem in mendacio detinent, certissimus ad mortem Caphareus. Ad hunc verò scopulum quàm sæpe, quàm graviter, erasse, oscitanterque Bellarminus allisserit, adeóque Romanam illam naviculam Petri, uti appellare solent, tabulato dissecto, corruptóque, non scapham ulla ex parte integram esse, ostenderit, tum res ipsa loquitur, tum viri doctissimi liquidò demonstrârunt. *Dorsum* verò *arenarium*, in quod ejus navis incidit, innumera sunt testimonia à disputatore eo adducta; puta Patrum testimonia falsò, mutilè, perversè citata; nostrorum dicta & scripta subinde iniquiore fide; quàm unquam scriptum, dictum, cogitatúmve fuerit, proposita: hominum mente destipientium, animo in nos cautamque nostram infensissimorum prolata non secus testimonia, quàm si folia Sibyllina, & Divina quadam vi ἀναστρόφα essent; quorum tamen pleraque forte

Plura verò reprehensione gravi digna sunt.

non tam judicio certo, quàm aliena fide, Collegarum scilicet & alumnorum, quorum alii hoc, alii aliud testimonium ex varia lectione, quasi hastas amentatas commilitoni (uti in Collegiis Papatus solent) subministrârunt, posuit. Denique & *velificatio* ipsa minùs prospera fuit. Navigii enim Christi pes, velum & signum non aliud, quàm Sacra Scriptura, est. At ille opus suum *scientiam prope infinitam non modò variarum disciplinarum & linguarum, sed etiam totius antiquitatis, omnium historiarum & temporum requirere* præfatus, de fide, de scientia illa revelata & infusa Spiritus S. & Scripturæ sacræ, verbum nullum facit: malo utique augurio sese prodens, quod Scripturas passim in subsidium adhibens licet, sensum tamen earum γνήσιον à Deo Spiritu S. & Scriptura ipsa demonstrare pensi non habiturus sit. Plenis Scripturæ solius velis ad Cœlum thronum gloriæ usque rectà provehimur, si Deum audimus: sin alia & alios, circumducamur necessum est per sinuosas ambages, donec ad Scripturas recurramus, aut in ambagibus illis subsidentes miserrimè pereamus. Alicubi etiam inconstantiæ suæ, non ingrata licet nobis, documenta dedit: veluti cùm pro erroribus Papatus acerrimè contendens, alibi pia, sana, orthodoxa, & prioribus è diametro repugnantia protulit. Huc pertinent ejus effata, quæ utroque pollice probamus: (lib. 6. de gratia) *voluntatem hominis esse liberam, ut velit quicquam salutare, absque auxilio Dei* (lib. 5. de justif. cap. 17. 51---3.) *Propter incertitudinem propriæ justitiæ, & periculum inanis gloriæ tutissimum esse, nostram fiduciam collocare in merito & fiducia Dei: Non absurdum esse, si quis dicat nobis imputari Christi justitiam & merita, cùm nobis donentur & applicentur, perinde ac si nos ipsi satisfecissemus:* (lib. 3. de Pœn. cap. 4.) *A Spiritu S. esse lumen fidei, quo is intus & in domicilio cordis nobis dicit; Ita est, nihil hæsites*; quibus verbis Spiritus S. testimonium internum, quod alibi impiè exagitat, asse-

Inconstans passim doctrina nostra pa examinatur.

asserit: (lib. 1. de verbo Dei cap. 11.) *Scripturis sacris nihil esse notius, nihil certius, ut stultissimus sit, qui fidem illis habendam negat:* quas etiam esse notissimas, certissimas, verissimas, iisdem, quibus & nos uti solemus, argumentis statim comprobat, conclusionem cedro dignam ejusmodi inferens: *Quare S. Scriptura regula est credendi certissima & tutissima:* (lib. 4. de Pontif. R. cap. 2. ss--ad Secundum; & lib. 2. cap. 3.) *Papam posse in hæresin incidere, deficere à fide, judicari ab Ecclesia; ejus Sedem aliò transferri posse sine violatione juris Divini:* (lib. 2. de R. Pont. cap. 2.) *Forte non esse de jure Divino, Romanum Pontificem Petro succedere, quia de ea successione ne γρὺ quidem in S. Scriptura extet;* mox contendens tamen, in successione illa totam religionem & summam rei Christianæ verti, licet ea non sit de fide, nec in Scripturis testimonium consignatum habeat: (lib. 1. de R. Pont. cap. 12. ss. 5. & 48.) *Claves non soli Petro datas esse: potestatem Petri cum cæteris Apostolis communicatam esse; æqualem fuisse Petrum & Paulum; æquum hujus & illius jus in Episcopatu R. fuisse; Pauli majora fuisse quam Petri merita.* Ex quibus similibusque gnomis Bellarminum Confessorem fidei Reformatæ, & sibi ipsi discordem facere in proclivi foret. Inprimis autem erga Reges & Principes potestatesque summas ceu alter Mariana, animum infensissimum prodidit, astruens passim imperium Papæ rectum, directum & absolutum in vitas, negotia & dominia Imperatorum & Regum: quos clientes facit Papæ, obstrictos ad præstandum illi homagium, & ab ejus voluntate nutúque ita suspensos, ut exui imperio possint, quoties illi libet. In libro piaculari, quem titulo *Matthæi Torti* adversus M. Britanniæ Regis Jacobi Apologiam pro juramento fidelitatis, cui titulum ille fecerat, *Triplici nodo triplex cuneus*; edidit, sic Clementem Henrici III. parricidam laudat: *Ultus est Deus Christum suum, dum per alium sacratum virum, alioqui militiæ imperitũ & inermem,*

Erga Reges & Principes infensum animum prodidit.

mem, Regem eundem non sine manifesto Divinæ providentiæ miraculo interfecit. Ausus etiam postea est cum Jacobo Rege palam & aperta fronte congredi, & tum triplicem ejus cuneum, tum præfationem Monitoriam, quæ interim à Rege prodierat, multa argumentorum mole oppugnare: non veritus eum Juliano similem appellare; ipse torquendis Scripturis, quò ambitioni serviret, tam Juliano apud B. Cyrillum similis, quàm Rex Jacobus erat dissimilis. De potestate etiam Pontificis in temporalibus, pro insidiatoribus Principum, adversus Barclajum librum scripsit, quem non solùm hujus filius nænia soricina confossiorem reddidit; sed Suprema etiam Lutetiæ Curia, ceu seditiosum scriptum, severo interdicto subjecit. Ut non sine omine Cardinalis hic Bellarmini nomen indeptus videatur, cùm ferali illa doctrina nonnisi *Bella, arma, minas* spiraverit. Denique ita Papatum ruentem Bellarminus sustinere conatus est, ita quiescentibus ejus tantisper fatis, sustinuit, ut scriptis tamen suis Sedi Romanæ & Pontifici justissimam etiam invidiam conflaverit, & comperto, Romam esse ἀθεράπευτον *incurabilem*, quippe in errore obstinatam, adagio Callistrati apud Aristophanem, quòd πρωκτὸς λατρεῦ περιγίνη, *podex lotionem vincat*, fidem fecerit.

Desertæ ejus methodo ad novas artes confugerunt Methodistæ novi.

CCXVIII. Neque tamen Bellarmini isthæc Methodus, qua ille causam cum causa, rationes cum rationibus (infelici licet) contendit, ita astutioribus in Papatu ipso, qui nasum Rhinocerotis habent, satisfecit, quin nova & compendiaria magis via nobiscum transigendum, intráque arctiores gyros constringendos nos judicaverint. Exorti hinc sunt in Ecclesia Romana ad nostra usque tempora *Methodistæ* novi, vafríque non parùm, nova scilicet dogmata sua novæ methodi fuco incrustaturi; qui deserta candidiore Bellarmini Methodo, expeditiorem suo judicio, artificiosiorem, saltem ad faciendam simpliciori-

cioribus fraudem opportuniorem se struere posse sperârunt. Alii scilicet, præsultoribus Gonterio, Perronio, Francisco Veronio, (quanquam etiam his Renatum Benedictum Andegavum, Theologum Parisiensem, editis A. M. D. LXV. in universum organum Biblicum stromatis, præluisse, Doctiss. Calixtus *de Arte nova pag.* 125. 126. &c. comprobat) placuit Protestantes eò adigere, ut omnia dogmata sua, tum affirmativa, uti vocant, tum negativa, puris putis Scripturæ verbis, nullo consequentiarum usu vel auxilio concesso, comprobent; non ignaris licet, sua, quæ adversus nos tuentur, dogmata nec puris putis Scripturæ verbis, nec consequentiarum fidiculis ullis, nedum nexu stringente & necessario probari unquam potuisse, vel etiam posse. Hanc Methodum etiam Fratres Walenburgii, & Missionarii deinceps plures suam fecerunt. Sed aliam tamen etiam breviorem, Bartholdus Nihusius, insignis Vertumnus, ab eodem Calixto graphicè depictus; *Arte Nova* confecta; & iidem qui supra Walenburgii in *Methodo Augustiniana* seu *Defensiva* chorago artis, uti putatur, Anthonio Fabro J. C. Sebusiano, Fabriani Codicis sui initio; protulerunt, comprehensam *via juris & lege præscriptionis.* Ecclesiam Romanam sciscunt illi in possessione esse veritatis, utpote cui longa temporis serie ita præscripserit, ut probandi onus ei non incumbat amplius, sed devolvi meritò possit in humeros Protestantium, qui possessores antiquiores veritatis, in possessione sua turbare laborent; Ecclesiæ Romanæ non relicto alio, quàm excipiendi onere. Exceptionem autem efficacem esse, quòd ita majores crediderint, atque plurium Seculorum flexu fluxúque ita docuerint; quòd si qui negare animum induxerint, iis probandi onus similiter incumbere pertendunt. Sic nempe *novi* illi homines calculum subducunt, facilius esse placita semel defendere, quàm ritè probare: affir-

puta Veronisa,

Barth. Nihusius,

Walenburgii,

manteſque rem poſſeſſam imperare poſſe, negantes ſerviliter inſtrui, doceri cupere debere: illos judicis partibus ſuſceptis hos hæreſeos, ſciſmatis, ſacrilegii promptius accuſare iis inſidioſas quæſtiones nectere poſſe: denique ad apologiam & demonſtrationem doctrinæ ſuæ, utpote defendi, demonſtrari neſciæ, adigi hac ratione ſe nunquam poſſe. Iidem Walenburgii poſt Cornelium Janſenium aliam etiam novam rationem adhibuerunt convincendi, ſeu potiùs ſeducendi noſtros, controverſia iis de *vocatione*, ſeu *miſſione Miniſtrorum* ſuorum mota; obtendentes ſcilicet, ex miſſione, vocatione de ipſa prædicatione & doctrina judicium ferendum eſſe. Sed & Armandus Richelius Cardinalis novam hic ſingularemque viam præivit, jubens in *Richeliana Methodo* poſthuma, miſſo examine doctrinæ, utpote arduo & moleſto nimis, de Eccleſia diſputationem omnem ſuſcipere, eamque inquirere non ex S. Scripturis, ſed potiùs ex notis magis obviis, & fere ſenſus ſimpliciorum ferientibus: cujuſmodi inprimis ſint haud interrupta Pontificum ſucceſſio, Eccleſiæ ſplendor, magnificentia, duratio. Tum præcipiebat ille controverſiarum momenta librare, ſolicitéque aſtruere, quòd capita, de quibus diſceptatum hactenus eſt, fundamentum fidei non contingant, adeoque ſalvo in iis diſſenſu Romana & Evangelica Eccleſia conciliari facili negotio queant. Inde non Pontificiorum duntaxat, quibus ipſemet Petrus de Marca, Archiepiſcopus Pariſienſis, exaratis de Sacramento Euchariſtiæ diatribis, patrocinari viſus eſt, ſed noſtratum etiam, Milleterii inprimis & Grotii, Cardinalis hujus conſiliis callidis obſtetricantium, aliorumque ſcripta Λαμαϊκὰ exorta ſunt. Neque aliò Walenburgiorum, in omnes partes ſe convertentium, & unum ex alio dolum conſuentium, libri de Unitate & Schiſmate Eccleſiæ, & nuper etiam Auguſtini Gibbonis de Burgo, Hiberni,

Richelius,

de

de Luthero-Calviniſmo, Schiſmatico quidem, ſed reconciliabili, libelli, quibus momentum controverſiarum minuere & elevare inſigni fraude, à Viris Celeberrimis, Crocio & Coccejo in aprico collocata, conati ſunt, ſpectant. Subit famoſiſſimus ille Capucinorum, Valerianus Magnus, Mediolanenſis, qui edito *de Catholicorum & Acatholicorum Regula credendi* judicio, ad unam cæteras omnes & plurimas & graviſſimas quæſtionem revocavit: *Quæ* ſcilicet *ſit certior credendi regula, quis verus & infallibilis judex, Spiritusne S. ex S. Scriptura ſingulos fideles eum invocantes ſeorſim inſerens, an neglectis Scripturis Romana Eccleſia, à Spiritu S. in Conciliis Oecumenicis infallibiliter edocta, extra periculum erroris poſita, tótque regeneratis fulgens?* Illud affirmantes *Biblioſtarum* nomine, quaſi probroſo, inſignis ſcilicet non Karræus ſed Phariſæus traducit. In æſtu diſputationis eò ſe abripi paſſus homo eſt, ut ſua vincta graviter cædens, quod res eſt, ſcriberet, *Primatum & infallibilitatem Romani Pontificis ex Scripturis probari non poſſe, ſed ſola traditione conſtare:* quod Majeſtati Pontificiæ violatæ nefas interpretati Jeſuitæ λογόψυοι, effecerunt, ut Valerianus in vincula raptus, ex iiſdem cauſam dicere coactus fuerit. Ne verò novos hoſce Methodiſtas recentiſſimis artibus ſuis Scripturæ Sacræ forum declinare, quod ſtrenuè tamen faciunt, viderentur, diverſam etiam Methodum ex eadem Ignatianorum Societate Jacobus Maſenius ſecutus, ſcriptum, quod tum Alexandro VII. tum Proteſtantibus totius Europæ Principibus dedicavit, cuique titulum ejuſmodi fecit: *Meditata Concordia Proteſtantium cum Catholicis in una Fide, & ex S. Scriptura deſumpta*; edidit; in quo Confeſſionem fidei Pontificiæ, ex Tridentinorum ſententia *claris & explicatis*, uti ipſe loquitur, ſed revera à ſenſu germano in peregrinum & perverſiſſimum detortis, & obtorto collo raptis, Scripturæ verbis contexere conatus eſt; partim animo ſuo reputans,

Valerianus Magnus,

Maſenius,

putans, Scripturam non tam in literis, quàm in sensu genuino, ex Scripturarum ipsarum penetralibus deprompto, consistere; neque hic ullius vel hominis, vel cœtus, humani, hunc vel illum sensum ad conscientiam cujuslibet hominis cum certa δηλωτικῷ πνεύματι, non manifestantis, authoritatem in censum numerúmque pervenire. Proin virilis animi fidem nemini bono fecit. Demum Henricus Marcellius, Sylvæ-Ducensis, Lojolæ itidem Sodalis *Considerationes Pacificas, & Canones Benignæ Reconciliationis* protulit, in quibus suppositis iis, quæ neutiquam ἀνεξαγώνια sunt, Veronii, Nihusii & Walenburgiorum artibus junctis ea reconciliationis media etiam Sapientissimis Germaniæ Principibus obtrudere ausus est, quæ acceptantes stultissimos reddere apta nata sunt. Denique non ita pridem Illustris in Gallia Præsul, Jacobus Benignus Bossuet, Condomiensis in Aquitanica secunda Episcopus, in nupera *Expositione Doctrinæ Catholicæ*, Richelianæ Methodo insistens, tum ex propriis Confessionibus palam facere instituit, nos in fundamento fidei, & singularibus etiam doctrinæ capitibus ad Romanæ Ecclesiæ sensum propiùs accedere; tum labem multiplicem ab Ecclesia sua abstergere conatus, ejusmodi Ecclesiæ Romanæ faciem pinxit, ut in amorem ejus credulos facilè abreptum iri, planè confideret. Scilicet ibi est

Marcellius.

Bossuet Condomensis Episcopus.

Pergula pictorum, veri nil, omnia ficta.

Et pudere eum similésque pristini erroris, eò magis liquet, quò plus lenocinii ad eum tegendum adhibent, victósque se ratione eò certiùs produnt, quò artificiosiùs pugnam hanc declinantes, *ad* infirmitatem *carnis versi*, uti graviter S. Cyprianus *lib. ad Demetrium* id in paganis reprehendit, *cum terrenæ carnis imbecillitate contendunt*. Ecquid verò novi illi Methodistæ, Cadmæi fratres; fraudum architecti, qui fidei salvificæ luminibus orbati, angulos ubique-

Novi illi Methodistæ causa Pontificiæ proditores meritò habentur.

quæ-

quærunt, in quibus ſe aliósque lucifugas ne doctrina & opera eorum ad lucem cœleſtis veritatis penetrans argui poſſint; abſcondant, noſtris illam conſiliorum & laborum molimináque deſperationem perplexitatémque cernentibus, & plus ſatis intelligentibus, animi eſſe putant? An non identidem animo noſtro obſervari credunt Chriſti Salvatoris noſtri cedro dignam ſententiam, Methodiſtas illos συζητητὰς τοῦ αἰῶνος τούτου *inquiſitores hujus ſeculi* tenebrarúmque filios, fortiſſimè ferientem: *Hoc illud Dei judicium eſt, quòd lux venit in mundum, & homines magis tenebras, quàm lucem amârunt. Mala enim fuerunt illorum opera. Omnis enim qui mala facit, lucem odit, & non venit ad lucem, ne arguantur opera ejus. Qui autem veritatem facit, venit ad lucem, ut manifeſta fiant opera ejus, quod in Deo facta ſint* Joh. III. 19. 20. 21.

CCXIX. E diverticulo iſthoc, in quod nova illa molimina Methodiſtarum, Papæ mangonum, à Bellarmini & aliorum integriori fide de religione decernentium, veſtigiis deviorum, nos induxerunt, in tramitem rectum hiſtoriæ ut redeamus, poſt Clementem VIII. & Leonem XI. ex Medicea Florentinorum domo oriundum, ſcenicum etiam viginti ſex dierum Papam, (qui arcui ſuo triumphali à Florentinis ſuis inſcribi paſſus eſt iſthæc verba: *Dignus eſt Leo in virtute Agni accipere librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus*) Cardinalium Collegio per factiones mirè ſciſſo, cùm Dominicus Thuſcus Regienſis Cardinalis Hiſpanorum ſtudiis & quadraginta quatuor ſuffragiis è cella ſua in S. Sixti Sacellum ad adorationem jam elevatus & à pluribus adoratus, Baronii verò clamoribus & ſtudiis obturbatus deturbatúſque eſſet, & Baronium denuo plures confuſo clamore fruſtra depopoſciſſent; Camillus Borgeſius, qui Pauli V. nomen aſſumpſit, à Gallica factione, cui Aldobrandini & Montaltani arbitrium detulerant, Papa electus eſt. Non ſine juſto Dei judicio evenit, ut arcana utriuſ-

Leo XI. viginti ſex dierum ſcenicus Papa.

Paulus V. miris factionibus Papa electus.

Arcana Conclavii Leonis

XI. & Pauli V. à Card. Perrono prodita.

utriusque Conclavis, tum in quo Leo XI. tum in quo Paulus V. electus est, per Cardinalem inprimis Perronum, qui ejus historiam Die XI. Mart. & XXVII. April. A. M. D. C. V. & VIII. ac XIX. Maji A. M. D. C. VI. literis consignavit; (quas ejus ut & Cardinalis Jousæ literas sub finem primæ partis *Legationum & negotiationum ejus* videre est) in vulgus etiam emanârint. Inde enim penitus liquere omnibus cœpit, non Sancti Spiritus, sed carnis consilia in electione Pontificum dominari: de quo inferiùs plura. Paulo jam Pontifice Conspiratio Anglicana pulveraria, & Henrici IV. parricidium, quæ supra fusiùs, connexa scilicet serie rerum, exposuimus, acciderunt. Passus verò idem est, in librorum Romæ, Bononiæ & Neapoli impressorum inscriptionibus, se salutari *Vice-Deum*, *Christianæ Reip. Monarcham invictissimum*, *& Pontificiæ Omnipotentiæ Conservatorem acerrimum*; quin etiam sibi applicari dicta Scripturæ, veluti Jerem. XXVII. 8. *Gens & Regnum, quod non servierit illi, in gladio, & in fame, & in peste visitabo super gentem illam, dicit Dominus:* & Dan. VII. 14. *Dedit ei Dominus potestatem & Regnum, & omnes populi ei servient. Potestas ejus potestas æterna, & Regnum ejus, quod non corrumpetur:* (quorum ille locus Regem Babyloniæ spectans non malè fortè quadravit; at hoc de Christo sonans nonnisi blasphemè detorqueri potuit) denique Esai. XLIX. 23. *Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ. Proni in terram incurvabunt se tibi, & pulverem tuum lingent.*

Paulus Divinis titulis se ornari patitur.

Historia dissidii Paulum inter & Venetos, ob interdictum de bonis soli & immobilibus Ecclesiasticis non acquirendis, alii aque subeant, fusius narrata.

CCXX. Statim initio Papatus sui Paulus Venetis litem gravissimam intentavit, eò quòd Respublica, dum Sedes vacaret, legem sciviſſet, qua Ecclesiasticis interdicebatur, ne quid soli & immobilium bonorum possent acquirere. Legem eam, utpote Concilio & Canonibus libertatique adeò Ecclesiasticæ adversantem, abrogari Papa petiit. Renuerunt Veneti, ostendentes per Oratorem mul-

tis

tis verbis, nihil lege ſua contra libertatem Eccleſiaſticam decretum eſſe: nam legem ad ſubditos ſolutæ conditionis directam eſſe, de quorum bonis ſibi, neminem in temporalibus præter Deum ſuperiorem agnoſcentibus, ſecundum jura ac leges ſtatuere liceat. Nihil Eccleſiaſticis illa lege imperari aut injungi; non illis auferri rei donatæ, aut in favorem eorum quomodocunque alienatæ, pretium, ſed poſſeſſionem rerum ſoli, ne tractu temporis ſubditi, qui onera ordinaria & extraordinaria imperii ſuſtinent, bonis illis omnino ſpolientur, & impares tandem ad ea ſuſtinenda, imperium infirmum & omni ope deſtitutum deſerant. Id ipſum alios Reges Principéſque in ſuis ditionibus ſemper ſtatuiſſe, nominatim Cæſares Valentinianum, Valentem & Gratianum, edita & ab Hieronymo laudata Conſtitutione; Carolum M. in Saxonia, Francorum Reges, Eduardum III. in Anglia, Carolum V. in Belgio, &c. Præceſſerat, Clemente VIII. Pontifice, jurisdictio ab iiſdem exercita in Eccleſiaſticos, Brixianum Monachum Auguſtinianum, qui undecennem virginem ſtuprâſſe & occidiſſe convictus fuerat: Scipionem Saracenum hominem impudica vita infamem, & Brandolinum Valdemarinum, ſcelerum plurium compertum: nec non interdictum, ne quis ſive religioni ſive ſacris addictus, ſive Scholas, ſive Collegium, Sacras ædes, Xenodochia, cœnobia in ſuæ jurisdictionis territorio, inconſulto & non conſentiente Senatu, ædificaret. Quæ diſſimulata à Clemente Paulus cum concoquere non poſſet, ad tria tandem capita ſuas adverſus Venetos querimonias contraxit, videlicet de lege, quæ novas templorum & ædium ſtructuras ſpectabat: de lege altera, qua bonorum immobilium acquiſitio vetabatur: denique de juriſdictione in Eccleſiaſticos. Pro legibus igitur patriis, juribus, libertate publica pugnabant Veneti. Contra Pontifex juriſdictionem Eccleſiaſticam

convelli, & ſuam authoritatem infringi clamitabat. Cúmque pro juribus ſuis Veneti ſtrenuè contenderent, Pontifex ad diras converſus, diploma ad Præſules Venetæ ditionis miſit, quo memoratas leges abrogavit, & niſi intra viginti quatuor dies à Republica abrogarentur, & captivi traderentur, jam nunc Principem & Senatum, qui nunc eſt, & deinceps erit, & totam Venetam ditionem interdicto ſeu anathemate ſubjiciebat. Veneti Duce novo Leonhardo Donato (qui excommunicationem Papæ *brutum fulmen aëra feriens* vocavit) contra audentius ire, Patriarchæ Aquilejenſi diploma in ditione ſua promulgare volenti, exilium præſens interminari; contraria ad ſuos Præſules mandata mittere, & ubique ſacrum ſolenne templis apertis peragi, cœtuſque Eccleſiaſticos celebrari more ſolito jubere. Ita pauci Epiſcopi diplomati detulerunt, & ſacra more ſolito peracta ſunt. Jeſuitæ & novorum Ordinum ferè cuncti devoti Venetias reliquerunt; Donato Duce Jeſuitis valedicente his verbis: *Ite, nihil auferte, nunquam redite.* Jámque à verborum & dirarum jactatione res ad bellum inclinare viſa eſt, Venetis triremes inſtruentibus, & novas copias conſcribentibus. Pontificis interim diploma & cenſuram ad continendos in officio ſubditos cenſuræ ſubjicere placuit. Ubi Johannis Gerſonis Cancellarii Pariſienſis de clavium Eccleſiæ uſu & abuſu ſententiâ pro fundamento ſubſtratâ, multa ad cauſam ſuam tuendam Veneti ſuperſtruxerunt. Ante omnia Antonius Quirinus Senator populare ſcriptum à Supremo Decem virorum Conſilio, poſtquam à ſex Theologis, totidémque Juriſconſultis approbatum fuit, ſubſcriptum, plenum cæterà vehementis affectus, evulgavit, quo & legum controverſarum promulgationem novam defendit, & nihil niſi ex neceſſitate, & honeſtè juſtéque à Senatu ea in re factum contendit. Aliud eodem tempore contra Pauli interdi-

terdictum, ſcriptum evulgatum eſt, teſtimoniis Petri Antonii Ribetti, Archidiaconi Vicarii Generalis, F. Pauli Veneti, Reipublicæ Theologi, ex Servitarum Ordine, F. Bernhardi Jordoni, Michaëlis Angeli Bonicelli, F. M. Antonii Capelli Franciſcanorum, F. Camilli Auguſtiniani, F. Fulgentii itidem Servitæ firmatum, quod novendecim propoſitionibus abſolvitur, quo & exemplis & rationibus ac teſtibus recentibus ex jure Canonico petitis convincitur, Eccleſiaſticos in ditione Veneta non teneri obſervare interdictum, & Principem poſſe ac debere citra peccatum ejus obſervationem prohibere. Sed inprimis punctum omne tulit F. Paulus Servita, in hac cauſa nominatiſſimus, & Reip. Theologus: qui judicium ſuum ſumma moderatione & prudentia, *Conſiderationum* nomine ſeorſim ſubjecit, quo originem primam & ſeriem rei repetiit, & quid utrinque aut præcipitanter, aut officiosè actum geſtumque ſit, explicavit; leges, quæ impugnabantur à Pontifice, tanquam æquiſſimas, à legitima poteſtate latas defendit, jurisdictionem Principum in ſubditos, atque adeò ſacrum ordinem ex Dei verbo per Beatiſſimos Petrum & Paulum ſancitam aſſeruit, Patrumque teſtimoniis confirmavit; exemptiones clericorum beneficio Principum conceſſas probavit; libertatem Eccleſiaſticam ampliùs diſcuſſit, ac demum totam diſputationem Leonis Papæ hac ſententia, *manere Petri privilegium, ubicunque ex ipſius fertur æquitate judicium, nec nimiam eſſe ſeveritatem vel remiſſionem, ubi nihil erit ligatum vel ſolutum, niſi quod B. Petrus ſolverit vel ligaverit*; concluſit. Sed & alio Authore anonymo, credito tamen eodem F. Paulo, prodiit liber, qui octo capitibus eandem cauſam maſculè egit. Duo quinetiam Gerſonis opuſcula, cum præfatione ejuſdem, uti putabatur, Pauli publicæ luci data ſunt. Tum igitur Bellarminus, omiſſis Conſiderationibus, quibus F. Paulus no-

men ſuum præſcripſerat, in authorem anonymum & opuſcula ſtylum ſtringere cœpit, graviter ante omnia cum Venetis expoſtulans, quòd contra Synodi Tridentinæ ab iis receptæ decretum in ditionibus ſuis libros de rebus ſacris ſine authoris nomine typis mandari patiantur. Neque alio potentiore, quàm Concilii Tridentini, telo pugnatum, quippe quo cunctæ conſtitutiones & decreta Pontificia, quibus ſuprema illa poteſtas aſſeritur, rata & firma habeantur. Bellarminus autem non contentus octo propoſitiones anonymi refutâſſe, horrendis etiam ad ſervanda Pontificum interdicta exemplis cunctos hortatus eſt; veluti Boleslai Poloniæ Regis, qui à Gregorio VII. devotus ſuorum contemptum, rebelliones & diſſenſiones in Regno paſſus, & ad extremum extra ſe poſitus, vecors per ſilvas ferino more cum canibus errans, cùm repentino caſu expirâſſet, ab ipſis devoratus ſit; deinde Ludovici Bavari Cæſaris, qui Johannis XXII. & Benedicti XII. ſpretis cenſuris, tandem, lapſante equo, ſubita morte, non facta pœnitentia, nec à peccatis per confeſſionem expiatus, correptus fuerit. Bellarmino reſpondit Johannes Marſilius Neapolitanus, ex Ordine Seraphico, & eidem errores innumeros ob oculos poſuit, exempla quoque elevavit, oſtendens ſcilicet, Boleslaum non ob Pontificias cenſuras, ſed ob ſceleratam vitam, miſerè periiſſe; & Ludovicum Cæſarem non morte ſubita, verùm veneno ab inimicis propinato vitam finiviſſe; aliis etiam duobus exemplis in contrarium adductis, Johannis XII. & Bonifacii VIII. quorum anathemata ſpreta nihil noxæ attulerint; ad extremum ſummum Pontificem nudum à donariis & privilegiis Principum, jure Pontificatus, nullam habere laicam poteſtatem, neque ſupremam, neque mediam, neque infimam, neque actu, neque habitu, idque ex Navarri etiam ſententia, à Bernhardo deſcripta, concluſit.

Scri-

Scripserat idem Bellarminus adversus Opuscula Gersonis, cujus ceu hominis, pii licet & docti, per tempora tamen sciſſuræ in Scholis Galliæ, ubi Pontificia dignitas in arctum cogebatur, educati, & erroneas in æstu illo opiniones imbibentis, authoritatem elevare inprimis conatus est. Neque tamen sic factus finis scribendi est. Nam mox F. Paulus, author præfationis, Gersonis Opusculis præmissæ, creditus, jam renudato animo, nomen suum profitetur, tum præfationis illius, tum Gersonis etiam defensionem, prolixa & accurata apologia suscepit, & Concilii cumprimis supra Papam eminentiam, ex mente Gersonis, solidè demonstravit. Sed & ejusdem F. Pauli considerationes, quas intactas Bellarminus siverat, peculiari libro ad partes vocavit Joh. Antonius Bovius Novariensis Carmelitanus: contra quem longo & æque accurato scripto F. Fulgentius Brixianus Servita disputavit. Exceperunt deinceps duorum Cardinalium, Ascanii Columnæ & Cæsaris Baronii, vota, quibus Censuras Pontificis non solùm illi laudabant, sed etiam Pontificem, ut earum executioni strenuè insisteret, pleno affectu cohortabantur. Et Baronius quidem nulla præmissa salutatione, utpote agens cum devotis, ita differebat: Petri ministerium duplex fuisse, pascere & occidere, juxta illud: *Pasce oves meas. Macta & manduca*; hoc ultimum jam Papæ incumbere, excommunicare videlicet & mactare. Neque dissimulabat, se superabundaturum gaudio, si videre id sibi contigerit. Utrique voto illi Joh. Marsilius respondit. Post obstinatum in amplissimo orbis theatro super re maximè seria certamen, plerique promiscua cæde gregatim & catervatim concurrere cœperunt. Citatus interim ad Inquisitionis tribunal Johannes Marsilius cùm se defenderet, non solùm Ecclesiæ communione, sed omni etiam bonorum tam mobilium quàm immobilium possessione, & sacerdotiorum fru-

fructibus privatus est. Sententiam ut legit, pro nulla & invalida se habere declaravit. Citatus etiam F. Paulus, per literas ad Cardinales Inquisitores datas comparuit, causámque dixit. Demum Fulgentius longo scripto non ad Inquisitores, sed ad Archiepiscopos, Episcopos & Ordines Religiosos directo, protestatus, præcipuè fiscales minas de privatione bonorum, quæ nulla possideat, risit. Rebus exacerbatis nimium Pontifex pecuniis tum aliundè, tum ex creatione novorum Cardinalium collectis exercitum instrui jussit, imperatore dicto Ranutio Parmensium Duce; eique etiam Philippus Hispaniæ Rex, literis artificiosè scriptis, suppetias obtulit. A Rege contra Galliæ Henrico IV. missus Venetias Cardinalis Jousa componere flagrans dissidium mira solertia tentavit. Intercessit tamen reconciliationi nonnihil severa Jesuitarum ex universa Venetorum ditione proscriptio, ob facinora, quæ fuse Thuanus *Histor. lib.* CXXXVII. commemorat, inter quæ propiùs Venetos tangebant isthæc; *quòd arcana imperii & familiarum per confessiones eos rimari, persuasum haberent: quodque pueros in Scholis, adolescentes in Rep. sensim ab obsequio Superiorum alienarent.* Decretum igitur in Decem virorum consessu, ut si re ad concordiam inclinante aliquid pro tranquillitate publica remittere cogerentur, in Jesuitarum proscriptione constantiam servarent, & illorum restitutionem omnino à pacis negotio separarent. Probationes de aliis criminibus contra eos confectæ, ut haberet Senatus, quo se de negata restitutione Pontifici excusaret, si eos, quos belli jam accensi auctores, & porro novarum dissensionum incentores semper futuros timebat, intra viscera habere cogerentur. Visis actis & probationibus mense Junio A. M. D. C. VII. decretum tandem conditum, quo Jesuitæ exilio perpetuo mulctantur; addito, ne posthac possint restitui, nisi ex universi Collegii sententia, & acta primùm

ac

ac probationes in Decemvirorum conſeſſu coram Ducentis triginta recitentur, excluſis iis, qui Pontificiis partibus favere in occulto putantur. Interdictum ſimul eſt omne cum iis commercium, & pœnæ graves ſtatutæ in quoſcunque, qui à quoquam ex illo ſodalitio literas accepiſſe comperti fuerint. Tametſi verò tum pacis proxeneta Cardinalis Jouſa extremis viribus annixus fuerit, ut legem hanc refigeret Senatus: & Pontifex ipſe non refixa hac lege à conſiliis pacis ſe alieniſſimum oſtenderit; perſtitit tamen Venetis adamante fixa ſemel lata adverſus Jeſuitas ſententia: & Pontifici tandem Cardinalis Perronus efficaciſſimis rationibus perſuaſit, ut Jeſuitarum poſthabita reſtitutione oblatas cæteras pacis conditiones amplecteretur. Ita Jeſuitis exulare & plorare juſſis, pax Venetos & Pontificem inter, parario Regis Galliarum nomine Cardinale Jouſa, coaluit his ferè conditionibus; *ut Venetis libertas integra conſtaret circa ea, quæ in controverſiam Papa vocavit: traderentur ſine proteſtatione captivi:* XI. *Kal. Maji Venetiis coram Principe &* XXV. *primariis Senatoribus Jouſa, adducto ſecum Fraxineo, clauſis valvis, voce præconis interdictum Papæ revocaret, & Senatum univerſoſque ſubditos & ordines, qui in cenſuram incurrerant, abſolveret.* Ita Pontifex litem gravem adeò conteſtatus Venetis, cum pupillæ oculorum ſuorum, Jeſuitarum ignominia & damno præſentiſſimo, foro ceſſit, cauſaque cecidit, & documentum inſuper poſteris ſuis reliquit, bruta jam haberi ab ipſis etiam Pontificiis Poteſtatibus ſupremis Pontificum fulmina, neque magis quàm inanis fundæ ſonum eos, in quos vibrantur, territare. Diſſidio jam compoſito à conjuratis, Rodolpho Pomo, Michaële Vito Sacerdote, & Alexandro Parraſio, Jeſuitis, Poſſevino inprimis, colludentibus; in caput F. Pauli Servitæ, cujus potiſſimùm conſiliis cordatis & prudentiſſimis, Venetorum res, difficilimis hiſce temporibus

Claris in caput F. Pauli Servitæ, ob Venetorum cauſam ſtrenuè aſſertam, ſubornati.

steterant triumpharantque; sicarii subornati sunt Johannes Paulli Florentinus & Paschalis Bitontius, qui eum ad Monasterium suum pergentem invadentes, tribus gravissimis ictibus in facie & collo ferierunt, acinace uno in vulnere relicto. Neque tamen vulnera lethalia fuerunt; & patrocinium Servitæ Senatus non conjuratis duntaxat & percussoribus, qui effugerant, exilio perpetuo multatis, & præmio quater mille ducatorum ei, qui illos, ubicunque nactus fuerit, occiderit, promisso; sed vitæ etiam ejus securitate in posterum asserta, strenuè suscepit. Paulò prolixiùs dissidii illius historiam ex Thuano, aliisque etiam repetendam duxi, ut authoritatis & potestatis Pontificiæ decrementum, & apud ipsos etiam Pontificios status præsentissima imminutio magis inde colliqueseeret. Nam ex eo quidem tempore Pontifices, serò sapientes licet, diris adversus Reges & Principes abstinuerunt, audientésque adeò fuerunt dicto Nicolai Pontani, Venetorum Ducis, Donati prædecessoris, *uti* scilicet *Pontifices censuris seu anathematibus debere instar gladii vaginæ inclusi, non temerè distringendi, ne discerent homines ejusmodi telum contemnere*: qui etiam Gregorio XIII. obnuntiare non dubitavit, *verendum esse, ne Veneti, qui Græci olim fuissent, à Papa irritati, è Latio in Græciam migrarent.*

Paulus Espencæi Parisiensis Theologi verbis Ecclesia Romana facies depingitur.

CCXXI. Familiarem maximeque charum Paulo fuisse Claudium Espencæum, Theologum Parisiensem non desunt, qui commemorent. Et tamen ille jam A.M.D.LXXI. in vivis esse desiit. Sive igitur Paulus juvenis adhuc cum Espencæo amicitiam coluit, sive cum defuncti scriptis minimè equidem contemnendis familiaritatem contraxit, eaque in deliciis habuit, non parum ejus judicio Espencæi scripta exornari commendarique liquet. Juvabit igitur ex doctissimo ejus in Epistolæ ad Titum caput primum commentario nonnulla huc sevocare, ex quibus, quæ facies

Ec-

Ecclesiæ Romanæ ejus temporibus fuerit, perspici facilius queat. Ubi de αἱρεσεσχεδίᾳ Ecclesiasticorum (*Oper. pag. m.* 478. *&c.*) agit, sic illæ turpem cleri Romani quæstum traducit: *Annon αἱρεσεσχεδία est clarissima, quòd tam multa positivo tantùm jure præcepta vel prohibita, eousque ligant homines, donec pecunia sibi harum constitutionũ gratiam impetrent? Ita ut Regina rerum pecunia divitibus licitum faciat, quod pauperibus illicitum est, quia divitias, hoc est, spinas non habent. Hæc enim ita demum procedunt, si gratis ea quis facere intendat. Quòd si dolosi spes refulserit nummi, jam quod priùs erat interdictum, liberè fit ac impunè. Tam diversa est in his relaxandis divitis atque pauperis conditio. Vix enim quicquam prohibetur, quàm ut ne quis gratis contraveniat, & quod vetatur, numerata statim pecunia dispensatur, quasi nullum sit peccatum majus, quàm nummis carere, &c. Turpius, quòd Patrum canonibus impositam manifestis & scandalosis peccatis disciplinam, in pecuniariam redemptionem dispensationis titulo toties iidem commutant, & quasi contra quàm illi, ovium hi lanam & pecuniam, quàm pœnitentiã & salutem malint, Ecclesiastici rigoris in inferendis pœnitentiis & satisfactionibus immunitatẽ pecunia venditant. Quid quòd liberos vulgò conceptos & ex damnato coitu, incestisque hymenæis, contra Dei, Ecclesiæ, legúmque statuta editos, ejusdem pecuniæ vi legitimant, ad omnium statuum & dignitatum capacitatem idoneos reddunt, illegitimos ad parem cum legitimis successionem habiles interim reddunt & admittunt? Et ut, quod quidam ajunt,*

A bove majori discit arare minor.

Minores non tantùm Episcopi, sed etiam Archidiaconi, eorúmque malè officiosi, officiales & Vicarii, plerunque dum dioeceses & parœcias obequitant, non tam facinorosos & criminum reos pœnis & correctionibus à vitiis deterrent, quàm pecunia præsenti & numerata, titulo procurationis, ne dicam, fictitiæ jurisdictionis emungunt, & exugunt tam clericos quàm laicos. Turpissimum, quòd & hos cum concubinis, pellicibus & meretriculis cohabitare, liberòsque

que procreare ſinunt, accepto ab eis certo cenſu: habeat, (*ajunt*) *ſi velit.* Allegat deinceps *Taxam Cameræ* ſeu *Cancellariæ Apoſtolicæ*, librum palam & publicè Lutetiæ impreſſum & venalem; *à quo*, inquit, *plus ſcelerum diſcas licet; quàm in omnibus omnium vitiorum Summiſtis & Summariis; & plurimis quidem licentia, omnibus autem abſolutio empturientibus propoſita. Mirum*, addit, *hoc tempore, hoc ſchiſmate non ſuppreſſum tot tamq; fœdorum, tamque horrendorum ſcelerum velut indicem adeò infamem, ut non putem in Germania, Helvetia, & ubicunque à Romana Sede defectum eſt, opus proſtare majore ſcandalo. Et adeò tamen non ſupprimitur ab Eccleſiæ Romanæ favitoribus, ut tantorum facinorum licentiæ ac immunitates in facultatibus Legatorum illinc huc venientium, bona ex parte innoventur atque confirmentur, adverſus* (*ſi Deo placet*) *quæcunque fatalia reſtituendi, ac etiam quoſcunque ſpurios, Mamſeres, Baſtardos, ex illicito quocunque coitu, &c. cum his, qui ſe per adulterium polluerint, ut connubere poſſint, perjuros, ſimoniacos, falſarios item, raptores, uſurarios, ſchiſmaticos, hæreticos, ſed ad cor reverſos, non abſolvendi tantùm, ſed & ad ordines, honores, dignitates & beneficia quæcunque, quotcunque, qualiacunque, diſpenſandi, homicidas quoque, ſed caſuales, ſeu involuntarios: nam nec voluntarios excepit Taxa, presbytericidas, parricidas, matricidas, fratricidas, ſororicidas, uxoricidas, infanticidas, veneficos, incantatrices, concubinarios, adulteros, inceſtuoſos, cum affinibus aut conſanguineis, denique contra naturam, cum brutis &c. Habeat jam Roma pudorem, & tam nullius frontis criminum omne genus catalogum proſtituere deſinat.* Deinceps acri ſermone perſtringit Annatos, expectativos gratiæ, reſervationes in pectore, & infinita id genus, primùm quidem Eccleſiæ tam diu inaudita, nec à redivivis Petro & Paulo intelligenda, &c. Narrato inſuper Adriani VI. propoſito, Pauli III. de reformanda Eccleſia conſilio, quod *maculas*, inquit, *oſtendens tantùm, non auferens*, quemadmodum eluſum ſit, patefacit; Concilii

ter

ter Tridentum indicti narrata historia, queritur, adeò Papam Patribus curiæ reformandæ potestatem non fecisse, ut etiam quæcunque de reformatione morum & disciplina ecclesiastica inferioribus præscripsit, in his semper salvam S. A. authoritatem & esse & intelligi *Sess. ult. can.* 21. declararit: ut non minùs gratè quàm piè Pius idem magnam gratiam Patribus Tridentinis publica oratione Romæ in frequentissimo Cardinalium Consessu habuerit, quòd in ecclesiastica emendatione tantam authoritatis illius rationem habuerint, tantaque in eum moderatione sint usi, ut si is se ipse suaque reformare voluisset, longè in se severior futurus fuisset. Monet autem graviter Pontificem, saltem deinceps reformandæ ecclesiæ serium studium suscipiat. *Certè videt*, inquit, *propter aliquot ejus præcessorum sua, non quæ Jesu Christi sunt, quærentium ἀιοχρόντρδια & avaritiam (ut ex scriptoribus ei licet Sedi addictissimis, probare possumus) in quem statum adducta sit S. A. & tota Christi Ecclesia, quàm multa non multis abhinc annis ab ea facta sit discessio, metuendum, ne major fiat, nî aliquando tandem remedium adhibeat, si tantis, quibus obruitur Ecclesia, malis medendis allata mora fuerit, hoc futura damnosior, quò longior. Et tam diuturnorum motuum non alia causa, quàm quòd tot annis nihil immutatur, nihil emendatur, & omnis reformandi spes inde abrupta, species ablata, quòd reliquum Ecclesiæ corpus reformatum velint, qui* (NB) *tam multis annorum centenariis urbem, in qua merum atque mixtum habent imperium, deformatissimam adhuc reliquerunt. Quid enim vel excusare vel excogitare verum aut verisimile possunt, quib° non vel Rex vel Cæsar, non populus, non clerus, non generalis Synodus, non tota denique Ecclesia dicere potest, Cur ita facis? quid, inquam, prætexere possunt, quod eis sibi suisque reformandis moram vel remoram tandiu fecerit? Et* (NB) *tamen sub sole major malorum omnium licentia, clamor, impunitas, ne dicam infamia & impudentia? Talis sanè ac tanta, ut nemo credat, nisi qui viderit, neget nemo,*

nisi qui non viderit. Subjungit, posse se inde ab Hieronyma querimoniam & quidem perpetuam, texere. Satis tamen habet produxisse testimonia ætatis proximæ, S. Bernhardi scilicet, Baptistæ Montuani, Volaterrani, Adriani VI. Cardinalium Pauli III. & eorum ipsorum, qui Concilium Tridentinum inchoarunt. Negatque, Pontificem Pium V. Galliam etiam deformem nimis reformare, mutantem continere posse, *nisi juxta nomen suũ sua primùm piet ac repurget, juxta cognomen & generosissimum genus suum, suis primum, quod est in proverbio, medeatur, & taxas illas αἰσχροκερδίας nomine multis meritò maledictis multorum taxatas, reliquámque Cameræ Cancellariæque Apostolicæ nihil minùs quàm Apostolicam, quàm Paulinam aut Petreiam negotiationem nundinationémque, quasi quoddam Augiæ stabulum tandem vel repurget.* Idem præfatione gravissima ad Cardinalem Carolum Lotharingum, Operibus, quæ superstes adhuc edidit, præfixa, non tam orat, quàm tonat in Pontifices, Cardinales, Episcopos, missio prædicandi ex Dei verbo munere proprio, alia omnia agentes. *Quales quæso,* inquit, *in istis, quibuscum mihi negotium est, Christi vices, quàm imaginaria discipulorum ejus hæreditas aut successio, in eas modo res quas illi non possidebant, ne somniabant quidem, involare, in latifundia, aulas, castra, satrapias, palatia: quas verò res sic iidem curârunt, ut prope solas curâsse videantur; doctrinam, orationem, sacra mysteria, in ea istos non succedere, aut quasi non successerint, eas nunquam ne per somnium quidem procurare?* Talis scilicet successio est, à Pontificibus tantopere jactata! Claudit verò: *Eant ergò, & Christi vicarios & Apostolicos se jactent, qui suas nunquam diœcesis invisunt, neque Cathedras inscendunt, ac nec inscendere quidem possunt, immanissimi Ecclesiarum hodie magis incubatores, quàm ovilium excubitores.* Hæc ex Espencæo Doctore Pontificio percelebri, quem Bellarminus *Tom.* 1. *Indic.* 1. in *Auctoribus Romanæ Ecclesiæ* refert; quique in Epitaphio Parisiis in marmore, in

æde

æde sacra Cosmæ ac Damiani, insculpto, vocatur *Theologorum hujus Seculi princeps, & à Rege Christianissimo Francisco I. Melodunum, Henrico II. Bononiam, Francisco II. Aureliam, Carolo IX. Possiacum Religionis componendæ ordinandæque nomine, inter primos augustissimi Galliæ Regni Proceres, partim Legatus, partim orator de re Christiana sanctissimè doctissiméque disceptâsse* dicitur; quique etiam Paulo V. familiaris & charissimus fuisse fertur, occasione isthac, extra locum repræsentanda potiùs, quàm omnino negligenda duxi.

CCXXII. An verò Espencæi hujus piis salutaribúsque consiliis morem gessisse Paulum constat? Nihil certè minùs. Ecclesiam enim adeò non reformavit, ut deformare etiam perrexerit. Inter altiores scilicet ejus curas erat, Parricidas Regum defendere: potestatis suæ malis artibus hactenus quæsitæ peristromata dilatare: dies festos jubilæos agitare: Cardinalem Carolum Boromæum, Archiepiscopum Mediolanensem, de quo magna Carolus Torniellus Italus, crepabat; in Sanctulorum; & Ignatium Lojolam, famosum Solipsorum regulum non in Sanctorum quidem, at Beatorum tamen (ut noverint ita Ignatiani, suum Ignatium licet minimè *Sanctum, Beatum tamen*, in terra scilicet, at non in Cœlo, in quod nemo non sanctus intrare potest, habendum fuisse) numerum referre: in Exquilini montis arca Pacis columnam magnis sumptibus erigere: & si quæ alia ejusmodi sunt, oculiferia proferre.

Paulus V. Ecclesiæ non reformator, sed deformator.

CCXXIII. Quàm se in componenda de gratiæ auxiliis & libero arbitrio controversia, Jesuitas inter & Dominicanos acerbissimè agitata, Palæmonem segnem idem Paulus gesserit, supra diximus. Neque viriliorem animum gessit in componenda vel decidenda de Conceptione B. Virginis Mariæ, maculatáne peccato, an immaculata fuerit, controversia, quæ antehac graviter Sathanicis etiam Bernæ A. M. D. IX. Wigando Wirtio Dominicano secundas

Controversias de auxiliis gratiæ & conceptione Mariæ definire non est ausus.

post

post Diabolum partes in scena tractante, artibus interve-
nientibus; at Paulo Pontifice, inde ab A. M. D. C. XIV. ad
A. M. D. C. XXI. usque gravissimè Ecclesiam Romanam exer-
citam habuit, quando motus impetuosissimi à conflictan-
tibus Dominicanis & Franciscanis denuo suscitati, univer-
sam inprimis Hispaniam non concussérunt duntaxat, sed
in anceps etiam discrimen conjecerunt. Historiam fusè
descripsit Lucas Waddingus, Hibernas Minorita, Anto-
nii à Trejo, Episcopi Carthaginensis & Minoritarum Ge-
neralis, hac ipsa in causa Romam missi Theologus. Res
eò processit, *ut tota ferè*, verba ejus refero, *arserit in dis-
sidii incendium Hispania.* An verò medicam malo huic ma-
num Paulus adhibuit? Miseratus scilicet sortem Hispaniæ
Die VI. Julii A. M. D. C. XVI. Apostolicum edictum strinxit,
& emissa die XII. Septembr. A. M. D. C. XVII. Bulla Sixti IV.
Concilii Tridentini, & Pii V. sanctiones, constitutionesque
que innovavit, omissáque sententia decisiva quæstionis
dubiæ, id unum prohibuit, ne in cœtibus publicis asseratur,
B. Mariam virginem in peccato originali fuisse conceptam.
Post multas deinceps Legationes à Rege Philippo Romam
expeditas, definitionem quæstionis instantissimè flagitantes,
nihil effici potuit; mansitque Paulus ad mortem usque ita
in negotio eo suspensus, ut quamvis, Waddingo teste, interior
ejus sensus in Dominicanorum partes flexerit, certi tamen
quidpiam, alterutrius partis metu, pronuntiare non sustinuerit.
Cúmque eo mortuo non quievissent, sed magis etiam in
Hispania æstuâssent turbæ, Gregorius XV. die XXIV. Maji
A. M. D. C. XXII. edita bulla decretum Pauli ampliavit hactenus,
*ne quisquam etiam in scriptis & sermonibus privatis audeat asserere,
quòd B. Virgo in peccato concepta sit, exceptis, quibus à Sede
Apostolica fuerit hoc specialiter indultum. Ita tamen, ne novo
hoc decreto opinioni illorum, qui maculatam conceptionem asserunt,
præjudicium infe-*

Motus in Hispania ob posteriorem excitati.

Gregorii XV.

ratur. Literis simul ad Philippum IV. exaratis, rationem nondum decisæ quæstionis hanc Papa reddidit: *quòd nondum æterna Sapientia Ecclesiæ tanti mysterii penetralia patefecerit.* Sic igitur conceptionis maculatæ asserores, hactenus loquaciores cicadis, ad ἐχεμυθίαν redacti, & in ranas Seriphias commutati sunt. Mox tamen XXII. Julii Gregorius etiam Dominicanis os subliturus, nova constitutione per formam indulti non aliis, quàm Dominicanis, permisit, *ut inter se duntaxat, & non inter alios & cum aliis, & in privatis colloquiis possint differere & tractare de materia conceptionis B. Virginis:* quod in priore decreto omnibus affirmativæ sententiæ tutoribus erat interdictum. Imitatus hic planè est Gregorius ingenium illius meretricis, quæ, dum amasiorum suorum uni arrisit oculis, alterius manum apprehendit pressitque, utrique ut satisfaceret. Demum Alexander VII. Cardinalis Pallavicini studiis, uti putatur, concitus, veteres Pontificum ea de re constitutiones innovatas, gravioribus pœnis constitutis, arctiùs adstrinxit. Extat ejus Bulla D. VIII. Dec. A. M. D. C. LXI. vulgata, in qua ita asserit, B. Virginem *præveniente Spiritus S. gratia à peccato originali præservatam*; ut simul in gratiam Dominicanorum veret, ne quisquam tenenti opinionem, quòd B. Virgo cum peccato originali concepta sit, hæreseos crimen impingat, *cùm*, inquit Bulla, *ab Ecclesia Romana & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout nos nunc minimè decidere volumus aut intendimus.* Ita controversiam per quinque ferè Seculorum decursum acriter adeò, multasque per tristes tragœdias agitatam, nondum Alexander decidere voluit vel intendit. Cumque Sixti, Pii, Pauli, Gregorii, Alexandri hi supremos se fidei in Ecclesia militante judices haberi voluerint: vel lumine Spiritûs S. caruerunt; vel Spiritu soporis percussi; vel, quod verius est, gravi metu devincti fuerunt, ne scilicet sive Dominicani, quorum in

& Alexandri VII. de eadem definitione.

Hiſpania maximè ob demandatum iis officium inquiſitionis potentia ingens eſt; ſive Franciſcani, iiſque hac quidem in cauſa conjunctiſſimi, Jeſuitæ, Regibus & Principibus univerſis, Pontificíque etiam ipſi non tam venerabiles quàm formidabiles, deciſione qualicunque offenſi Pontificiæ poſthac aſſerendæ & ſuffulciendæ Monarchiæ deeſſent, partéſque, quas ſtrenui adeò hactenus egerunt, defererent. Hanc ſcilicet ob cauſam Auſonius Præſul hic Eccleſiæ ſuæ tamdiu dormivit, & Gregorii ſeu Vigilantii ipſi Dormitantios; Alexandri Therſitas egerunt. Effeceruntéque, hac ſive ſocordia, ſive aſtutia, ut immaculatæ conceptionis aſſertores Jeſuitæ longius progreſſi, ſequenti quarto poſt Bullam Alexandri VII. editam die, puta d. XII. Dec. A. M. D. C. LXI. Pariſiis in Collegio Clarimontano hanc theſin pro aſſertione Catholica venditaverint: *Quid non potuit Dei mater electa? Non tantùm plures circumſtantias incarnationis probabiliter meruit, verùm etiam maternitatis executionem.* Quam novitiam hæreſin meritò alii ſtatim traduxerunt.

Nova tempeſtas adverſus Eccleſiam à Jeſuitis per Ferdinandum Archiducem Auſtriæ excitata.

CCXXIV. Eodem Paulo Pontifice, conſiliis de propaganda fide novis Romæ cuſis, turbarum Æolis Jeſuitis, Germaniam univerſam graviſſima tempeſtas corripuit, & pertinaci bello triginta annorum tantùm non conſumpſit. Jeſuitæ ſcilicet, in generis humani perniciem nati, in gratiam heri ſui Pontificis, iterum poſt Carolum V. contra Eccleſias Reformatas bello experiri decreverunt, tentaturi alia via, an pridem cupitis potiri queant. Nacti autem furori ſuo ideneum inſtrumentum ſunt Ferdinandum, Auſtriacæ Archiducem, inde Regem Bohemiæ, & poſt Imperatorem etiam, quem ſolitis artibus ſuis, & religionis calumnia conſiliis ſuis innectere voluerunt. Initium facere à Behemia placuit. In ea regnante & imperante Rodolpho II. A. M. D. C. IX. Evangelici ſeu Ordines ſub Utraque,

Occaſio ejus fuit favor Rodolphi II. erga Eccleſias Bohemicas.

re-

reclamantibus licet Papa, factione Hispanica, & Consiliariis nonnullis, Jesuitismo infectis, & fidem, quam Hungaris & Austriacis ad Matthiam fratrem desciscentibus, eidem Rodolpho illibatam servaverant, plenam religionis libertatem, Majestaticis ab Imperatore eodem litteris confirmatam, & ad easdem observandas successoribus etiam in Regno obstrictis; adepti sunt. Creati quoque, eodem Rodolpho consentiente, sunt Libertatis Religiosæ tutores & conservatores, composita rite sacra, denique inter Ordines *sub Utraque* & sub *Una specie*, hoc est, Evangelicos longè plures, & Pontificios paucos, de mutua pace amicè solenniterque transactum fuit: nequicquam resistentibus tribus Jesuitarum pullis, Popel de Lobkowitz, Regni Cancellario, Guilhelmo Slawata de Chlum, & Jaroslao de Matinitz Smeczansky, adversus quos si turbare quandoque animum inducerent, protestatio Ordinum sub Utraque edita, tabulis Regni, Rodolpho concedente, illata, inter privilegia asservata fuit, ea lege, ut unà cum cæteris Regni privilegiis à Rodolphi successoribus juramento solenni confirmentur. Atque tanta mox Evangelicæ religionis amor & confessio incrementa habuerunt, ut vix centesimus diversarum partium inveniretur ampliùs. Meditabatur idem Imperator & Rex Bohemiæ Rodolphus superstes adhuc *Ordinem pacis*, pro conscientiarum libertate aureæ torquis insigni condecorandum; ad cujus societatem Reges & Principes Evangelicos & Pontificios etiam invitare constituerat. Cumque improles fratris Matthiæ similiter improlis, nec non Ferdinandi Archiducis cleri Pontificii à nutu pendentis utriusque, adeoque libertatem eam post mortem suam concussuri, ingenium suspectum haberet; Ferdinandi fratrem Leopoldum, Episcopum licet Passavii, at civilis animi fidem facientem, bonisque consiliis obtemperaturum, adoptare simul jam destinaverat.

Rodolphus acie victus moritur.

CCXXV. Cæterùm ipsa hæc halcyonia sequentium motuum quin & horrendæ deinceps tempestatis præsaga fuerunt. Concurrentibus enim A. M. D. C. XI. infestis Rodolphi & Matthiæ signis, hujus exercitus acie superior tantum Rodolpho mœrorem attulit, ut è vivis statim excesserit. Ita Matthias fasces capessens, de successore solicitus & ipse A. M. D. C. XVII. patruelem suum Ferdinandum Ordinibus paucis tempore messis collectis, & tantùm non invitis obtrusit: cui in Moraviam secedenti Jesuitæ Olomutii arcum triumphalem erexerunt, illique inter alia ornamenta Insignia Austriaca unà cum alligato catenæ hinc Bohemico Leone, inde Moravica Aquila, appinxerunt. Sequente etiam anno Molzheimii Alsatiæ prodiit ex recens fundata Jesuitarum Academia libellus, in cujus dedicatione Sodales Leopoldum, Academiæ fundatorem, ad igneum adversus Evangelicos Zelum concitârunt exemplo Fratris Ferdinandi, qui, inquiunt, *utut hæreticis in Bohemia sub coronationis horam pro more juramentum præstiterit, priùs tamen in Sacrario Ecclesiæ deposuerit, nihil se unquam hæreticis in Ecclesiæ fraudem concessurum.* Rebusque & experiundo constitit, Ferdinandum Evangelicis ore, Papæ verò corde jurâsse. Statim enim initio Regni ejus homines nefarii, consultores pessimi, id unum operam dederunt, ut literas Majestatis convellerent, libertatisque adeò in religione concessiones illas, si non data fide sanctas, certè ingenti subditorum pretio redemptas, cuniculis subruerent, denique injurias injuriis cumulando patientiam Ordinum fatigarent: qui tandem inconsulto impetu abrepti, vitamen protestationis jam A. M. D. C. IX. adversus turbatores pacis editæ, Smeczanium & Slawatam supra dictos, unâ cum Philippo Fabricio, technarum omnium conscio, è fenestris arcis præcipites dederunt; & mox d. XXIII. Maji, A. M. D. C. XVIII. Jesuitas, ceu malorum omnium Architectos,

Matthias successor improles Bohemis Ferdinandum successorem obtrudit.

Ordines Regni turbatores Pacis confiliarios Pontificios & Jesuitas compescunt,

ctos, Regno proscripserunt. Id verò, vigore licet literarum Majestatis attentatum, Cæsar Ferdinandi & Henoticorum, seu Ligistarum instinctu, injuriam læsæ Majestatis interpretatus armis vindicare statim statuit. Neque segniores Ordines defensionem parant; Moravis statim & Silesiis, quòd religionem communem peti cernerent, in Bohemorum partes concedentibus. Interim Matthias fato functus, & spreto Ferdinando, in ejus locum Fridericus Elector Palatinus Rex Bohemiæ electus est. Atque tum demum

& Fridericum Palatinum Regem eligunt.

mansit alta mente repostum
Judicium Paridis, spretæque injuria formæ.

Mox enim Bohemi à Ferdinando & Henoticis, Duce Maximiliano Bavaro, victi, Praga Metropolis capta, Rex novus pulsus, denique panico terrore perculsi omnes sunt. Fidem victor continuandæ libertatis Bohemis, Moravis & Silesiis, ut faciliùs universos sub jugum mitteret, sanctè promisit, sed mox penitus idem destituit. Statim enim atrocissima insecuta persecutio Evangelicæ religioni panolethriam attulit.

Inde bello victa Bohemia Ferdinando succumbit.

CCXXVI. Juvabit autem novæ & horrendæ Bohemorum persecutionis μηθοδειαν novam cognoscere. Neque enim eodem, quo in Anglia, Gallia, Belgio, modo rem aggredi placuit, experientia scilicet edoctis, *fortiores illas purgationes*, sanguinis innocentis effusiones Cainiticas, vivicomburia Hussitica & Hieronymiana, præcipitationes in fodinas Cutenbergenses; *ad hæreseon morbos pellendos hactenus adhibitas, parùm profuisse. Tentandum esse jam, utrum commoda dicta* (sic loquebantur contemptim, cùm Ecclesiis pastores, uxoribus maritos, parentes liberis, bona singulis eriperent, & miseram vitam postea superpondii loco, nullo juris processu, sed per impios cruentósque milites spoliatis, longóque & tetro carcere maceratis vel adimerent,

Nova methodus, qua ex Bohemia religionem veram Jesuita profligaruit.

rent, vel in exilium, quod *Diætam* vocabant, expellerent) *curari possint. Hæreticos itaque non mortibus afficiendos (quibus illi tanquam martyriis exultarent) sed aliis viis fatigandos, & ad obedientiam reducendos esse. Proinde & odiosum illud ac durum nomen Inquisitionis in mollius Reformationis commutandum esse.* Hoc decretum in secreto sacroque Consilio Romæ A. M. D. C. XVII. inter medios belli apparatus initum conclusumque esse, certis indiciis post innotuit, & eventu ipso comprobatum est. Hispanus certè nonnemo, clarum per flagitia nomen adeptus, Martinus de Huerda, palam gloriari auditus est, cùm nuntium de victis Bohemis Viennam advolâsset, authorem se Cæsari fuisse, ut promiscuis adversus hæreticos cædibus sæviret, & internecione universos deleret; at respondisse Cæsarem: *Datam jam esse per Bavariæ Ducem Bohemis fidem: neque tamen defuturos modos, quibus hæresis & rebellandi libido gentis efferæ retundatur.* Primò igitur omnium imbelles Anabaptistas, nullis in mundo præsidiis innixos, proscripserunt; inde Evangelicos variis artibus aggressi, sensim eos tum nimiis exactionibus, tum oppressionibus, promissis, minis, etiam tormentis, carcere, partim ad apostasiam, partim ad fugam & exilia compulerunt: talique, si Diis placet, *diæta* universam Bohemiam, Moraviam & Austriam postliminio Romano Pontifici subjecerunt: non tam Diocletiani, Maxentii, Philippi Hispani, Caroli IX. leoninas meras, quàm Juliani Apostatæ vulpinas cum leoninis mixtas artes imitati. Historiam vir doctissimus & integerrimus, testis αὐτόπτης, historiæ persecutionum Bohemicarum author, *cap.* 45. 46. *&c.* narravit: qui meritò *cap.* 107. his verbis hostibus, dicta sua Bohemiam reformantibus, insultavit: *Egregiam verò laudem & spolia ampla retulistis, ô animarum lenones! Gregem Epicuræorum effecistis, qui ollas sectantes, ob cucumeres & pepones, & porrum, & cæpas, Ægypti mancipia fieri sustinuerunt.*

Quin

Quin atheismi semine conseviſtis corda hominum, pleriſque jam nihil credentibus; & ne quid conſcientiam opio veſtro ſopitam remorderet, omnem Dei cultum ſubbatum, capientibus. Si mitiùs loquamur: ecquid lucri, ut homines vos mentiri adigatis? An enim omnes illos, quos novum veſtrum Catholicismum profiteri coëgiſtis, veſtrates eſſe confiditis? Removete, quæſo, ab altera parte aurum & illecebras, ab altera gladios, eculeos & alia crudelitatis inſtrumenta, conſcientiarúmque libertatem reſtituite: quàm ſeriò veſtra ſint amplexi, mox videbitis. Si igitur pſeudoamicus eſt, qui alterius fortunam ſequitur, non animum; Vos cur tam ſtolidi eſtis, ut vobis tantopere de iis, qui aſſentandi ſolum gratia, aut coacti, veſtræ victoriæ fortunam ſequuntur, gratuleminí? Faſtus Babylonicus ſtimulat vos, ut quacunque ratione allecti vel adacti ad adorandam auream veſtram ſtatuam populi, & nationes, & linguæ veſtrum ſonum tibiæ, citharæ, ſambucæ, nablii, & omnium inſtrumentorum Muſicorum audiant; Vos autem vino ſcortationis inebriati, ſecuriùs, & in majori ſpectantium ac plaudentium numero, jucundiùs conſuetas choreas ducere poſſetis. Sed bene eſt, quòd adventare ſcimus tempus, quo vocem Citharœdorum & Muſicorum in te, ô Babylon, ceſſare faciet Dominus.

CCXXVII. Nunquam majori in diſcrimine poſitæ erant res Evangelicorum, quàm poſt illam cladem Bohemorum. Jeſuitæ enim jam quaſi parta de univerſa Germania, imò omnibus Evangelicis, victoria inſolenter triumphârunt, ac nil niſi cædes Proteſtantium, hæreticorum excidia ſpirârunt. Auſúſque eſt eorum alimonia, ſervitio, cultu, omnibus externis infectus & conductus Hagitioſiſſimus Grammaticus, Gaſpar Schoppius, (ſive ut ſe Italice appellari maluit, Scioppius) vibex & macula ſuæ gentis, ex Palatinatu quippe ſuperiore Neogora oriundus, ob ſcelera Altorfi patrata ad apoſtaſiam prolapſus, furioſus Alaſtor, & *vivorum cerberus* meritò à Theodoſio Berenicó, (quod ſibi nomen integerrimum pectus, Mathias

Anceps indè Eccleſia Evangelicæ ſtatus maximè.

Scioppius claſſicum belli ſacri canit.

thias Berneggerus, qui Classicum belli edita tuba pacis doctissimè discussit; induerat) dictus, sacri belli classicum canere, Protestantium omnium ferale excidium promittere, ipsisque adeo Regibus & Principibus Evangelicis (*Classis pag. 4. & 56.*) restim patibulumque minari, ipse furcifer potius à restione collare; & si quid pejus, promeritus, quamcunque etiam sibi ex sanguinarii dogmatis diritate asserta, & portentosis mendaciis, vel opimam Episcopen, vel purpureum etiam galerum receperit: qua spe adeò miser defraudatus est, ut extrema senecta scriptis Patavio, ubi præ Jesuitarum, proditorem post irritam proditionem flagrantissimo & internecino odio prosequentium, metu delitescebat, Leidam exaratis literis, ad Evangelicos reditum obtulerit, rejectus apostata contemptúsque ob vanitatem meritò. Sed & Pontifex ipse Paulus, invalescente Ferdinandum inter & Fredericum bello, universo per Italiam clero bis sex decimas, unas in monasteria, collegia, Ecclesias, &c. alteras in personarum ecclesiasticarum reditus; in belli imminentis sumptus imperavit; atque eodem Italiæ exemplo reliquum etiam clerum in aliis regionibus ad largiendum impulit, ad sacerrimúmque ita bellum, classico veluti cantato, conclamavit.

Paulus Papa ex decimis Italiæ, aliarúmque regionum bellum sustentat.

CCXXVIII. Ex Bohemia translatum bellum est in Palatinatum, qui brevi totus, deserto ignavia, an fide mala dicam, amicorum communem causam destituentium in felice exitu, Friderico, in Cæsaris potestatem redactus, colla jugo Pontificis subdere jussus est. Excepit passiva gentium populorumque defectio, & pauci exilium pati, quàm veritatem semel agnitam abnegare maluerunt. Reformatis in ordinem redactis persecutio ad Lutheranos etiam, seu otiosos calamitatum præteritarum spectatores, seu Cæsareanorum etiam moliminum incautos, & seductos à cerebrosis & implacabilibus, in Schola crucis non edo-

Palatinatus & universa Germaniæ calamitas.

edoctis, publicíque commodi moratoribus Theologis nonnullis, satellites, penetravit. In eo scilicet Cæsareanorum consilia steterant, ut Germania universa ad domus Austriacæ, Pontificis verò inprimis Romani obsequium reduceretur. Hinc ingens illud & pertinax tricennale bellum intestinum Germanicum, in quo plus sanguinis fusum, quàm aquas Danubius, Rhenus & Albis volvit: hinc miserrima florentissimarum Provinciarum vastitas. Intra unum certè Magdeburgum Tillius triginta hominum millia & ampliùs obtruncata in Albim conjecit, ipsámque urbem vetustissimam & ampliſſimam funditus evertit. Hoc primum trophæum fuit, quo reliquæ civitates, præsertim Norimberga, Augusta, Ulma, Ratisbona, aliæque admonerentur, quid in secreto de propaganda fide consilio concluſum sit. Accessit ad depopulationes promiscuas, in quibus pari sorte amici & inimici premebantur, edictum Cæsareum, die VI. Martii A. M. D. C. XXIV. promulgatum, altioris planè indaginis, quo Protestantibus, ut bona Ecclesiastica dignitatésque inde à Pacificatione Passavienti, annorum septuaginta quinque intervallo medio occupatas, clero Pontificio restituant, severè injunctum. Denique ita fortuna Pontificiis lenocinante, sic omnia gerebantur, ut Protestantium omnium jugulum peti nemini ampliùs ambiguum esset. Rebus ita inclinatis conclamatísque, suscitavit Deus ab Aquilone felicissimum fortissimúmque libertatis Germanicæ Vindicem, Gustavum Adolphum, Suecorum Regem, qui, ceu fulmen quoddam ab ultimo Septentrione, admirabili celeritate universam victoriis suis Germaniam peragravit, ac omnia Jesuitarum & homicidarum Papalium consilia, tot annorum conatus machinationésque repente disjecit & irrita reddidit. Duabus victoriis, ad Lipsiam una, altera ad Lutzenam, ita Henoticorum ferocia domita est, ut non modò Protestantium partes

Ferdinandus à Protestantibus bona ecclesiastica repetit.

Conclamatis rebus Deus velut è machina succurrens, Gustavum Adolphum submittit.

qui Henoticis dextritis Ecclesiam feliciter adjuvat.

ſuperiores evaderent, ſed ipſi etiam Papiſtæ de ſumma rerum periclitarentur. Immenſi operis utique eſſet, omnes recenſere victorias, quas invictum Dei robur ex eo tempore Evangelicis indulſit. Quem verò funeſtiſſimum iſthoc bellum exitum habuerit, in loco, quantum inſtituti ratio exiget, exponere haud ſuperſedebimus.

Laniena in Valle Telina adverſus Evangelicos patrata hiſtoria terribilis.

CCXXIX. Non diſſimulanda hic videtur terribilis laniena Volturenenſis, in valle Telina, Canis ſeu Griſonibus obnoxia, à Pontificiis adverſus Evangelicos d. IX. X. &c. Julii A. M. D. C. XX. infandum in modum patrata. Litigaverat diu Provincia, quos penes Vallis jus & dominium ſtet. Lite ad Rhætos delata, dederunt illi Recuperatores, quos cauſa & religio Evangelicis æquiores fecit. In Recuperatorio judicio Pontificii, cædis ac turbarum convicti, carcere, exilio, tormentis, ſecuri pro merito multati ſunt. Ancipiti motu, plures mortis metu in proxima Mediolanenſis ditionis oppida profugerunt; ibique cum exulibus ſæpe congreſſi, odio religionis, deſperatione, inopiáque ad audaciam accenſi, in partes traxerunt Papanos, Vallis incolas, tandemque vi atque armis agendum, & ſacrorum novitatem inuſitato etiam modo abolendam ſtatuerunt. Suaſor authórque conſilii erat Jacobus Robuſtellus, equeſtris nobilitatis homo; complices præcipui Antonius Paravicinus, Sondrienſis Archipreſbyter, Johannes Guizardus, Johannes & Franciſcus Venoſtæ, qui ſicarios pleroſque veneficiis, homicidiis, furtis, perjuriis infames, ex ditione Mediolanenſi, Veneta, Tridentina conduxerunt. Cum tali manu Robuſtellus, qui ſuper inſitam naturæ ferociam, damnationis memoria, & inſtauratæ religionis odio abripi ſe paſſus eſt, Vallem Telinam ſubitus irrupit, & cuncta ferro, ſanguine, igni miſcuit. Puſcianum Caſtellum opportunè ſitum, ſimul tranſitus Alpium milite inſedit, atque inde expedita ma-

nu

nu Tiranum proceſſit, ibique Evangelicos pleroſque inermes oppreſſit; cæteros ad mutandam religionem pavore coëgit; Urbis Præfectum, Rhæticæ gentis & Provinciæ procuratorem inclementer ad laqueum damnavit. Poſt Carolus & Azo Beſtæ ſeu beſtiæ centuriones, diverſos Provinciæ aditus invadunt. Carolus Tilio oppido improviſo impetu occupato in Templo Evangelicos interceptos inopinanter horribiliter trucidavit. Quidam in campanile profugi fumo flammáque ſuffocati ſunt. Sanctitas Templi inviolatos non ſervavit; nec miſericordiæ locus ullus, quamvis ſupplices palmas tenderent. Inde Antonius Paravicinus Morbergum, Bertennum, Caſpanum, Mantellum, Tropanum, & proxima quæque loca partibus adjunxit. Lœtus his cladibus Robuſtellus, tota Valle potitus: ad Sondrium, urbem primariam, vi vel terrore ſubigendam ducit. Advenientem Pontificii prompti excipiunt: Evangelici ceu alterum Buſiridem pertimeſcunt meritò. Statim igitur iis promiſcuè mortem diram acerbámque infligit; implacabili ferocia eorum bona diripuit, ædes diruit aut incendit, parentes occidit, liberos conjuges ſeu ejecit, ſeu cladi implicuit, matres ab extremo complexu liberorum avulſas immaniter trucidavit. Sub adventum ejus nonnulli, ut barbaram crudelitatem effugerent, in montes ſeſe abdiderant. Obſcuritas latebrarum paucos texit: cæteri flebiles inopéſque cæſi ſunt. Ita Robuſtellus in exigua adeò Provincia quingentorum (inter quos ne Pontificiis quidem, qui à diræ immanitatis ſcelere abhorrentes in ejus ſocietatem non venerunt, pepercit) ſtrage edita, Vallis Telinæ præfectus receptus, advocatis tandem Mediolano Iberi cohortibus patriam inſuper turpiſſimè prodidit, & vindicum juſtiſſimorum hac quidem in terra manus effugit. Si rabiem ſævitiámque latronum ſpectes, præteritorum temporum omnium cru-

delitatem laniena hæc pluſquam tartarea longo poſt ſe intervallo reliquit. Multi pulvere tormentario ori intruſo accenſóque perierunt miſerè: infantes ex matrum uberibus pendentes transfixi: corpora defunctorum ex ſepulchris extracta, canibus & feris lanianda expoſita ſunt: denique nullum crudelitatis efferatæ genus Cyclopes hi, Hiſpanicis & Jeſuiticis follibus inflati, intentatum infectúmque reliquerunt. In cæſorum cenſu fuerunt Bartholomæus Marlianus, Joh. Baptiſta Mallerii, Antuerpianus, Belga, (cujus caput amputatum, venter apertus & viſcera extracta ſunt) Petrus Danzius, Franciſcus Carolinus, Antonius Baſſus, verbi Divini præcones; Bartholomæus ac Nicolaus Paravicini, juris utriuſque Doctores; Andreas Enderlinus, Rhætorum omnium nomine Tilii, & Johannes à Capaulis Tirani Præfecti: taceo plures præcipuæ nobilitatis & dignitatis viros, qui per Chriſti & Evangelii cauſam parricidarum immaniſſimorum piaculares victimæ facti ſunt. Celebratáque inprimis eſt fœminarum, quas ad necem latrones depopoſcerunt, mira conſtantia: ac inter eas Annæ de Liba, quæ Antonelli Crotti de Schio, Vicentini, ob religionem apud Volturenos exulis, uxor, in monte comprehenſa, filiolam bimeſtrem in ulnis geſtans, religionem mutare juſſa, intrepidè id abnuit, & filiolæ lactandæ gremium aperiens, pectoréque denudato ſic latrones allocuta eſt: *Agite, corpus vobis ſiſto, quod occidere poteſtis; animam occidere non poteſtis: hanc in manus tuas, Chriſte Soſpitator, commendo.* Nec mora: Filiam in ſinu affixam habens, ſclopeto occiſa, & quatuor in partes diſſecta fuit.

A clero & Pontifice illa deſenditur & probatur.

Peracto inauditæ atrocitatis ſcelere non tantùm literis ad Epiſcopum Curienſem exaratis de læto ſucceſſu magnopere gloriati, illud *una ſanta reſolutione, & una honorata intrapreſa*, hoc eſt, *ſanctam reſolutionem & honorificum facinus* inſignire non erubuerunt: ſed etiam *Rationes & motiva conſilii*

filii sui contra hæreticos iniri vulgare ausi, putidissimis mendaciis & calumniis turpitudinem detestabilis maleficii obvelare conati sunt. Quin & Romam missus Pater Ignatius Capucinus, tum lætum Pontifici Paulo ob excisos ferro flammáque hæreticos nuntium laturus, tum Curiensi Episcopo Volturenam Pontificia authoritate & opera conciliaturus. Non probari sibi violentiam, tum Paulus simulâsse dicitur. Sed paulò post Jacobo Paribello, Paravicino, Archiepiscopo Sondriensi, Sacrificulo Casponensi non tam violentiam exprobravit, quàm violentiam se inscio & inconsulto susceptam: minimè eam dissuasurus, dum in conscientiam sceleris admissus esset. Responderunt Cyclopes, non tam se conscientiam Pontificis reformidâsse, quàm metu anxios, ne per Cardinales Gallis & Venetis addictos secretum vulgaretur, seorsim negotium agitâsse. Sed & Horatius Taurellus, Volturenus, Jesuita, ad Leopoldum Archiducem Austriæ missus, sacram istam carnificinam utilitatis publicæ, religionísque velo tegere conatus est. Ne non Circæis Romæ veneficiis excantatos, non tam sub ferarum figura humanam mentem, quàm sub humana specie tetras pestiferásque belluas tegentes, ad audendum inexpiabile scelus prorupisse, Ecclesiæ Romanæ hyperaspistæ caussari possint.

CCXXX. Paulo V. die x. Octobr. A. M. D. C. XXI. mortuo, & anno ejus emortuali ejusmodi eteosticho: *MortVVs est VICe DeVs*, signato; Alexander Ludovisius, Cardinalis & Archiepiscopus Bononiensis, qui Gregorii XV. nomen sumpsit, per viam adorationis, uti loquuntur, Papa electus est. Adhæsit ei fœmina quinquagenaria, versipellis, & negotiorum peritissima, cujus consiliis virilibus universum ferè Papatum, effœminatus ipse administravit. Statim atque electus est, constitutionem *de forma eligendi Papam* edidit, qua, ut tacitis deinceps suffragiis

Gregorii XV. Papatus.

Formam eligendi Papa præscribit,

Papa eligatur, ne innotescere Principibus, cui electores suffragium præbuerint, possit, sanxit. Arte tum Chrysopoëtica, tum Theopoëtica usus, ad quæstuosissimum τῶ ἐνθεάζειν (liceat Herodiani voce uti) *Deificandi* artificium se convertens, per auream ἀποθεώσεως seu *canonizationis* (voce nova & barbara rem novam barbaram & impiam designare libuit) scalam in Cœlum Pontificium intulit non unum, sed plures æternitatis candidatos, hactenus quidem *Beatos*, sed non *Sanctos*; at nunc demum Gregorii opera seu factos seu declaratos *Sanctos*, puta Jesuitas quatuor, Ignatium Loyolam, societatis patrem, Franciscum Xaverium (Indorum Apostolum illum, cujus mendacia & nugas indis venditatas ex historia Christi Persicè edita primus Ludovicus de Dieu produxit, ejusque post indicio fœdos lapsus Brochmannus *Antopol. p. 2432. &c.* deduxit) Aloisium Gonzagam, & Stanislaum Coskam; nec non Theresiam Hispanicam, Carmelitarum discalceatorum matrem; Philippum Nerium, Congregationis Oratorii authorem; Isidorum Agricolam, Hispanum itidem; Ambrosium Sonsedonium, Senensem, & Jacobum Saloniomum, Venetum. Prodiit mox è prælo Ribadeneiræ Jesuitæ *Flos Sanctorum*, ex Hispanica in Latinam Linguam traductus, in quo non tantùm Sancti fixi, sed etiam Extravagantes, ac inter eos etiam novitia isthæc Numina novis Legendis honorantur. Parùm etiam abfuit, quin Garnettus etiam straminea quadam impostura si non ad *Sanctitatem*, at certè ad *Beatitudinem* ascenderet: eam scilicet commeritus, quòd in gratiam Romani Molochi non tantùm filios & filias, sed Regem & Patriam per ignem sulphureum transmittere conatus est. Et Thasii quidem olim Deum Agesilaum cùm facerent, non insipidè homo nasutus retulit, si Deos faciendi potestatem habeant Thasii; priùs seipsos Deos facerent, quàm alios Deificarent. Idem Gregorio, idem aliis

& Jesuitas quatuor,

aliósque in Divorum numerum retulit.

Nu-

Numinum novorum architectis, qui nobis Ethnicæ & Judaicæ Apotheoseos editionem, auctiorem fortasse aliquo modo, sed neutiquam emaculatiorem vel emendatiorem, dederunt, meritò regesseris.

CCXXXI. Sed forte non plane apotheosi omni carnit Gregorius, belligeri in Mavortis, siderati Numinis locum sufficctus. Nam bella certè ciendi & alendi haud planè indoctum fuisse, historia prodit. Testis est Carolus Caraffa *Comment. de Germ. restaur. pag.* 95. 96. Gregorium hunc non tantùm Ferdinando Cæsari ob exactum Regno Bohemiæ Fridericum Optimum impensè gratulatum esse; sed eidem etiam in subsidium exercitus, & pecunias, & legiones duas, unam equitum, peditum alteram, Petro Aldobrandino Duce, summisisse, & Bibliothecæ etiam Heidelbergensis nobilissimæ, à Bavaris spoliatæ, splendidissimum munus ceu sacri illius belli manubias à Bavaro oblatas, & in Vaticani delubro paulo post ab Urbano VIII. magno sumptu ornatúque suspensas, dono accepisse. Galliæ etiam Regem Ludovicum XIII. ad bellum Protestantibus inferendum accendere conatus est tum epistola privata ad eum scripta, qua hortatus eum est ad imitationem decessorum suorum, *qui Pontificum cohortationes non secus ac Dei jussa venerati sint:* quámque his verbis clausit: *Sequere, carissime fili, orbis decus, cælestia jussa, effunde iram tuam in gentes, quæ Dominum non noverunt, ut æternæ misericordiæ thesauros compares Majestati tuæ*; (Epistolam integram Gramondus *Histor. Gall. lib.* IX. narrat) tum vulgata per totam Galliam adversus Evangelicos bulla, qua ad excidium eorum fideles suos impulit: tum denique misso Monacho Hispano Franciscanæ sectæ, Dominico Jesu-Maria, quem Imperator cum spoliis ac manubiis præmisit Pragensis Romam miserat, cujusque precibus victoriam illam acceptam tulerat: qui ceu Διοπετης, Divus quidam

Ferdinandum collatione pecuniarum & copiarum adjuvat

Ludovicum XIII. adversus Evangelicos,

Cæ-

Cœlo delapsus à Rege & populo exceptus, non destitit conscientiam ejus onerare mandato extremæ fidelium internecionis. Hinc ardens in Gallia persecutio, & partim vi, partim deditione recuperatæ urbes nonnullæ, quas securitatis gratia Evangelicis Henricus IV. concesserat. Adversus Genevenses idem Gregorius hostilia agitabat, misso ad Regem Galliæ nuntio, veniam impetraturo, ut Sabaudo eos armata manu invadere integrum esset. Sed repulsam à Rege tulit. Indignatus idem Papa est Venetis, quòd conductis à se militibus Græcis Templum, & in eo religionis exercitium permisissent: eo nomine per Cardinales Molnium & Ludoisium graviter cum Veneto Legato expostulans. Cúmque Legatus respondisset, necessitate adactos esse Venetos ad conducendum è Græcia militem, quem è sua ditione conscribi Papa vetuerit; Cardinales subjecerunt, si adversus infideles milite Romano uti vellent, integrum id fore. Quibus falsè idem Legatus regessit, *omnes infideles esse, qui Reipublicæ Venetæ ob injustas causas adversarentur. Permitti Romæ, ut fœno & avena templa oppleantur: præstare utique, ut ea Christianis ad cultum aperiantur.*

etiam Genevenses accendit,

& Venetis ob concessum Græcis Templum, irascitur.

CCXXXII. Eodem Gregorio Pontifice, circa A. M. D. C. XXIII. Seviliæ in Hispania ingens hominum multitudo à Papatu defecit. Et Deficientes sibi nomen *Illuminatorum* imposuerunt. Incertum erat, an Evangelicorum in castra transiverint, an erronea & fanatica dogmata sectati fuerint. Prius tamen multis creditum est. Constátque non tum demum Illuminatos cœpisse, sed superiore jam seculo in Hispania inprimis, caput protulisse. Nam & Innichum, seu Ignatium Lojolam jam ante A. M. D. XL. ex Hispania profugisse, ne ab Inquisitione, tanquam de *Illuminatorum* hæresi suspectus comprehenderetur, Melchior Canus peculiari de Societate Jesu scripto, testatus est. Sed hoc inprimis tempore plurimi non ex vulgi duntaxat

In Hispania secta Illuminatorum emergens,

fœ-

fœce homines, sed illustribus etiam & splendidis prosapiis oriundi sese partibus illorum adjunxerant. Jamque numerus illorum ad decem millia hominum excreverat. Et quo graviori ab Inquisitoribus crudelitate in eos sævitum est, hoc magis crebrescere illi & radices agere cœperunt. Quamobrem persecutione supersedere, & spe veniæ ad gremium ecclesiæ aberrantes invitare, proposito tamen graviorum etiam suppliciorum metu, si qui animum adversus oblatam gratiam obfirmaturi essent, coacti sunt. Blanda isthac vi, & graviore metu seducti, paulatim alii Pontificia postlimino sacra amplexi sunt: alii verò extera in loca concesserunt.

Spe veniæ facta, opprimitur.

CCXXXIII. Sede Pontificia obitu Gregorii vacante, & ingressis jam conclave Cardinalibus, ingentes Romæ turbæ subortæ sunt. Plures per plateas trucidati, suffocati aquis, strangulati, naribus auribúsque truncati. Raptus, spolia, stupra grassabantur impunè. Pars Cardinalium in Messinum, pars in Borrhomæum inclinabat; æquis utrinque suffragiis. Relicto utroque Galli, Veneti, Sabaudi Maphæum Barbarinum, Florentinum, quòd Hispanorum partibus minùs addictus videretur, præferunt. Fervente negotio & Barbarinus ipse & cum eo viginti quatuor Cardinales, pluréisque etiam Episcopi, Abbates, Equites, Secretiori Conclavi inclusi, lethaliter decumbere cœperunt. Et decem jam Cardinales, aliíque morte subita abrepti, Conclavis veneno infecti suspicionem præbuerunt. Tandem Barbarinus, prævio omine examinis apum, Musæum ejus involantium, Papa proclamatur: qui nomen Urbani VIII. assumpsit; celebris tum ob functiones varias, quas hactenus obivit, tum ob florens ingenium, artificium poëticum, & eruditionem multiplicem, quam in Scholis Jesuiticis sub Horatio Thurselino & Francisco Bonæo plurimùm auxit. Certè linguæ

Gregorio defuncto Roma factionibus turbatur.

Eligitur eadem Barbarinus, seu Urbanus VIII.

Græcæ, ſine pari Pontifice ullo, adeò peritus fuit, ut *Apis Attica* nuncupatus fuerit. Statim electus Papa tres fratres ad altiora evehens, natu maximum Carolum Eccleſiæ Romanæ Generalem; ſecundum Thaddæum arcis S. Angli Præfectum; tertium Antonium Satellitum ſeu apparitorum ſuorum ducem creavit. Neque id ſatis ei fuit, Etiam Franciſcum Barbarinum, è Fratre Nepotem, adoleſcentem adhuc in Cardinalium numerum cooptavit, cui Pædagogum Aſcanium Filomarinum præficere neceſſum habuit. Adeò animus privatis ſtudiis corruptus diu latere non potuit.

Qui Nepotes impudenter promoverit.

Canonizationis Lojolæ, Xaverii, aliorum, bullas conficit.

CCXXXIV. In Divorum numerum Gregorius, uti ſupra diximus, Ignatium Lojolam, Xaverium, alióſque retulerat. Cæterùm quas, ſive morte prævent⁹, ſive alias ob cauſas, canonizationis tabulas non confecerat, Urbanus conficere primas inter curas habuit. Extat apud Cherubinum *Bullar. Rom. tom. 4. pag.* 11. Urbani hujus *Canonizatio S. Ignatii Lojolæ*, nec non *pag.* 15. Franciſci Xaverii. In Bulla Canonizationis Ignatii præfatur Urbanus, *cùm veterem religionẽ, omnémque perfectioris vitæ profeſſionem Lutherus, monſtrum teterrimum, aliæque deteſtabiles peſtes blaſphemis eorum linguis in Septentrionis partib⁹ corrumpere, ac Sedis Apoſtolicæ authoritati detrahere conarentur, excitâſſe Deum Spiritum Ignatii Lojolæ, qui ex medio honorum curſu, & à ſeculari ac terrena militia admirabili quadam ratione vocatus, ita ſe Divino imperio regendum & formandum tradiderit, ut demum nova Societas Jeſu, quæ inter alia pietatis & charitatis opera gentilibus convertendis, hæreticis ad fidei veritatem revocandis, & Romani Pontificis poteſtati tuendæ ex inſtituto ſe totum impenderit, religione fundata, vitam admirabili ſanctitate traductam ſanctiſſimo pariter concluſerit exitu, ac plurimis ſit miraculis illuſtratus.* Poſt Clementis VIII. & Pauli V. laudatis ſtudiis, decretum prædeceſſoris, ut inter Sanctos omninò tranſcribatur, Eccleſiæ &

Eorum miracula falsò laudat.

alta-

altaria in ejus honorem ædificentur, & festum ejusdem die xxxi. Julii celebretur; commemorans, ex processibus & actibus Cardinalium plusçula de Lojolæ ortu, vita, sanctitate & miraculis repetit. Simili ferè methodo Xaverii, cujus inprimis miracula fusè prædicantur, canonizatio concepta est. Meritò tamen in dubium alii, Pontificii etiam, miracula utriusque tantopere ab Urbano celebrata vocârunt. Quin & Petrus Deza in oratione sua *de Ignatii Beatificatione pag.* 52. hoc solum iis miraculum tribuit, quòd secus, quàm cæteri Ordines religiosi, non tantùm mendicent, orent, blandiantur, palpentur, sed etiam felicissimè emendicent, exorent, eblandiantur & expalpentur. *Cùm Patres Jesuitæ*, verba Dezæ, à Sciopio etiam apostata in Infamia Famiani *pag.* 159. *&c.* citata, referam, *commoda sua quærunt, idem sibi proponunt consilium cum eo, quod Pharaoni Joseph suggessit, ut copiam frumenti in suis horreis coacervaret. Hoc* MIRABILE *est, & digitus Dei est hic, quòd hoc tempore adeò perverso & avaro, sicut alii Religiosi experiuntur pauca emendicando, Jesuitæ nôrint & possint abundè, quicquid illis necessarium est, extorquere. Non enim fit sine miraculo, quòd, cùm homines sint adeò parci & tenaces, non tamen possunt in animum inducere, ut Jesuitis aliquid denegent, aut aliquam petitionem eorum rejiciant. Quod* MIRACULUM (*Jesuiticum*) *conferri potest cum eo, quod Deus operatus est cum Ægyptiis in favorem populi sui, cùm Judæis mutuò dederunt, quicquid petierunt: quod* TOTUM *Deus voluit ipsos auferre. Idem omnino fit Jesuitarum respectu, ut totum auferant, quicquid petunt: quod argumento est, eos Deo curæ esse, & ab eo tenerrimo affectu eos diligi: quando, qui adeò sunt avari, tamen libenter & cum animi lætitia Patribus istis subministrant, quicquid ipsis necessarium est.* Addam verba Sciopii, utpote Jesuitarum quandoque alumni, inter Jesuitarum miracula novum linguarum donum, & vindicatum sibi Patrum nomen, referentis; subjuncta sta-

Vera Jesuitarum miracula ex Deza.

& Sciopio depicta.

tim : *Hoc scilicet est, quod Ignatio & Sociis ejus Christus fuerat pollicitus: Romæ vobis ero propitius. Tanti enim miraculi gratiam Apostolis ut impertiretur, animũ inducere non potuit.* Signa eos, *inquit*, sequentur; In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. *Horum quidem signorum nullum à propitio Jesu Ignatio & sociis ejus contigisse, vel ex vita Ignatii à filio ac discipulo ejus Ribadeneira diligenter conscripta apparet lib. 5. cap. 13. ubi Ignatium ejusmodi miraculis minimè illustratum fuisse agnoscit. Sed nec Franciscum Xaverium Indiæ, si superis placet, Apostolum, linguis novis loquendi gratia donatum fuisse, ex ipsa ejus confessione, vel dicam, querela constat: quæ talis legitur lib. 3. indic. Epist. 5.* Si nos linguam calleremus Japonicam, non dubito, quin plurimi fierent Christiani. Faxit Deus, ut eam brevi addiscamus, tum demum aliquam rei Christianæ navabimus operam. Nam nunc quidem inter eos tanquam mutæ statuæ versamur. *Tantum abfuit, ut se idoneum à Christo propitio Novi Testamenti ministrum factum, & dono linguarum ea causa affectum Pauli exemplo gloriari posset: Gratias ago Deo, qui omnium verborum lingua loquor 1. Cor. XIV. 18. Jesuitæ nihilominus doni linguarum sibi non omnino expertes videntur, cum lingua duplici more serpentum loqui soleant, quando suis amphiboliis sive æquivocationibus & mentalibus reservationibus utuntur,* &c. Et paulò inferiùs: *Apostoli Patres eorum censebantur, quos per Evangelium Christo genuissent: quo nômine ne multarentur, cavebant filiis suis esse oneri, victuiq; & indutui necessaria quenquam poscere non audebant,* &c. *Tanto Apostolis stetit nomen Patris. Quidnî ergo magni Thaumaturgi, & plusquam Apostolicorum miraculorum patratores Jesuitæ audiant, qui cum Regifico domiciliorum luxu, & insanis molium substructionibus orbem universum graviter à se offendi nequaquam ignorent, infirmos tamen paterna caritate suscipere, & offendicula eis de vita auferre*

nihil

nihil penſi habeant, auditoribus, civitatibus, populis & Regnis graves ſint & oneroſi, ac velut ignis, nunquam dicant, ſufficit; & à filiis theſaurizari ſibi poſtulent; nec tamen ea cauſa minùs Patrum nomen facilè tutentur, & præ omnibus Religioſis κατ' ἐξοχὴν Patres appellari ſoleant? Taceo miracula illa Florentina, quibus Ignatii ſanctitatem comprobare conati ſunt, ab Alphonſo de Vargas *Relat. de Stratag. Jeſ. cap.* 3. cum præſcriptione verſus

Nunc immenſa cavi ſpirant mendacia folles;

memorata, digniſſimáque lectu.

CCXXXV. Ignatii feſtum anniverſarium die XXXI. Julii celebrari idem Urbanus juſſerat. Eò igitur impudentiæ Ignatiani mox provecti ſunt, ut ex faſtis & Calendario ipſo Romano, eraſo nomine S. Germani, qui eum ſibi diem hactenus vendicaverat, Ignatium ſuum ſubſtituerint. Ea res in Gallia, quæ Germanum præcipuè colit, turbis occaſionem præbuit. Et Condeus quidem Princeps, Jeſuitarum facinori patrocinatus, finxit, ſibi Romæ Jeſuitarum feſtum eo die inſtitutum præſentia ſua cohoneſtanti, Ignatium vivum apparuiſſe. Diſplicuit nihilominus temeratorum faſtorum nefas pleriſque in Gallia, Germanum ſuum tanta contumelia affici quiritantibus. Lis ad Pontificem delata ridiculè ita deciſa eſt, *ut eodem die ſimul Germanus & Ignatius celebretur: quòd ſi ſimul ſtare nolle viderentur, expectaret Ignatius, ceu recentior, annum biſſextilem, & diem, qui tum intercalatur, ſibi eximium haberet.* Laudi etiam meritò datum eidem Pontifici, quòd edita Id. Jan. A. M. D. C. XXX. Bulla, in contemptum, uti putabatur, Jeſuitarum, abolevit ſectam Jeſuitiſſarum, ſeu mulierum Jeſuitici ordinis ac nominis, qui in Italia & Belgio caput exerens jam radices agere cœperat. *In nonnullis Italiæ*, ita Bulla loquitur, *& Ultramontanis partibus certæ mulieres, Jeſuitiſſarum nomine aſſumpto, citra ullam Sedis Apoſtolicæ approbationem;*

Jeſuita ex puncto Germano, & intruſo Lojola, temerantes faſtos, repreſſi.

Jeſuitiſſarum Secta ab Urbano abolita.

ab aliquot annis in unum convenire solitæ, vitæ religiosæ prætextu, peculiarem & distinctum à cæteris habitum usurpârunt, ædificia in Collegiorum formam redegerunt, domos probationum erexerunt, in eisque Superiorem, ac prætensæ Congregationis suæ Generalem, indito Præpositæ titulo, & attributis facultatibus bene visis constituerunt, in illiúsq; manib⁹ paupertatis, castitatis & obedientiæ vota ad instar solennium emittere, clausuræq; legibus non adstrictæ pro libitu divagari, ac specie salutis animarũ promovendæ, aliáq; permulta sexus & ingenii imbecillitati, & modestiæ muliebri, ac virginali præsertim pudori minimè convenientia, & quæ viri sacrarum literarum scientia, rerum usu, vitæque innocentia spectatissimi, difficile admodum, & non nisi magna circumspectione adhibita aggrediuntur, attentare & exercere consueverunt. Sectam igitur illam, ceu *arrogantem, contumacem, sanæ doctrinæ adversam, zizaniam denique in agro Dominico pullulantem, ac proinde radicitus extirpandam*, de consilio Cardinalium ac hæreticæ pravitatis, Inquisitorum, se *penitus suppressisse, redegisse in nihilum, æternæ abolitioni subjecisse, ac à corpore sanctissimæ ecclesiæ amputâsse, sub excommunicationis pœna*, declarat. An verò penitus orcum subiverit novella illa mulierum religio, Jesuitæ saltem non ignorant.

Valle Telina exigere Gallos eadem satagit.

CCXXXVI. Fervebat ob Vallem Telinam ab Hispano occupatam gravissima contentio Principum. Galliarum Rex, unà cum Sabaudo ad recuperandam eam in Italiam expeditionem parabat. Ei Papa Urbanus obstitit, & per Barbarinum Legatum belli molem in Reformatos Galliæ avertere molitus est. Cùm non succederet intercessio, eodem Barbarino in Hispaniam legato, Clero, qui Hispano in Italia paret, imponi tributum petiit, suámque adversus Gallum tota Italia pellendum operam, ipso Galliæ Legato coram, obtulit. Arce proin S. Angeli, aliisque Romæ locis munitis, ad occupandam vallem Telinam se accingit, & Bullam etiam edidit, qua omnibus Basili-

cam S. Petri, & Ecclesiã B. Mariæ trans Tiberim devotè visitantibus, & ibi Deum pro suæ Ecclesiæ exaltatione, ab hostium conatibus in Italia cum primis, *quæ*, inquit, *illibatæ religionis studio jure optimo gloriatur*, defensione, hæresium extirpatione, Principum Christianorum vera pace ac imminentium in Europa necessitatum aversione oraverint, plenariam peccatorum indulgentiam elargitur. Neque segniter Papæ moliminibus Pallus restitit.

CCXXXVII. Durante eo diffidio A. M.D.C.XXV. vulgati sunt adversus Regem Galliæ & Cardinalem Richelium incertis authoribus libelli duo, sub his titulis: *Admonitio ad Regem*; & *Mysteria Politica*. Summa librorum est, *Regem in Gallia hæreticis, extra Galliam Catholicis bellum movere. Batavis enim Ordinibus contra Regem Catholicum eum opitulari: Palatinum in feuda sua restituere tentare. Reipublicæ Venetorum & Duci Sabaudiæ contra Genuenses & Valtelinos opem ferre. Impia hæc esse bella, juri Divino & naturali contraria: quocunque colore obumbrentur: Castigandos proin virga ferrea Reges Galliæ, non secus ac olim Josaphatus castigatus est. Senatũ Venetum & Sabaudum hypocritas esse, & procul fide catholica rei duntaxat suæ studere per ambitionem, quæ una ipsis loco religionis sit. Debere Philippum mutuas vices Ludovico, & si tuebitur adversus ipsum subditos rebelles, par pari relaturum. Richelium authorem esse matrimonii Anglicani, fœderis cum Batavis innovati, Valtelinæ in excidium Catholicæ fidei occupatæ.* Tum quæstiunculæ proponuntur & solvuntur: quas inter hæ etiam: *Utrum ipso facto Rex Galliæ excommunicatus sit introductione hæreseos in Provincias externas, ubi Catholica religio una viguit ab antiquo? Utrum pessimi consultores eadem censura teneantur? Utrum fas sit subditos in tyrannum sævire? Num expediat, posita in extremis Gallorum Republica, eligi virum probitate & authoritate illustrem, qui religionis Protectorem se ferat?* Solvuntur quæstiones in hanc sententiam: *Regem Galliæ ipso facto excommunicatum*

Occasione diffidii illius adversus Regem Galliæ & Richelium libelli seditionis vulgatis, in jugulum Regis denuo culter acuitur.

nicatum esse, quia Deo bellum movet, dum movet Catholicis; si perseveraverit, ipsius portionem infernum fore. Deinceps tum Pontificem Summum graviter hortatur, ut gladio ceu in membrum putidum utatur: tum Pontificios etiam principes adversus eundem concitat; proposito etiam exemplo Henrici IV. non aliam ob causam, à Deo cæde multati, quàm quòd Principibus hæreticis, Brandenburgico & Neoburgico opitulari constituit. Concludit: *eandem esse gentis Austriacæ & Dei causam: qui Austriacæ genti obstiterit, Deo ipsi obsistere.* Constabat jam, denuo cultros & gladios in jugulum Ludovici mox adigendos, acui. Clerus proin Gallicanus in Comitiis libellos ad incudem revocatos damnavit, simúlque Stampesio Carnatensium Episcopo censuræ in Anonymum stringendæ negotium dedit. Composuit is Gallicè, & Clero exhibuit. Summam censuræ ejus capitum Grammondus *Histor. Galliæ lib.* xv. recitat. Probatane verò in Comitiis Episcoporum, an improbata Stampesii censura fuerit, gravis altercatio suborta est. Diversa scilicet Episcoporum, quorum Regi alii, alii Pontifici favebant, studia emicuerant. Atque id satis constat, indice eodem Grammondo, Censuram vehementer Pontifici displicuisse, eò quòd Regum & Principum Majestati quàm Pontificiæ addictior videretur. Qui proin etiam Clero Gallicano, perinde ac si eam improbâsset, solennes gratias egit. *Hinc patet,* ita Grammondus ἐπιφώνεται, *quanto fervore Roma jurisdictionem in Reges suam tueatur, si quam habet. Certè summus Pontifex Reges docet suo exemplo, uti jura ipsi sua tueri in quoscunque debeant.* Parlamentum contra censuræ Stampesii favens graviter in Episcopos pronuntiavit, & approbationem Censuræ inficiantes urbe abssistere jubet; multùm refragante Clero, eò quòd Parlamento nihil adversus se authoritatis competat. Unde Curiæ ausum vocat *irritum, intolerabilem, contra Dei cultum, authoritatem Regis,*

Libelli ii à clero Gallicano damnati.

Ob censuram Stampesii dissidium clerum inter & Parlamentum oritur,

gis, & jura Ecclesiæ. Vicissim Curia Episcoporum Responsionem *injuriæ & calumniæ manifestam, in eversionem legum Regni fundamentalium factam, lacerandam & cremandam* declarat. Demum Rex summo jure litem ad se traxit, & quæ Anonymus adversus illũ congesserat, in Regem Hispaniæ, *cui cum veteribus Mauris amicitias, nupera cum Muhammedanis fœdera, Lutheranorum Principum & Cosacorum auxilia; Christianis Principibus amicis & affinibus adempta vano Religionis colore Regna & Principatus; fœdera cum Persis, Indis, Calecutis, aut Muhammedanis aut paganis*, &c. objecit, masculè retorsit. *& à Rege ipso finitur.*

CCXXXVIII. Prodiit eodem anno in publicum Santarelli è Societate Jesu Presbyteri de summi Pontificis potestate liber, quo variis capitibus plura contra Regum authoritatem & jura continebantur. Titulus libro erat: *Tractatus de hæresi, schismate, apostasia, solicitatione Summi Pontificis; & de potestate Summi Pontificis in delictis his puniendis. Romæ apud hæredem Bartholomæi Lanoti* M.D.C.XXV. *Superiorum permissu.* Cùm & solicitatione & permissu Pontificis liber hic editus sit, ejusdem interiora de sua & Regum potestate sensa eo contineri, dubium non est. Vin verò κυρίας δόξας, & decreta illius libri? Ejusmodi scilicet sunt: *Papa habet in Principes potestatem directivam; ergo & correctivam. Summus ergo Pontifex potest hæreticos Principes punire etiam pœnis temporalibus; proin non solùm eos excommunicare, sed & Regno privare, eorúmque subditos ab obedientia liberare. Papa deponit Imperatorem propter ipsius iniquitates, & dat Principibus curatores, quando ad regendos subditos inutiles fuerint: idque etiam sine Concilio, quia Papæ & Christi unum est tribunal. Papa potest deponere Reges non solùm propter hæresin, aut schisma, aut aliud crimen tolerabile in populo, sed etiam propter insufficientiam; vel si non defendat ecclesiam. Potest etiam Reges negligentes, vel ob dictas causas pœna mortis ad aliorum correctionem & exemplum punire. Ea puniendi Reges morte etiam temporali potestas continetur in* *Santarelli de potestate Pontificis liber. Regum potestati iniquissimus.*

munere pascendi oves Petro commisso. Pertinet enim ad pastores punire oves suas ea pœna, quam ratio indicat, illas esse puniendas. Si igitur propter bonum commune aliquando prudentia & recta ratio exigat, ut pœnis temporalibus Principes inobedientes afficiantur, potest summus Ecclesiæ pastor eas pœnas iis imponere. Nec enim Principes sunt extra ovile Ecclesiæ. Ausus insuper est verba Apostoli 2. Cor. x. 8. *Deus nobis dedit potestatem ad ædificationem non ad destructionem*; deleta vocula *non* contrarium in sensum torquere. Has scilicet ferientes sententias adversus Principes liber ille loquitur. Vix prodiit liber, cùm in Gallia Collegium Sorbonæ acri censura authorem perstringit, & supremæ Curiæ decreto carnificis manu liber comburitur. Dicta quin etiam die, Collegii Claromontani Rector præcipuique ex societate Jesu in Collegio eo Theologi, ad judicum citati, respondere ad interrogata Senatus, & judicii sui de Santarelli dogmatibus copiam facere coguntur. Omnium nomine P. Cotonus interrogantibus respondit, & metu gravi, ne denuo solum vertere Societas cogeretur, tum Santarelli doctrinam verbis saltem improbavit; tum fassus etiam est, doctrinam eam Romæ à Generali Societatis suæ, cæterisque sociis probari: quod negare, cùm Generalis Jesuitarum, Mutii Vitelleschi approbationem præscriptam liber habuerit, integrum non fuit. *Sed quare*, subjecit Cotonus, *imputabitur nobis error Transalpinus, cui nemo nostrûm subscripsit in Gallia?* Interroganti Senatui, anne Summo Pontifici jus sit in Reges, adeò ut excommunicare, & ab eorum obsequio liberare subditos possit? idem Cotonus in hæc verba respondit: *Absit verbo invidia! Excommunicari Christianissimum Regem? Absit omen. Quis credat primogenitum Ecclesiæ futurum aliquando matris hostem, quam protexit semper & protegit? Quis excommunicandum, qui continuò pugnat hæresi in Regno suo extirpandæ?* Quæsitus, an diversam ergo à Generali Societatis sententiam Galli

Sorbona adversus eandem censura acris.

In Jesuitas Claromontanos de eodem instituta inquisitio, mala eorum conscientiam prodens.

Je-

Jesuitæ teneant, respondit: *Qui Romæ degit Præpositus noster Generalis vix est ut improbare possit, quod Roma probat.* Interrogante Senatu: *Quid si essetis Romæ?* respondit Cotonus idem: *Mutaretur nobis cum Cælo animus, sentiremus ut Romæ.* Anquisiti, ut sine ambagibus & subterfugio omni suam de Romanæ Sedis in Reges potestate sententiam proferant, exigui temporis ad deliberandum moram cùm petiissent, triduo elapso præcipui è Societate ad Regem missi palam Santarelli doctrinam abdicârunt, exhibito instrumento publico in hæc verba concepto: *Nos subsignati declaramus, Santarellum perperam de Regibus & eorum authoritate scripsisse, quam diffitemur doctrinam, agnoscimus & profitemur, Regum immediatam esse à Deo potestatem, independensque ipsis jus esse in subditos; cui sententiæ ut veræ nostro omnium sanguine subscribitur, si opus, non secus ac censuris, si quæ à Clero Gallicano aut Sorbona in ejusmodi libros eduntur. Promittimus insuper futuram nobis posthac unam & eandem super ea quæstione cum Sorbona, clero, & Regni Gallici Academiis sententiam. Actum Lutetiam* XVI. *Martii* M. D. C. XXVI. Subscripserunt primore loco Cotonus, & quindecim alii, omnium nomine. Et hic quidem Jesuitis fuit θυμὸς ἐν στήθεσσι Lutetiæ; aliter longè, uti Cotonus ipse fassus est, arbitraturis, si Romæ vixissent. Neque enim eadem confessoribus illis conscientia Lutetiæ & Romæ fuit. Quanquam beneficio novi linguarum doni, quod iis obtigisse supra Scioppius dixerat, byssina verba sua interpretari pro lubitu, juxta ea etiam, quæ *ſs.* CCXIV. diximus, in proclivi erat. Hæc tamen fide ipsius Grammondi, Tholosani Parlamenti Præsidis, Pontificiisque adeò partibus addictissimi, relata, Jesuitarum versutiæ, diversis fidibus eandem fidem ludentium, certissimam fidem faciunt.

CCXXXIX. Cæterùm Cotonus tœdio interrogatoriæ illius actionis, qua cum præcipuis ex societate ex- *Cotonus tædio inquisitionis illius mœstus.*

Ejusdem quæstiones curiosæ dæmoni Hadrianæ Fraxineæ propositæ.

tra ordinem pulsatus fuerat, statim morbo correptus, fati legem implevit. Atque hic ille Cotonus est, qui Henrici IV., apud quem nunquam non flagranti in gratia erat, conscientiæ admotus, digna scilicet Theologo curiositate, non Dodonæam quercum, sed atrum Ditis tripodem excutiens, ex puellæ Pythonissæ, Hadrianæ Fraxineæ, Gerbiniaco pago in Ambianis natæ, impuro, quo misera corripiebatur, spiritu sciscitari ausus est multa, quæ aliunde cognoscere spes non erat. Inter alias has etiam dæmoni quæstiones movebat: *quid se spiritus scire velit circa Regem? quid de tempore, quo Calvini hæresis extinguetur? quid circa Genevæ plagiarium? quid circa Genevæ conservationem? qua ratione converti Rex Angliæ, Regina & Regnum maximè & facilè queant? Turcus qua supplantari ratione, qua convertit infideles? quid circa bellum Regis cum Hispanis & hæreticis? an linguæ sint à Deo? quis evidentissimus Scripturæ locus ad probandum purgatorium & invocationem Sanctorum? quomodo animalia in arca Noæ capi potuerint? qui filii Dei filias hominum dilexerint? pedibusne incesserit Serpens ante Adæ lapsum? qui sint septem spiritus ante thronum Dei? quomodo insulæ animalia acceperint, & eò homines post Adamum pervenerint? ubi paradisus terrestris? quota pars conciderit Angelorum?* aliásque plures, quas ordine Thuanus *Histor. lib.* CXXXII. recenset. Quærendorum horum aliorumque indicem, manu propria & Latina lingua exaratum, in libro exorcismorum, ab amico commodato accepto, cùm per incuriam Cotonus reliquisset, atque is per multorum manus volitâsset, tandem Ronius Marchino manu agnita, Regi ipsi exhibuit: qui re in occulto minimè probata, Ronio, ut autographum retineret, neque alii daret, enixè imperaverat. Evulgatum tamen post Rex indoluit, quòd provideret futurum, ut apud bonos prudentésque multum Cotoni, cujus ipse opera & industria, ut sibi videbatur, in multis rebus usus esset, existimationi ex ea occasione detraheretur.

CCXL. Edi-

CCXL. Edidit Urbanus duobus post annis Kal. April. M. D. C. XXVII. repetitam Bullam Cœnæ Domini, totidem verbis, quibus etiam Paulus V. sexto Id. April. A. M. D. C. X. eandem vulgavit. Titulus bullæ est: *Excommunicatio & anathematizatio hæreticorum cujuscunque sectæ, eisque faventium, auxilium aut consilium quoquo modo præstantium, ac schismaticorum, vel libertatem ecclesiasticam perturbantium, aut his, quæ in ista Bulla die Cœnæ Domini legi solita continentur, contravenientium.* Conflata est ex diversorum Pontificum constitutionibus & bullis die Cœnæ Domini recitari & progressu temporis mutari, augeri solitis: quas Cherubinus *Bullar. tom. 3. pag. 248.* nota bullæ Pauli V. præfixa indigitat. Consuetudinem antiquam Julius II. bulla tali Kal. Martii A. M. D. XI. edita allegat: *Consueverunt*, inquit, *Romani Pontifices prædecessores nostri, ad retinendam puritatem religionis Christianæ, & ipsius unitatem, quæ in conjunctione membrorum ad unum caput, Christum videlicet ejúsque Vicarium, principaliter consistit, & sanctam fidelium societatem ab offensione servandam, arma justitiæ per ministerium Apostolatus in præsenti celebritate exercere.* Tum *ex parte Omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus S. authoritate Beatorum, Petri & Pauli, ac sua*, anathemati subjicit *omnes hæreticos, Gazaros, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Arnaldistas, Speronistas, Passagenos, Viclefistas seu Ussitas, Fratricellos de opinione nuncupatos, & quoscunque alios hæreticos*, &c. Primus Paulus III. Bulla Cœnæ Id. April. A. M. D. XXXVI. edita, post Fratricellos nominavit *impiam & abominabilem Marthini Lutheri hæresin, per Leonem P. P. X. superioribus annis damnatam, sequentes, ipsique Martino, quò minus puniri possit, quomodolibet faventes.* Gregorius XIII. simili bulla, septem articulis auctiore, prid. Non. April. A. M. D. LXXXIII. edita, omissis aliis exprimit *Ussitas, Viclevitas, Lutheranos, Zwinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios ac omnes & singulos hæreticos* &c. Ne-

Urbanus Bullam Cœnæ Domini renovat.

Ejus origo & mutationes variæ.

que aliter Paulus V. & Urbanus VIII. Excommunicantur eadem bulla *omnes ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum ad universale futurum Concilium appellantes*; nec non *appellantes à gravamine, seu futura executione literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ad Curias Seculares; impedientes executionem literarum Apostolicarum, vel aliarum expeditionum, & alias causas à judicibus ecclesiasticis avocantes, seu cursum earum impedientes, aut se in illis ut judices interponentes; etiamsi Imperiali, Regali, Ducali &c. dignitate præfulgeant: judices Seculares trahentes personas Ecclesiasticas ad sua tribunalia; nec non qui statuta, ordinationes, constitutiones pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, & quovis quæsito colore ac etiam prætextu cujusvis consuetudinis aut privilegii, vel quomodo libet fecerint, & publicaverint, vel factis & ordinatis usi fuerint: unde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur vel deprimitur, aut quovis modo restringitur*, &c. Quibus aliisque etiam sequentibus Reges ipsos & Ecclesias Galliæ, libertates ejusmodi sibi vindicantes, stringi, & diro anathemati quotannis à Pontifice subjici, adeò manifestum est, ut non aliam ob causam Bullam illam in Gallia prohibitam rejectámque & Capucinos Archangelum Puteanum, nec non Alphonsum prætextu Bullæ ejus se coram Magistratu Seculari sistere renuentes, & patrocinantes iisdem Brularum Curatorem Provincialem & Benedictum Angelum à Senatu supremo graviter increpitos, declarationem eorum laceratam, & decretum ipsum in cœnobio Capucinorum vocatis universis fratribus recitatum, Thuanus *Histor. lib.* c. XXIII. testetur. Tametsi verò Petrus de Marca *de Concordia Sacerdot. & Imper. lib. III.* 10. omnem lapidem moveat, ut anathema isthoc à capite Regum Franciæ amoliatur, prætexens, *Reges suos in iis, quæ jure Regio agunt, perstringi non posse; in cæteris Bullam esse tantùm comminationē & protestationem; Bullam illam non esse receptam*

Reges & Ecclesias Galliæ in ea excommunicari, adversus P. de Marca asseritur.

in

in Gallia; Reges Galliæ ex privilegio, non comprehendi excommunicatione generali; consuetudines privilegiarias meritis Regum innixas, per Bullam non censeri revocatas; eximia quædam jura in rebus ecclesiasticis esse penes Reges Franciæ &c. efficere tamen sanè non poterit, quin, si quisquam alius, Rex Galliæ in Bulla ex Pontificis Romani intentione perstringi intelligatur: quo jure, Divino, an Papali, non disputo. Disertè enim prætextus Marcæ diluuntur *s.* 24. ubi Bulla quibuscunque contrariis derogans, negat *obstare privilegia, indulgentias, indulta, & literas Apostolicas generales, vel speciales, aliquibus cujuscunque ordinis, status, conditionis & præeminentiæ fuerint, etiamsi Pontificali, Imperiali, Regali seu quavis ecclesiastica & mundana dignitate præfulgeant, etiam per viam contractus aut remunerationis &c. concessa.*

CCXLI. Sub finem Octobris A. M. D. C. XXVIII. Rupella, Galliæ emporium & propugnaculum fortissimum Evangelicorum asylum, ultra annum à Rege Ludovico XIII. administrante Armando Plesseo Richelio Cardinale, obsessa, fusis Anglorum auxiliariis copiis, à sociis etiam malignè destituta, tantáque jam fame pressa, ut pane carnibúsque deficientibus, cute, corio, radicibus, cadaverum carnibus obsessi vescerentur, & mater filiam, soror fratris digitos derosos esurialem dapem absumeret; denique fame invalescente sola quindecim hominum millia extinguerentur; sese Regis arbitrio dedere coacta, victoris jugum subivit; magnóque, cui hactenus in mundo quidem, innitebantur, præsidio Evangelicos, precaria deinceps libertate fruentes, destituit. In Templo D. Margarethæ, Rege & Richelio præsentibus, S. Ambrosii & Augustini hymno decantato, Sufrenius Jesuita concionem habuit, explicans textum Davidis: *Persequar inimicos meos & comprehendam illos, & non revertar, donec deficient.* Incredibilem lætitiam ea victoria attulit Urbano Pontifici, qui gratulatus

Rupella à Ludovico XIII. Evangelicis erepta.

tulatus Regi inter alia scripsit: *Vox exultationis & salutis in tabernaculis. Videat peccator & irascatur, & Synagoga Sathanæ contabescat.* Cui insolenti triumpho & ἐπιχαιρεκακίας crimini Josephus Hallus, Episcopus Exoniensis Anglus, publico scripto respondit, sic inter alia Urbanum graviter affatus: *Audi, Pontifex Urbane, quod brevi pro tremendo Christi tribunali exaudies pallidus. Pastorem Christiani gregis parum decent hæ sanguineæ literæ! túne ad arma tristis præco conclames? túne, ut Christianos Principes, nimio quàm plenos cruoris, ad profligationem suorum clademque horrendam acriter instiges? ideóne tibi creditæ claves, ut ferratas belli portas, eburneasque Ditis inferni aperires? Euge Petri umbra, numquid hi tibi Malchi videntur, quibus dum aures præcidere voluisti, levi errore in guttura incidisti? aut numquid de quadrupedibus hisce in Gallia stabulantibus, dictum tibi pridem cælitus, occide & manduca?* Similem ejusdem Urbani gratulationem Bredâ occupatâ Isabellæ & Spinolæ factam paulò ante A. M.D.C.XXV. apud Johannem Jonstonum *Rer. Britan. lib.* 21. *p.* 663. legere est. Neque tamen vel sic Pontifex Regem ad excidium omnium in Regno Evangelicorum inflammans, destinata apud ipsum perfecit. Sic enim DEUS cor Regis flexit, ut eos edicti Nannetensis beneficio frui ulteriùs permiserit.

Urbani latitia indè concepta à Jos. Hallo objurgatur.

CCXLII. Non eadem Pontifici in Habessinorum, seu Æthiopum Christianorum, quæ in Galliæ Regno, fortuna risit. Jam pridem Regnum illud, olim florentissimum, at superiore Seculo Adelensium bellis, post etiam Gallanorum vi atque feritate ita debilitatum, ut vix hodie Habessiniam in ipsa Habessinia invenias, Sedi Romanæ subjicere Pontifices tentaverant. Et sub finem quidem Concilii Florentini, A. M. CCCC. XXXIX. Rex Habessiniæ Zera-Jacobus ad Eugenium IV. legationem miserat, nulla re memorabili gesta, quanquam de ea nescio quid Romani gloriantur. Superiore iterum Seculo Franciscus Al-

Pontificum & Jesuitarum in Æthiopia seu Habessinia Sedi suæ subjicienda conatus,

va-

varezius, Lusitanicæ legationis in Æthiopia Sacerdos, literas à Rege Æthiopum Davide Clementi VII. A. M.D. XXXIII. obtulit, simulque reverentiam & obedientiam Regis nomine ei obtulit. In spem sic erectus Papa est, fore ut damna, quæ jam in Occidente passus est, brevi Oriens & Meridies resarcirent. Mansit species quædam amicitiæ diu. Nam & Paulus III. Johannis Bermudis Romam missi, ut auxilia pro Davide aliquoties victo peteret, ordinationem à Metropolita Marco adeoque schismatico Præsule factam, confirmare non dubitavit. Spes sic affulsit, Regnum Ecclesiæ Romanæ subjici posse, annitentibus imprimis Ignatio Lojola, & Nonio Berreto, cui à Julio III. Patriarchalis in Æthiopia dignitas conferebatur, quamvis eodem titulo jam ante à Pontifice Bermudes ornatus fuerit; adjecto eidem Andrea Oviedo Episcopo, qui rem tum colloquiis sacris, tum asperis etiam remediis tantârunt frustra. Initio hujus Seculi nova tentata missione P. Petrus Pays Jesuita eò rem provexit, ut Zedengelus Rex scriptis ad Clementem VIII. & Philippum III. Hispaniæ atque Lusitaniæ Regem, amicitiam suam obtulerit, nec non milites, opifices & Patres è Societate Jesu, qui subjectos suos erudirent, petierit; quam ob causam à suis nova hæc molimina iniquo animo ferentibus occisus est. Ei post Jacobum succedaneus Rex Susneus, Romanis favens, colloquiis cum Jesuitis publicè institutis, eousque processit, ut edicto in Romanorum favorem condito, post turbas graves tum in Regno, tum ab Alexandrinis motas, publicè Alexandrini Patriarchæ excusso jugo, Romanam religionem amplexus, declaraverit, se Papæ Romano, Petri successori, utpote qui nec in fide, nec in moribus errare possit, obedire velle; subditos, ut idem facerent, adhortatus. Rebus ita ex voto fluentibus, Urbano Pontifice, & nominante Philippo IV. ex Jesuita-

rum ordine creatus est Æthiopiæ Patriarcha, Alphonsus Mendez, natione Lusitanus, Vir celebris, qui suetis ceremoniis Ulyssiponæ consecratus, mense Majo A. M.D. C. XXIV. Goam Indiæ appulit, ac inde in Habessiniam ad Regem penetravit: qui mox in genua procumbens in verba Summi Pontificis Urbani hoc modo juravit: *Nos Sultan-Saghedus,* (Susnei hoc nomen) *Rex Regum Æthiopiæ, credimus & confitemur, quòd S. Petrus, Princeps Apostolorum, à Christo Domino nostro caput totius Ecclesiæ Christianæ constitutus fuerit: & quòd principatus atque potestas in totum mundum ipsi data fuerit, dum illi dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & dabo tibi claves Cœlorum; & alia vice, cùm illi dixit: Pasce oves meas. Similiter credimus, Papam Romanum legitimè electum, verum successorem S. Petri Apostoli in regimine esse: eumq; eandem potestatem, dignitatem & primatum totius Ecclesiæ Christianæ tenere. Igitur S. Petri Successori Urbano VIII. hujus nominis per Dei gratiam Papæ & Domino nostro, & successoribus ejus in administratione Ecclesiæ promittimus, offerimus & juramus veram obedientiam, & humiliter personam atq; imperium nostrum pedibus ejus subjicimus. Sic Deus nos juvet, & sancta hæc Evangelia.* Idem post Regem Basilides, futurus successor, fratres Reges, Pro-Reges atque Proceres omnes, nec non Clerici & Monachi præsentes jurarunt. Pronuntiatum simul est anathema in omnes juramenti hujus futuros immemores, & secuta sunt edicta, *ne quis imposterum Missam diceret, aut ullo officio Ecclesiastico fungeretur, sine licentia Patriarchæ; utque omnes sacra Romana sequerentur; nec quisquam rebellibus* (Romano Pontifici obsequium negantibus) *receptum daret; qui secus faxit, supplicio afficeretur.* Post ædificata in Debson Sedes Patriarchalis, & diversis in Regni locis pro Jesuitis, quos secum Patriarcha adduxerat, Residentiæ extructæ sunt; introductum quin etiam computum Romanum, baptizati ordinatique denuo, qui jam ante bapti-

za-

zati & ordinati Alexandrino ritu erant; institutum seminarium sexaginta puerorum Habessinorum & Lusitanorum, comœdiæ agitatæ Europæo more, in quibus etiam producti Diaboli Habessinos graviter terruerunt. Jamque etiam Romanus ille Patriarcha excommunicare leves ob causas; sepulti, qui Alexandrinam religionem tenebant, in locis Romano ritu dedicatis, refodi & foras projici; malefici inscio Rege in carceres compingi; & nonnulli etiam, ministro sævitiæ Ras-Seelaxo, occidi cœperunt. Unde turbis in Regno atrocibus subortis, & Rege ab iis, qui Romanis infensi erant, impetito, Rex ipse tandem, suspicatus, quod res erat, peregrino se imperio subjici, à Patriarcha & Jesuitis alienior redditus, primùm invito Patriarcha veteres ceremonias indulsit; tum religionem Alexandrinam restituere, Romanam abolere certus, prospera cum rebellibus pugna (dolens tantum sanguinis jam ob Romana sacra profusum) Alexandrinorum persuasione, Reginæ & filii precibus inductus, frequente Procerum Concilio de restituenda religione Alexandrina decretum condidit; atque illud nequicquam Patriarcha ringente, minante, & rebus deploratis ad preces supplices converso, temperamentumque suadente, promulgari magno cum populi, cleri inprimis, applausu curavit. Mox templa Romanis adempta, & post mortem Susnei, victo Ras-Seelaxo, Romanorum partium duce; Jesuitæ bonis armisque, quæ inter bombardas plures habebant, exuti, Fremonam ablegati, tandemque una cum Patriarcha, mense Majo A. M.D. C. XXXIV. toto Regno, frustra ab Indis aliisque auxilia solicitantes, expulsi sunt. Et qui residui erant in Regno, Episcopus puta Apollinaris Almegdas, & Patres nonnulli, Hyacinthus Franciscus, Ludovicus Cordeyra, alii, variis casibus jactati, plerique etiam suspendio sublati; & ipsi Jesuitarum fautores Habessini

Urbani tempore infelicem exitum sortiuntur.

occiſi ſunt. Accepto rei prorſus improviſæ nuntio Papa perculſus, ratusque, odio mero adverſus Jeſuitas & nationem Luſitanicam, mutationem contigiſſe, aliam quercum excutere properus, ſex Capucinos Gallos, quos mitiores & devotiores faciliùs receptum iri confidebat, in Habeſſiniam legavit; ex quibus duo à Cafris occiſi; duo in Habeſſinia lapidati; duo metuentes ſibi domum reverſi ſunt. Demum tres alii Capucini ſpe melioris fortunæ ſecuti, cùm in Suoquenam veniſſent, petente Negucſo (hoc Regibus Habeſſinis nomen) à Baſſa Suaquenæ Turcico capite plexi ſunt; tandemque etiam ultimus Jeſuitarum, Bernhardus Nogueyra ſuſpendio vitam finivit. Hunc exitum habuit Pontificia in Habeſſinia Romanæ Sedi & dominationi ſubjuganda præpoſtera contentio & negotiatio omnis, cujus ſeriem ex Balthaſaris Tellezii & Gregorii Habeſſini ſcriptis dictisque Nobiliſſimus & Celeberr. Jobus Ludolfus, Linguæ & rerum Habeſſinarum ad ſtuporem uſque doctus, Fautor noſter Summus, in Hiſtoria Æthiopica, quam amplo etiam commentario locupletatam anxiè eruditus orbis expectat, magno judicio parique fide collegit.

Similis cataſtrophe fuit molimina in ſubjugan da Romanæ Eccleſiæ Japonia.

CCXLIII. Neque diſſimilem circa eadem ferè tempora cataſtrophen Pontificia in Japonia etiam, & paulò ante in Sina non tam Chriſtiana ſalutari fide imbuenda, quàm Pontificis libidini ſubigenda, machinatio omnis ſortita eſt. In nullum quidem vel Orientis vel Occidentis Regnum Chriſtiana religio feliciori ſucceſſu introducta, in nullo crudeliori denique perſecutione profligata eſt. A. M.D.XLII. primi ex Europa Luſitani in Japoniam delati ſunt. Franciſcus Xaverius cum duobus ſociis Coſimo Turriano, & Johanne Fernando, opitulante Angero Japonio, Linguæ Luſitanicæ non ignaro, & diſcendæ religionis Chriſtianæ deſiderio ardente, quique jam tum baptizatus Pauli à Sancta fide nomen habuit; Evangelium (purum,

an interpolatum heic non disputo) primi in eo Regno prædicarunt. Statim Rex edicta promulgavit, testatus, placere sibi Christianam religionem, & in ditiones suas induci cupere. Quatuor jam civitates, Congoxima, Firandum, Amongucium & Bungum Christianam fidem amplexæ erant. Post Xaverii A. M. D. LII. in Indiam reversi discessum successerunt ex eadem Societate plures, qui progressu temporis magnam Japoniæ partem ad Christiana sacra traduxerunt, passim templa & Collegia extruxerunt. Conversi etiam sunt tres Reges, Bungi, Arrymæ & Omuræ, qui A. M. D. LXXXII. procurante Alexandro Walignano, Jesuitarum Visitatore generali, Romam missis legatis, ubique magnificè exceptis, & splendidis muneribus mactatis, Gregorio XIII. obedientiam promiserunt. Scilicet Jesuitæ legatione isthac, ex magnificentia Ecclesiæ Romanæ religioni, quæ splendori & magnificentiæ externæ plurimùm debet, Pontifici inprimis apud Japones authoritatem fidemque se conciliaturos, eximium ordini suo decus & famam inde comparaturos, denique ingens inde lucrum reportaturos sperârunt? Maximam enim partem munerum, quæ tum Pontifex, tum Hispaniæ Rex per Legatos Japoniæ Regibus illis transmiserunt, Jesuitas sibi vindicasse, Varenius *de Relig. Japon. cap.* 6. testatur. Id quoque à Papa Gregorio & Rege Hispaniæ iidem impetrârunt, ut sine ipsorum consensu nemini vel Lusitano, vel alii etiam Christiano in Japonia sedem domiciliúmque figere liceret. Neque Gregorius aliis quàm Jesuitis potestatem in Japonia prædicandi concessit. Sed extendit eandem mox Clemens VIII. ad Ordines mendicantes, siquidem ita necessitas postulaverit; ita tamen, ne fas sit nisi per Lusitaniam, atque inde Indiam & civitatem Goam, Japoniam, Chinam & finitima Regna intrare. Demum Paulus V. etiam per aliam viam, quàm per Lusitaniam in

Japonicas, aliasque proximè adjacentes insulas aditum concessit. Itaque frequente Religiosorum, Jesuitarum cumprimis, cæteris palmam facile præripientium, in Japoniam accursu Christiana ibidem fides incrementa indies majora cepit. Et jucunda quidem fuit protasis; grata epitasis; sed miserabilis & ingratissima catastrophe. Vix enim profundiores radices religio Christiana egerat, cùm radicitus extirparetur, & innumerorum Christianorum sævissimè profuso sanguine suffocaretur. Exardescens enim adversus Christianos omnes primùm A. M.D.C.XXII. persecutio, aliquot annos continuata est apud eundem Varenium, Rejero Gysberto Belga ad A. M.D.C.XXIX. usque, at Caronio etiam ultra ejus historiam lugubrem planè producente. Et primo quidem capite plecti & cruci affigi cœperunt. Cumque hilari animo supplicia isthæc à Christianis tolerari persecutores cernerent, ad truculentiora & sæviora indies progressi, alios palis alligatos lento exiguóque igne cremârunt; alios cratibus impositos assârunt; teneras virgines & uxores toto corpore nudas per compita tractas, impurorumque libidine palam corruptas, demum prægrandibus ligneis cupis plenis serpentibus imposuerunt, serpentibus in pudendas partes irrepentibus incredibili cum earum dolore, donec veneni vis vel cruciatus intolerabiles mortem attulerunt; alios ferventibus aquis ad necem usque ustulârunt; alios suspenderunt pedibus sursum elevatis & patibulo alligatis, capite ita deorsum pendulo, ut umbilicotenus in foveam quandam corpus immitteretur; quorum etiam, ne sanguine suffocarentur, cutem capitis decussatim dissiderunt, quò per scissuras sanguis exstillando exitum inveniret; alios (quod novissimum & deinceps usitatissimum Christianorum supplicium fuit) dissecto tantùm ventre ita suspenderunt, ut post ineffabilem cruciatum nono demum vel decimo etiam

Persecutio immanis Japonum adversus Christianos à Jesuitis conversos.

die,

die, ad extremum usque cum ratione verba facientes, spiritum Deo redderent. Quibus suppliciorum horrendorum generibus multa Christianorum tum advenarum, tum Japonum ad Christum conversorum, millia non multos intra annos, miserè extincta sunt; hanc, si à Bonziorum Sacerdotum adversus Christianos æmulatione perpetua discesseris, præcipuè, uti putatur, ob causam, quòd Hispani ferocius insolentiusque se gerentes dominationem affectare, & Jesuitæ concionibus tribunitiis subditos ad seditionem & rebellionem adversus Superiores minùs sibi addictos concitare, Regnumque amplissimum alienæ libidini subjecturi visi sunt: quod posterius etiam ex Almeidæ epistola Varenius probat. Nam quòd de Belgarum mala fide Jesuitæ mussitare ausi sunt, Jesuitico more id fecerunt, neque fide digno testimonio ullo id comprobârunt. Neque tamen Urbanus Papa de re Christiana apud Japones in integrum restituenda prorsus spem abjecit. Is quippe, Bulla die XXII. Febr. A. M. D. C. XXXIII. edita, ultra superiorum Pontificum decreta missionem ad Japonicas & aliarum Indiarum Orientalium Regiones, ad Religiosos cujuscunque demum ordinis extendit, & impedientes missionem excommunicationis latæ sententiæ vinculo innodavit. Sed frustra ille Romæ decreta cudit, & adversus imparentes fulmina conflavit, dum interea Saguntus periit, & funditus pessum ivit. Ita enim persecutio ingravescens indies deinceps quoque arsit, ut jam A. M. D. C. XL. sanguinis Christiani in universa Japonia ne reliquiæ quidem ullæ repertæ sint; & Belgæ commerciorum duntaxat gratia, nullaque stabili sede gaudentes, insulam eam non sine periculo, rigidisque adeò legibus & interdictis constricti, frequentent, argumenta gravissimi judicii Divini adversus tum impiam cœcamque gentem, tum eorum etiam consilia, qui specioso religionis, forte

Ejus causa fuit Hispanorum & Jesuitarum consilium de Japonibus legitimo Regi subducendis.

non

non bona etiam ubique fide, saltem prævia vocatione legitima nulla, traditæ, obtentu suis duntaxat commodis inhiantes, non tam oves, quàm ovium lanam quæsiverunt. Nec in Sina feliciorem res Jesuitarum successum habuere, ubi in aula Pekingensi, apud Imperatorem Vanlieum potentes, sua temeritate, & improvida Proselythismi, seu potiùs Pharisæismi propagatione, horribilem A. M. D. C. X V. persecutionem Christianis suis conciverunt. Bonzii enim videntes, lucrum suum à nova religione imminui, & ad peregrinos Sacerdotes transire, sacra quin etiam sua universa vilescere, non ante quieverunt, quàm eos, tanquam *priscæ religionis eversores, & Astrologiæ Sinensis destructores*, in Nankingensi Metropoli in carceres conjicerent, quos inter etiam fuit P. Alvaro Semedo, qui totam hanc tragœdiam descripsit.

Similes Pontificiorum facinus in Sina.

CCXLIV. Mirè deinceps Deus Ecclesiæ Romanæ labium confudit, excitatis in ea dissidiis, & tantùm non dextris ejus in se invicem armatis. Et primò quidem potentia Hispani & Cæsaris, prosperis in Germania successibus increscens, ita jam Pontifici Urbano suspecta esse cœpit, ut Regi Galliæ non obscurè favens, eundem admonuerit, *ne statum Germaniæ proculcari sinat.* Qua admonitione sponte currentem Gallum, adversus Cæsarem & Hispanos excitavit magis. Duravitque Urbani adversus Hispanos malevolentia, etiã post inclinatam eorundem per stupendos Suecorum Regis, Gustavi Adolphi, Herois incomparabilis, qui nixus præpotenti Dei manu, exiguis primùm copiis, auxiliis pene nullis, Germaniam jugo Austriaco-Hispanico, orbem universum metu liberavit; progressus, fortunam. Tum enim infensum erga Hispanos animum prodens, Legato Hispanico in pleno Cardinalium consessu dicere in os non dubitavit: *Hispanum sua tyrannide & regnandi libidine effeciisse, ut boni Catholici debeant exul-*

Urbanus Cæsaris & Hispani in Germania potentiam suspectans, adversus eos Gallum inflammat.

exultare in victoriis hæreticorum. In Hiſpania contra Jeſuita quidam Duci Olivario à ſecretis confeſſionibus, abdicato genio Jeſuitico, librum edidit *de poteſtate Pontificis*, quo eum Romæ ſuæ affixurus, palam docuit: *Omnem poteſtatem, quam capitis Eccleſiæ titulo in Chriſtianum orbem ſibi Papa vendicet, meram uſurpationem, intruſionem, violentiam eſſe: non exiſtente Papa in alio (& forte etiam in iſto) nulla eſt prærogativa ſupra alios Epiſcopos, niſi quantum ad dignitatem accidentalem, non ad ſuperioritatem jurisdictionis: Non habent in ſua quaq; diœceſi minorem quoad hoc jurisdictionem Epiſcopi, quàm habeat Papa in ſuo Epiſcopatu S. Johannis Lateranenſis. Papa non eſt ſupra Concilium, ſed contra: Proinde excommunicatio Bullæ in Cœna Domini adverſus eum, qui à Papa appellaverit ad Concilium, eſt injuſta, invalida, intoleranda.* Hiſpanis ita à Pontifice diſſidentibus, in eo conſilia ſtetiſſe ferebantur, ut à Pontificibus auferrent collationem beneficiorum Eccleſiaſticorum in illo Regno, ac erecta ibidem, quam vocant, dataria, eos argento, quod inde hactenus perceperant, multarent.

Jeſuita Hiſpanus edito libro Papæ Poteſtatem infringit.

Hiſpanorum adverſus Urbanum conſilia.

CCXLV. Graves etiam paulò poſt inteſtini motus Paparum concuſſerunt, occaſione quæſtionum de œconomia gratiæ Divinæ, Moliniſtas inter & Janſenium, ejúsque aſſeclas, quorum utrique Papam Romanum agnoſcebant, vehementer agitatarum. Cornelius Janſenius, Epiſcopus Iprenſis in Flandria, Vir doctiſſimus, & S. Auguſtini cumprimis ſcriptis, quæ in univerſum omnia decies, ſeorſim verò libros de Gratia & Libero arbitrio, tricies, Liberto Fromondo teſte, legit, innutritus, librum ſcripſerat, titulo: *Auguſtinus, ſeu Doctrina S. Auguſtini de humanæ naturæ ſanitate, ægritudine, medicina adverſus Pelagianos & Maſſilienſes, tribus tomis comprehenſa.* Prodiit liber, verè demorſos ſapiens ungues, biennio poſt mortem Authoris, A. M.D.C.X L. procurantibus Fromondo, Caleno, & Reginaldo Lamæo executoribus teſtamenti ejus. In univerſum

Diſſidii Janſeniſtas inter & Moliniſtas in Belgio & Gallia erumpentis hiſtoria fusè narrata.

eo damnatur Theologia Scholastica, quòd in ea Epicuræa, Platonica & Pelagiana dogmata contineantur. Acri inprimis censura perstringitur Molino-Suarezii, Fonsecæ, Lessii &c. de Scientia media opinio periculosissima omnium, utpote quæ hominem *αὐτεξούσιον*, adeoque Deum, facit. Præterea ex Augustini sententia asseritur, *gratiam Dei operari irresistibiliter; esse eam particularem, etiam ex intentione Dei antecedente; nullam esse sufficientem, nisi quæ actu secundo beatitudinem consummat; Christum pro solis electis mortuum esse.* Qua in doctrina ita Reformatis suffragari visus est, ut nomen ejus, *Cornelius Jansenius*, nonnulli invidiam authori conflaturi, per anagramma reddiderint: *Calvini sensus in ore.* Primùm atque lucem liber aspexit, in Belgio & Gallia, apud Sorbonam inprimis, ingentem applausum meruit habuitque. Lætati doctissimi quique sunt, Augustini doctrinam, per Helenam illam Jesuitarum aliorumque Theologiam Scholasticam sepultam, revivisceré. Sed quò magis lætabantur illi, hoc infestiores se doctrinæ ei tristioresque gerebant illi, qui sodales suos, Molinam, Suarezium &c. eo opere aperto Marte oppugnari, & Pelagianismi etiam nota aspergi, dolebant non parùm. Unde statim Augustinus ille Jansenii non tantùm à privatis scriptoribus, Jesuitis, Dionysio Petavio, Isaco Hoberto, Antonio Richardo, Francisco Annato, Petro de S. Joseph, Philippo de Sancta Trinitate, Ripaldo, Brisacerio, aliis, oppugnatus acerrimè est; sed etiam, connitentibus iisdem, favore inprimis Francisci Barbarini Cardinalis usus, ab Urbano Pontifice, Bulla prid. Non. Mart. A. M. D. C. XLI. edita, damnatus proscriptusque est, hoc videlicet prætextu, quòd in eo propositiones nonnullæ Michaëlis Baii, à Pio V. A. M. D. LXVII. damnatæ & prohibitæ, contineantur; quodque sic contra edictum Gregorii XIII. controversiæ de auxiliis gratiæ resuscitentur: cautum-

cumque simul, sub gravissimis censuris Ecclesiasticis & pœnis secularibus, ne quis imposterum de materia auxiliorum Divinorum, sine expressa & speciali licentia tractaret, *donec aliud in hac materia à sede Apostolica fuerit ordinatum.* Prohibiti quinetiam eadem bulla sunt omnes libri, qui vel pro Jansenio, vel contra eum, de hac materia scripti essent, vel imposterum scribentur. Cumque censuræ huic Papali Belgæ se non submisissent, neque ejus publicationem admittere se velle, priùs quàm Regis Hispaniæ authoritas & consensus accesserit, declarâssent; Urbanus denuo Bullam suam A. M. D. C. XLIV. repetiit confirmavitque, perpetuumque contradicentibus silentium imposuit. Neque tamen sic ad ἐχεμυθίαν sese redigi Jansenitæ passi sunt. Enimverò Jansenium defenderunt strenuè iidem, qui supra, Fromondus, ejus in cathedra Lovaniensi successor, Cario Parisiensis Theologus, Sorboniстæ plerique, nec non Archiepiscopus Mechlinienſis, Belgii Primas, unà cum reliquis Episcopis & Generalibus Provinciæ, qui Bullam Papalem per dolum sub-& obreptionis extortam pertenderunt: qui proin æquè ac ipse Belgii Gubernator, Franciscus de Mello, induci non potuerunt, ut, quod à Papa severè jussi erant, bullam ejus executioni mandarent. Sed & Innocentius X. Urbani successor, cùm bullam Urbani eludi putaret, sedecim Brevia misit, nempe ad Marchionem Castri Rodrigi, Gubernatorem Belgii. Archiepiscopos Mechlinienſem & Cameracenſem, Episcopos Belgii septem, Universitatis Sorbonæ Theologos, Magistrum Guilhelmum ab Angelis S.T.D. Lovanienſem, Leopoldum Guilhelmum, Archiducem Austriæ, & Episcopum Argentinenſem; quibus confirmata Urbani Bulla, injunctum seriò, ut illam tandem promulgarent & exequerentur. Et alicubi quidem, puta Antverpiæ, Duaci Namurci, aliisque locis nonnullis promulgari, adeoque Jansenii assecla

nonnihil premi cœperunt, interdictis adeò severis, ut imposterum ad animarum curam nemo admitteretur, quin post solennem fidei Concilii Tridentini confessionem, solenni formula præscripta, Jansenii Augustinum damnâsset priùs. Verùm cum reputâssent illi, easdem artes revocari, quibus quondam Ariani apud Imperatorem Constantinum usi fuerunt, Appellationem ediderunt ad Pontificem Romanum, titulo *Planctus ecclesiæ Augustiniana in Belgio patientis*; rogantes, ut, priusquam adversus Jansenium subscribere cogantur, de fide suscipiatur disceptatio, nec tum demum de re cognoscatur, cùm persona judicata & damnata jam fuerit. Annexi fuere Planctui huic tres libelli, quorum primus *fidem*, secundus *justitiam*, tertius *charitatem* commendat. Sed surdo fabulam narrârunt, Jesuitis apud Innocentium impetrantibus facilè, ne aures Jansenistis arrigeret. Cùm igitur Bullæ & edicta Papalia acrioribus odiis hactenus partes inter se accendissent; & alii quidem, Jansenio falsa dogmata affingi; alii, sententiam ejus hæreseos damnari non potuisse, quòd nec scripturis, nec Conciliis adversetur; alii denique, non tam Jansenii, quàm Augustini causam hic agi, & Jansenio damnato Augustinum ipsum damnari, palam edito in publicum libro asseruissent; denique Jacobus Archiepiscopus Mechliniensis, Belgii Primas, Antonius Triest, Episcopus Gandavensis, & Vicarii Generales Sedis Episcopalis Iprensis rationes, ob quas Bullam Pontificis promulgare non possent, luci publicæ exposuissent; inducti se Innocentius à Jesuitis, & Episcopis nonnullis Galliæ, Jesuitarum instinctu in partes venientibus, (quanquam δεύτερον hoc πάθος Innocentii fuit) passus est, ut Propositiones quinque ex Jansenii Augustino, uti putabatur, excerptæ, Romæ præsentibus & auscultantibus Cardinalibus nonnullis Johanne de Lugo, Carafa, Spada, &c. à Theologis tredecim, quos in-

inter Sforza Pallavicinus Jesuita primum locum obtinebat, ventilarentur. Jussi autem sunt Theologi illi vota seu suffragia sua scripto consignata (quæ ab Episcopo Montispessuli Roma in Galliam allata, totidem verbis Montaltius post finem Epistolarum Provincialium edidit) Pontifici offerre. Ex quibus scripto & voce Theologorum oblatis, Innocentius palam in hac ipsa causa professus, *se non esse Theologum*; (testatur enim Theologus Pontificius Ludovicus de S. Amour, Romam ab Episcopis Galliæ ad orandam Jansenitarum causam missus, editi Diurnalis *par.* 3. *cap.* 12. rogatum Innocentium, ut ipse cognosceret, ne quidem scripta sibi oblata legere voluisse, & respondisse insuper: *Non est mea professio; Præterquam quòd senex sum. Ego nunquam studui Theologiæ.* Dixisse alii ajunt: Io non sono Theologo: *Ego non sum Theologus*) post *indictas*, uti Bulla prid. Kal. Jun. A. M. D. C. LIII. ab ipso edita habet, *ad Divinum implorandum auxilium, multorum Christianorum preces, tum publicè tum privatim*; & easdem postmodum *ferventiùs iteratas*; quin & *solicitè implorata S. Spiritus assistentia*; ad Declarationem & definitionem procedens, Propositionum quinque, pro lubitu hostium Jansenii formatarum, damnationem conflavit.

CCXLVI. Operæ pretium fuerit, ex ipsa illa Innocentii Bulla fulminante quinque propositiones illas famosas, & obnuntiatas iisdem Innocentii diras repræsentari. Sic autem bulla Capitolini hujus Jovis sonat & tonat: *Primam Propositionem*: Aliqua Dei præcepta hominibus justè volentibus & conantibus, secundùm præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant: *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, &, uti talem, damnamus. Secundam*: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur; *hæreticam declaramus, &, uti talem, damnamus*. *Propositiones quinque Jansenii ab Innocentio damnatæ.*

mus. Tertiam : Ad merendum & demerendum in ſtatu Naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione ; *hæreticam declaramus, & uti talem, damnamus. Quartam:* Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei ; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare; *falſam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quintam:* Semipelagianum eſt, dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe ; *falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit ; impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Neve de prædictis propoſitionibus aliter quisquam ſentiat, doceat, prædicet, quàm in declaratione & definitione illa continetur, *ſub cenſuris & pœnis contra hæreticos & eorum fautores in jure expreſſis*, mandans, inſuper omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliisque locorum ordinariis, nec non hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus præcipit, *ut contradictores & rebelles quoscunque per cenſuras & pœnas prædictas, cæteraq; juris & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii Secularis, omnino coërceant & compeſcant.* Denique proteſtatur Papa, *non intendere ſe per hanc declarationem & definitionem, ſuper prædictis quinque propoſitionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Janſenii.*

Galliæ Epiſcoporum in recipienda Innocentii adverſus Janſenitas Bulla divortium.

CCXLVII. Quamprimum Bulla illa κεραυνόλιθος in Galliam miſſa eſt, Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopi Lutetiæ congregati plures prompti eam acceptârunt probaruntque. Scripſit enim eorum nomine Petrus de Marca, nominatus tum Archiepiſcopus Tholoſanus, ad Innocentium

tium Epistolam eucharisticam; qua inter alia eum cum Innocentio I. contendens; *Sicut*, inquit, *ille Pelagianam hæresin damnavit olim ad Episcoporum Africæ relationem: sic ad Gallorum Episcoporum consultationem hæresin ex adverso Pelagianæ oppositam, Innocentius X. sua authoritate proscripsit.* Bellè scilicet! Pelagianæ hæresi ex adverso oppositæ fuit doctrina S. Augustini, S. Scripturæ authoritate firmata. S. Augustini igitur doctrinam, Scripturæ authoritate firmatam, ceu hæreticam Innocentius damnavit proscripsitque. Digna planè proscriptio Innocentio, profesto, se Theologum non esse. Qui doctrinam Pelagio ex adverso oppositam damnavit, Pelagianus certè fuerit oportet; Addit Marca, vetustæ ætatis Ecclesiam Catholicam, *sola Cathedræ Petri authoritate & communione fultam*, Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsisse. *Ea nos quoque*, inquit, *sententia ac fide imbuti, Romanæ Ecclesiæ præsentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, authoritatem debita observantia colentes, Constitutionem Divini Numinis instinctu à Beatitudine vestra conditam, nobisq; traditam ab Ill. Athenarum Archiepiscopo, Nuntio Apostolico, & promulgandam curabimus in Ecclesiis ac Diœcesibus nostris, atque illius executionem apud fideles populos urgebimus.* Macte animo Viri! Non Divina ulla, non Prophetica, non Apostolica authoritas ad subscribendum Bullæ vos subegit. Exolevit enim illa apud Romanos novissimis hisce temporibus penitus; eique succedanea authoritas Pontificia Innocentii, non Theologi, nedum Prophetæ, Apostoli, ita oculos vobis præstrinxit, ut ei, ex quercu sua oracula fundenti, etiam cùm nulla ratione illa roboravit, fidem cæco assensu habueritis! Et tamen Epistolæ huic præter Marcam, Virum cætera doctissimum, subscripserunt Julius, Cardinalis Mazarinus, Archiepiscopi quinque, & Episcopi viginti quatuor, suo quisque nomine; ita claudentes Epistolam assentationibus plenam:

Por-

Porro nos Innocentio X. cujus ore Petrus locutus est, ut Leoni I. acclamavit quarta Synodus, hanc Divinam lauream gratulati, sacros inter Ecclesiæ fastos, quod olim de Synodis Oecumenicis fieri solitum, Constitutionem istam ab eo editam lubentes ex animo reponemus. Neque tamen in universum omnes Galliæ Episcopi subscripserunt. Inter subscriptos enim non comparent Archiepiscopus Senonensis, qui jam ante scripto, & Luthetiæ Regio prœlo exscripto *Augustino* suo *per se ipsum docente Catholicos, & vincente Pelagianos*, Jansenii partibus se adjunxerat; non Episcopus Ambianensis, aliique.

Jansenitarum adversus Innocentii Bullam exceptio,

CCXLVIII. Non idem Belgis animus, non eadem erga Bullam Pontificis devotio testata. Testis est Franciscus Annatus, Jesuita, qui post Bullam Innocentii vulgatam questus est, *percussum esse errorem Jansenii nupera Sedis Apostolicæ constitutione, sed non extinctum: Jansenianos dissimulare malle vulnera, quàm sanari: & utut commutata sententia facilè possint innocentem reddere censuram, eligere incolumes videri potius quàm fieri.* Cùm animadvertissent illi, nihil protestationibus adversus bullam se proficere, aliam viam ingressi, damnatas propositiones negârunt vel inveniri in Augustino Jansenii vel damnatas esse in sensu à Jansenio intento; accepturi etiam bullam, sed cum exceptione illibatæ authoritatis S. Augustini & Thomæ, cùm ipsimet à Pontifice in privato colloquio audiverint, non esse sibi animum damnare ullo modo doctrinam S. Augustini, vel controversiam de gratia per se ipsam efficaci Jesuitas inter & Thomistas agitatam attingere. Quod ipsum etiam testantem Jesuitam Annatum, induxerant. Sed fefellit illos opinio & spes concepta omnis. Statim enim post mortem Innocentii Alexander VII. Successor edita XVII. Kal. Nov. A. M.D.C.LVII. bulla, non tantùm Innocentii anathemata repetiit, confirmavitque; sed insuper etiam contra *nonnullos iniquitatis filios, ad quamcunq; dubitationem auferendam,*

ab Alexandro VII. editâ Bullâ, eliditur.

de-

declaravit & definivit, *quinque illas propositiones ex libro Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est, Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse.* Ita ostensurus digitum suum minimum grossiorem esse dorso patris & prædecessoris sui, rigorem Innocentii plurimùm auxit. Cumque ne sic quidem moti fluctus componi se sivissent, & in Gallia maximè Jansenii partes crevissent, idem Alexander nova bulla XV. Kal. Mart. A. M.D.C.LXIV. vulgata, præfatus, *Cornelii Jansenii hæresin, in Gallis præsertim serpentem, ab Innocentio X. ferè oppressam, ad instar colubri tortuosi, cujus caput attritum est, in varios gyros & cavillationum deflexus euntem, altero assumptionis anno extinguere se conatum esse*; queritur, *nondum plenè consequi se potuisse, ut omnes errantes in viam salutis redirent*; *licet Archiepiscopi & Episcopi Galliæ operam & industriam ad executionem constitutionum egregio studio contulerint, & Rex Christianissimus singulari pietate auxiliarem dextram strenuo ac constantissimo animo porrexerit.* Deinceps rogatu, uti Bulla præfert, Christianissimi Regis certam formulam, cui Ecclesiastici omnes subscriberent, præit, his verbis ab ipso conceptam: *Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. die* XXXI. *Maji* M.D.C.LIII. *& constitutioni Alexandri VII. datæ* XVI. *Octobr.* M.D.C.LVI. *Summorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, & ita juro: Sic me Deus adjuvet & sancta Dei Evangelia.*

Formula conficitur adversus Jansenium, in cujus verba Pontifex clerum suum adigit.

CCXLIX. Tantæ scilicet molis erat, bullatis & plumbeis illis declarationibus & definitionibus, rejicere, damnare, proscribere, non Cornelium Jansenium utique, sed S. Augustinum, celeberrimum Hipponæ Præsulem, Pelagianorum illum malleum fulmenque, ad cujus tamen doctrinam, ceu normam, omnem illam de gratiæ auxiliis

Non tam Jansenium, quàm Augustinum à Pontificibus damnatum esse, Jansenistæ confirmant.

disputationem, jam ante Clemens VIII. parùm certè hîc Jesuitis propitius, adstrinxit; rationibus adductus pluribus, quas ejus verbis P. Giboeuf libro *de libertate*, & Archiepiscopus Senonensis, Octavius de Bellegarde, *Augustin. doc. pag.* 4. 5. recensent. Nunc verò prout Romæ obtinent *annuæ & menstruæ de Deo fides, fides potiùs temporum, quàm Evangeliorum*, ut B. Hilarii *lib.* 2. *ad Const.* verbis utar, ab Innocentio in Augustini potissimùm caput coctas esse hasce diras, abundè Jansenii asseclæ demonstrârunt. Sanè famosus ille Jesuita Annatus Jansenitas, cùm profiterentur, paratos se demonstrare, *quinque Propositiones ad sensum Jansenii, easdem esse ad sensum etiam Augustini*, libello, qui inscribitur, *Jansenianorum cavilli, cap.* 3. falsè ridet, asseritque, *deferendam potiùs Augustini sententiam, quàm sententiam Summi Pontificis*, cùm id, quod definitum est, authoritatem petat *non tam à S. Augustini consensu, quàm à præsidio speciali Spiritus S. Christi vicario, in Scripturis S. promisso*, hoc est, à Pythagorico αὐτὸς ἔφα. Sed & Ludovicus de Marcine, itidem Jesuita, in *Apologia* pro Innocentii constitutione, *parte posteriore*, totus est in elevanda authoritate S. Augustini, dum varios ejus errores recenset, cum in Ecclesia esse *irrefragabilis authoritatis* pernegat, denique pertendit, non omnem Augustini *de gratia Dei* doctrinam ab Ecclesia Catholica admissam & approbatam esse. Denique in universa hac disputatione Jesuitarum hîc Achilles fuit, *omni exceptione majorem esse Romani Pontificis è cathedra loquentis authoritatem fallere & fallinesciam, non modo in Concilio Generali, verùm etiam extra illud. Christum non Augustino, non Conciliis, sed Petro ejusq; Successoribus denuntiâsse: Oravi pro te, ne deficeret fides tua. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Pasce oves meas* &c. Atque ita tota illa Jansenistas seu Augustinianos (hoc potiùs nomine se insigniunt illi) inter & Jesuitas controversia tandem in infallibilem Papæ etiam

Controversia tota denique in quæstionem de infallibilitate Papæ exiit.

ex-

extra Universale Concilium, sive in fide sive in facto quidpiam decernentis, authoritatem resolvebatur. Atque in eo impudentiæ numeros omnes Alexander implevit, quòd definire ausus est, Jansenium eum sensum *intendisse*, in quo Innocentius Propositiones illas damnavit: & Innocentium *intendisse* propositiones eas damnare non alio in sensu, quàm qui Jansenii fuit. Ita καρδιογνώστης uterque, & Innocentius Jansenii asserentis, & Alexander Innocentii assertionem damnantis, intentionem, seu interiorem animi sensum compertum habuit; atque adeò τὰ τοῦ ἀνθρώπου, *ea quæ in homine sunt*, intentionem proin hominis animo abstrusam, non tantùm τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἐν αὐτῷ, *Spiritus hominis, qui in ipso est*, (uti quidem S. Paulus 1. Cor. II. 11. asserit) sed etiam Spiritus Papæ, qui extra hominem est, novit. Neque tantùm Papa, quod olim ipsi gnathones vendicârunt, omne jus Divinum; sed jam etiam omne dictum, factum, cogitatum humanum in scrinio pectoris sui clausum habet.

CCL. Tertia igitur hæc, supra illas scilicet, quas Tridentinum Concilium stabilivit, post duas supra memoratas de licentia parricidali & æquivocationibus, Jesuitarum novella, seu mavis, recocta, & ex orco revocata Pelagianorum & Semipelagianorum veterum hæresis, ex pluribus æquè hæreticis assertionibus conflata, quàm illi approbante & definiente Pontifice Romano, adeoque Ecclesia Romana omni, qua Pontifici paret, Jesuitarum fraudibus miserè circumscriptâ adversus S. Augustinum, sanioresque antehac in Ecclesia Romana Theologos, Thomistas inprimis, perruptis pudoris, Divinæ veritatis, canæ antiquitatis repagulis omnibus, audacter & impunè sustinent, ἐπὶ πλεῖον προκόπτουσες ἀσεβείας, *majorem ad impietatem proficientes* in dies, dum *sermo*, doctrina eorum, ὡς γάγγραινα νομὴν ἔχῃ, *gangræna instar serpit* 2. Tim. II. 17.

Tertia Jesuitarum singularis hæresis, ex pluribus conflata, de Gratia & arbitrio.

Laniena Evangelicorum in Hibernia, Urbano Pontifice, patratæ historia horribilis compendiò enarrata.

CCLI. Ad Urbanum ut revertamur, eo adhuc Pontifice inde à d.xxiii. Octobr. A. m.d.c.xli. Hiberni Papistæ horribili laniena in Protestantes tota insula sævierunt. Paucorum mensium intervallo plusquam ducenta hominum millia, & in sola Ultonia, quarta & minùs culta Hiberniæ parte, centum quinquaginta quatuor millia sex intra menses rabies illa absumpsit, ut nihil tormentorum & mortium reperiri potuerit, quod non furiales illæ bestiæ commiserint, solo religionis odio, & quòd Papæ gratum se officium internecione Protestantium præstituros, vitamque æternam absque purgatorii flammis consecuturos, Monachorum sanguinolentorum persuasione inducti crederent; *rudibus* omnis & fidei & humanitatis facilè ad omne nefas propulsis. Ipsi certè Monachi & Sacerdotes accuratum catalogum lanienæ, Phelimo Oneal Ecclesiæ Catholicæ Archistratego, patratæ, authenticamque adeò publicorum actorum consignationem ediderunt. Ibi videbis innumerabilem miserorum Christianorum multitudinem, postquam omnibus ad cutim usque exuti & spoliati fuissent bonis, trucidatam; plerosque ferro, multos suspendio, submersione, vivicomburio, in Templis, ædibus, aliisque locis; plurimos spirantes adhuc terra defossos: aliquos à canibus dilaniatos ac discerptos, lapidibus obrutos: alios ferventibus ahenis mersos, nonnullos carbonibus tostos, intestina per posticum extracta, dissectos ventres, evoluta viscera, confracta funibus intortis crania, dorsum, brachia, crura, femora comminuta vel abscissa: alios toto corpore cruentatos, cùm nil nisi vulnus essent, in suo sanguine & frigore enectos: suspensos capillitio: impuberes secus parentum immolata cadavera fletu, fame, inopia extinctos; multis ex innocuo illo sexu jam intermortua matrum ubera morsu potiùs, quàm lactendo, appetentibus. Nulla in tigribus illis, non

Hir-

Hircanis, ſed Hibernis, erga miſerrimos commiſeratio; ſed immiſſi porci, canes, aliaque Canibalibus Hibernis mitiora animalia, tandem deglutientes, quod reſtabat carnium, finem tantis miſeriis impoſuerunt. Ita occiſi, ita ſepulti ſunt. Multi ita ruptis omnibus artubus, ut loco ſeſe movere non poſſent, cùm herbarum circumcirca paſtu bruto cibo vitam in triduum miſerrimè traxiſſent, ab Hibernis ſpectatum & inſultatum venientibus, cùm mortem beneficii loco precarentur, nec impetrârunt omnes, in locum herbidum alium, ut diutius inter acerrima tormenta precarium ſpiritum traherent, ac oculos immanium belluarum gratiſſimo ſpectaculo, aures horrendis clamoribus ſatiarent, delati ſunt. Mancipia in Dominos omni telorum & contumeliarum genere ſævierunt. Miſellæ mulieres, dependentibus de cervice aut cingulo liberis, &, ad majorem ignominiam, canibus ſimul ac felibus appenſis, laqueo ſuffocatæ ſunt. Multi, puteis ſubtus glaciem actis, ſubmerſi: alii mucronibus in mare & flumina protruſi; ac ſi qui ad littus aut ripam enatarent, eliſo cerebro, aut contis affixi, denuo aquis immerſi ſunt. Ædium, caſtellorum, templorum ruinæ, cæſorum inſepultis cadaveribus ſtipatæ; cùm paucos terra regeret, multi ſub ſtillicidiis, in foſſis hinc inde & plateis computreſcerent. Innoxia ætas, diſſectis carnibus, unco, velut in macello agnina, ſuſpenſi ſunt. Miſer nonnemo nudo corpore aſſeri impoſitus, ab Hibernis ad ſingulos hauſtus ſingulis vulneribus, ſed non penitus in mortem, adactis, ita paſſim diffiſſus, ut continuum vulnus videretur. Quem deinde in fimetum projectum dolor, fames & injuria aëris extinxit, prohibitis omnibus, ne miſerias tantas ullo modo levare auſint. Alius adacto per poſteriora palo, ut altiùs infigeretur, velut per ludibrium circumſcarificatus, donec inter atroces convulſiones, plaudentibus hoſtibus, animam Redempto-

ri ſuo, ſancta victima redderet. Pueri, parentum Catholicorum charitatem æmulati, denſo agmine in agros egreſſi, ubi in cæſum Proteſtantem (quales paſſim totis ſparſi ſunt campis) inciderunt, ejus pudenda virgis lorisque tamdiu flagellârunt, donec ruptis nervis, & carne diſperſa, membrum à reliquo corpore diſſolveretur, quod ipſi arreptum, feſto clamore, parentibus gratiſſimum munus obtulerunt. Si fœmina cæſa, prono in terram ventre jaciſſet, eam in dorſum reſupinatam, omnibus membris, iis maximè, quæ natura occulta eſſe voluit, taxârunt. Concluſi arctiſſima intra ædes & templa cuſtodia, illis repente ſuccenſis, lamentabiliter conflagrârunt. In ipſo templo pater filiusque in partes ſecti, eorumque ſegmina matris extremùm ſauciæ capiti impacta ſunt. Nobiles virgines totam noctem capillitio de arbore ſuſpenſæ, cùm orta luce aliquid in illis vitæ reſiduum deprehenderetur, protinus obtruncatæ ſunt. Tres orphani, quorum parentes à latronibus illis cæſi erant, cùm nudi, & frigore pœne enecti, in fornacem ſe abdidiſſent, ignibus immiſſis, immiſericorditer combuſti ſunt. Uxor gravida cum liberis vitæ conſultura, cùm terror fœtum ante tempus excuſſiſſet, illo à latronum canibus devorato, ipſa cum cæteris obtruncata fuit. Multæ nobiles diſſectæ, fœtus utero excuſſi, & ipſæ, viſceribus apertis, horrendum ſuſpenſæ. Infantes haſtis præfixi rebellium, præda ea gloriantium. Duæ filiæ toto corpore nudæ, metu mortis, decrepitum parentem lacertis ſuis in paludem trahere adactæ, ubi & ipſæ ſubmerſæ perierunt. Uxor jugulare maritum, filius matrem coacti: ipſos, velut ultimam victimam, latrones mactârunt. Equorum caudis alii alligati, tractati, excarnificati, fame enecti, mille tormentis excruciati ſunt. Quibus corpus hebetius & obeſum, eviſcerati ſunt, ut ex eorum pinguedine lychni efficerentur. Vir pius, & zelo Dei

fla-

flagrans,terra,solo capite prominente,defossus, atque ita relictus,donec corvi & vultures oculos vivo eruerent, feræ bestiæ reliquum abligurirent. Plurimi spirantes subtus terram defossi,quos inter unus cratibus & saxis depressus, cùm diu lamentabiliter frustra inclamaret, nec uxor pedibus capta eum eruere posset,faciem ægrè nudavit,& ut finem immensis dolotibus imponeret, strophiolo spiritum ei intercluſit. Multorum plantæ ad lentum ignem tostæ : alii securibus dissecti, funibus sursum deorsum per aquas raptati ; nonnulli semineces relicti, vel ferro clausi, donec membris putrescentibus, animam exhalarent : & infinita tormina ad pecuniam prodendam, quam,omnibus jam ante spoliati, nullam habebant,excogitata. Ossa & cadavera dudum in Domino defunctorum, tumulis eruta, projecta vilissimis locis, per fimeta,aggeres,fruticeta,campos sparsa & disjecta sunt. Hæc omnia,pluraque etiam, uti certis documentis ab ipsis etiam hostibus infandorum facinorum authoribus, suppeditatis,constat,à Catholicis videlicet patrata,tam profectò dira sunt, ut ab Orci emissariis, extremæ nequitiæ dæmonibus,diriora patrari non potuisse,ambiguum neutiquam habeatur.

CCLII. In Romani scilicet Molochi honorem gratiamque immolatæ hæ victimæ, adeò non ingratum ei nidorem attulerunt, ut delectatus etiam magnopere iis visus fuerit; assuetus pridem sanguineis & ignitis ex rationalium hominum corporibus hostiis. Constatque etiam,Urbanum eadem occasione in turbido piscaturum,per Nuntium suum Rinuccinum variis artibus Regnum ipsum Hiberniæ, à Protestantium sanguine sic pressè purgatum defœcatumque affectasse, usum prætextu juris in totum orbem, & omnia Regna hujus mundi,ipsismet ringentibus Papistis, & artes illas in detrimentum coronæ vergentes detestantibus, prout hæc aliaque prolixè in *vindiciis Catholicorum Hiberniæ* exposita legere est. *In Pontificis gratiam tot in Hibernia cæsa victimæ sunt.*

CCLIII.

Urbanus pacem prætextu belli in Germania continuationem promovet.

CCLIII. Arsit interea adhuc intestino bello Germania, tot jam exteris etiam in ea infesta arma sua circumferentibus, ut farciendæ denique inter Christianos pacis spes ferè nulla affulserit. Atque hic Urbanus Legatis in Hispaniam, Galliam, Germaniam missis, urbanis equidem lacteisque verbis pacem suasit, animo interea, ne degenerâsse à genio Paparum putes, nil nisi bella volutans. Cæsari enim ad continuandum illud ducenta millia coronatorum præsentanea numeravit, & post unius anni decursum, si quidem ita necessitas postulaverit, denuo centum millia se soluturum recepit. Instituit præterea vehementer, ne Pontificii de pace transacturi quidquam de religione & bonis Ecclesiæ paciscantur; quæ pacis remora haud postrema fuit. Cùm igitur Deputati Francofurti d. XXII. Aug. A. M. D. CXLIII. de bonis Ecclesiæ Protestantibus tradendis nonnihil statuissent, consiliumque suum Cæsari probandum obtulissent, statim ille Breve Apostolicum, d. XVII. Octobr. exaratum, ad Episcopum Augustanum misit, in hæc verba consignatum? *Urbanus P. P. VIII. Propositam Francofurti de ecclesiasticis bonis hæreticorum potestati committendis sententiam ex Fraternitatis tuæ literis, tum etiam ex supplici libello ad nos transmisso, non sine ingenti molestia audivimus. Nempe facile est conjicere, quænam inde animarum pernicies, & sacri cultus imminutio expectanda esset. Et tamen Imperator electus pietate pollet, eam erga Ecclesiasticos gerit propensionem, ut minimè verendum arbitremur, ne improbum illud consilium constanter simul & religiosè rejiciat. Nos quidem, ut Pontificii muneris partes impleamus, cuncta, quæ è re fore significâsti, officia accuratè adhibuimus, Deumq; precamur, ut optatus exitus gravissimo negotio nequaquam desit.*

Urbano succedit Innocentius X.

CCLIV. Sequentis anni M. D. C. XLIV. d. XXIX. Jul. Urbanus, capularis ferè octoginta annorum senex, implevit mortalitatis suæ legem. De novo Pontifice creando cer-

certatum miris ſtudiis, factionibus Hiſpanica, Gallicana, Romana, Barbarina diu colliſis. Sex jam hebdomadæ in Conclavi exactæ erant, cùm Johannis Baptiſtæ Pamphilii ne mentio quidem creandi Pontificis ulla incidiſſet. Obſtabant ingenium ejus à literarum, ſacrarum inprimis ſtudiis alienum, nonniſi cauſis dicendis aſſuetum, quodque mancipium eum eſſe libidinis alienæ, Olympiæ Maldachini glotis, conſtaret omnibus. Alii alia cauſſabantur. Tandem inter Hiſpanicorum Gallicorum Cardinalium, æquis viribus certantium, acerrima ſtudia, Olympiæ inprimis artibus effectum eſt, ut præter opinionem Pamphilius, Romanus natione, Neapoli Nuntius, qui poſt Innocentii X. nomen ſumpſit, Papa proclamaretur, quem mox Cardinalis Medicæus, corona capiti ejus impoſita, ſic affatus eſt: *Scias, te eſſe Patrem Principum & Regum, Rectorem orbis.*

CCLV. Statim atque Papatum aggreſſus eſt Innocentius, admiſit is elogium inſolentiſſimum omnium, quod in honorem ejus Cardinalis adhuc, ſed jam jam creandi Pontificis, à neſcio quo Italo-Græco, Joh. Baptiſta Calumſyrito, concinnatum, & à Melchiore Inchofer, fama notiſſimo, qui orbi Chriſtiano epiſtolam B. Virginis nomine ad Meſſanenſes ſcriptam obtrudere ante auſus fuerat, Pontifici recens creato oblatum, ſic ſonat: *Eminentiſſime & Reverendiſſime D. Cardinalis Pamphili. 1. PHILIUS Dei ſuperlativus amor Patris, quia φίλος ideo Philius dictus) ex æterna ejus charitate, qua ſe Deo Patri obtulit, in amantiſſimum Interceſſorem ac Mediatorem Dei ac hominum, ab inſtanti conceptionis in utero B. Mariæ Virginis, factus fuit Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedeci, ac primus Pontifex Optimus Maximus. 2. Sed Filius fuit Philius, non PAMPHILIUS. 3. Fuit interceſſor Dei & hominum. 4. Non fuit univerſalis Mediator Angelorum & hominum, ſeu Pamphilius. 5. Si ex nominis analo-*

Admittit elogium blaſphemis refertum, ab Italo-Græco cuſum, quod Pamphilius Filius Dei ſit, fertur.

gico æternoq; anagrammate præsagire licet, mysterium aliquod in tempore: Tu ab æterno prædestinatus es, esse Pamphilius in terris, ac dici Pamphilius, æmulus filii Dei in Cœlis. 6. Pamphilius ergo eris. Universalis nimirum reconciliator Angelorum & hominum, in terris hostiliter pugnantium Regum & populorum. 7. Quod præstabis nonnisi electus in Pontificem Optimum Maximum. 8. In cujus faustissimum augurium Evangelus ego, felixque Nuntius ter Sanctos pedes Eminentiæ vestræ ex nunc deosculor. 9. Quod etiam Græcè scripsi decem abhinc annis in Græca nostra Academia Basiliana in Columbæ vestræ stemmata, τὰ τῆς εἰρήνης σύμβολα, Rex pacificus eris & clementissimus. Blasphema illa themata, apud inferos quandoque, cùm in terra iis impunè fuerit, arsura, vel à quoquam cusa, vel à Pontifice Summo pronis auribus, lætoque animo excepta esse, ut crederem, induci nunquam potuissem, nisi *fide dignis testibus* ita constare, Amplissimus & Celeberrimus Conringius *Conclav. Alex. VII. pag.* 55. &c. asseverâsset.

Papatum eo tempore non Innocentius, sed ejus glos Olympia Maldachina administrat.

CCLVI. Toto ferè tempore, quo Innocentius Pontificiam Sedem occupavit (occupavit autem ultra decennium integrum) non tam Innocentium, quàm fœminam glotem ejus, Donnam, seu Dominam Olympiam Maldachinam, Fratris ejus defuncti uxorem, Papatum rexisse, constans fama erat, ab iis etiam, qui Romæ exquisitam omnium notitiam habuerant, tradita. Credideramusque, θερμοῖς ψεύδεσι, *calidis mendaciis*, Innocentii innocentiam à Marphoreis aut Pasquinis aspergi onerariqué, nisi Abbas Gualdus testis, uti quidem de se profitetur, αὐτόπτης & αὐτήκοος, scripto Romæ *de vita & rebus gestis Donnæ Olympiæ Maldachinæ* libello (qui mortuo ipso inter Manuscripta ejus repertus, publiciqué juris in Italia factus est) plenam amplioremque etiam ejus rei fidem feciisset. Narrat autem Gualdus ille, (liceat multa paucis constringere) ut Olympia illa, à teneris unguiculis imperiosa, dominationem

Historia ejus ex Abbate Gualdo contracta.

nem ubique affectaverit: ut nupserit Innocentii fratri Pamphilio, eumque anno conjugii circiter decimo aversata, tota in amorem affinis Baptistæ Pamphilii (post Innocentii) rapta, ejusdemque in conclavi alibique lateri individua comes hæserit, gravi suspicione incestorum amorum apud omnes: ut se totum ejus consiliis flectendum, regendum affinis commiserit: ut ex Hispania ad Olympiam scripserit, absente & inconsulta ea minùs prosperè, quæ ibi gerebat, negotia sibi, ceu navi sine remo, succedere: ut Olympia affini Cardinali recens creato se solertiùs applicuerit, eumque iis dotibus, quæ Pontificem ornant, simulandi & dissimulandi artificio cumprimis, quod januam ad Papatum esse crebrò ei inculcaverat, imbuere conata sit: ut profecerit Cardinalis in artificio simulandi & dissimulandi omnia, excepto amore erga Olympiam, quem ut tegeret, induci nunquam potuerit: ut insinuaverit affinem Cardinalibus Hispanis æquè ac Gallis, mira versutia: ut post mortem Urbani in commendando Affine vigilantia & industria incredibili usa, id denique artibus suis consecuta sit, ut, nequicquam repugnante Cardinale Antonio Barbarino, præter omnium expectationem ad Papatum evectus fuerit: ut post electionem Affinis ad Olympiam concurrerint frequentes, quotquot fortunis suis consultum cupiverunt: ut Antonio Barbarino, quo cum privatæ ei simultates intercesserant, exitium mox acceleraverit: ut domicilium in Vaticano proximè Pontificis conclave appetiverit, at dissuadente Panzirolo, Pontificis ædes proprias incolens, singularum dierum approximante vespera ad illum inviserit, & ad seram usque noctem cum eo subinde moram traxerit: ut filium Camillum Pamphilium, rerum omnium ignarissimum, ad Cardinalis Patroni dignitatem provexerit, & eundem infirmitatis conscientia dignitate ea se abdicantem, unà cum nova nupta de Ros-

ſano, devotum Pontificiis diris, ne dominationi ſuæ intercederet, aliasque ob cauſas, Roma relegaverit : ut negotia Pontificia cuncta ad ſe traxerit, ſupplices Pontificis ſubductos ſola audiverit, reis pœnas ſupra meritum irrogaverit, munera & dignitates pro libitu diſtribuerit, atque iis aliisque modis inexhauſtam pecuniarum voraginem brevi tempore coegerit : ut leges novas fixerit, veteres Pontificum præcedentium refixerit : ut Nepotem Maldachinum omnium ſtolidiſſimum, animo & corpore deformem, adoleſcentem adhuc Cardinalitia purpura, invito Pontifice, donaverit : ut procurante Cardinale Panzirolo, Camillus Aſtalli, juvenili ætate Nepos ab Innocentio Pamphilii nomine adoptatus, & indignus licet, cum admiratione omnium ab eodem Cardinalis Patroni titulo & præcipua dignitate auctus, fortunæ Olympiæ imminutionem nonnullam attulerit, Pontifice altiùs ad animum, uti videbatur, revocante ſequiora de ſua cum Olympia familiaritate, & ejusdem plusquam virili dominatione, judicia tum Italorum, tum exterorum, à quibus numnus aureus recens cuſus, una parte Olympiam corona Papali redimitam, & claves Petri manu prenſantem ; altera verò Pontificem cum implexa, mulieri more coma, & manu colum tractantem repræſentabat ; (taceo tum ludum Scenicum, quem in contumeliam ejus rei in Innocentii & Olympiæ nuptias, Londini Cromwello coram luſum ipſimet Itali finxerant : tum Imperatoris Ferdinandi acre dicterium, quo Innocentii Nuntium Melzi contra Pacem cum Sueco initam murmurantem, excepit, his ferè verbis : *Papæ verò non deſunt otium & delicia, cui Olympia caput demulcet, ut ſuaviter dormire poſſit*) ut delinificis verbis Olympiæ ſuæ perſuaſerit, quo interdiu ſaltem, ob ſiniſtras omnium interpretationes, domi ſe contineret, & ab aditu Vaticani ſibi temperaret, conceſſa interim licentia noctu,

quo-

quoties luberet, Pontificem adeundi, & quidlibet cum eo transigendi: ut mox Pontificis Nepos Camillus Romam cum conjuge revocatus in gratiam cum patruo redierit: ut post mortem Panziroli, Olympia pristinæ libertati restituta, interdiu iterum adeundi Pontificem facultatem nacta, ingravescente jam senecta & attrita valetudine Papæ, licentiùs quàm unquam aliàs, imperitans, summam rerum ad se denuo contraxerit, & colligendis undique pecuniis vigilantissimè sordidissimèque incubuerit: ut prohibuerit Pontificem, ne pacem Gallum inter & Hispanum, cui universa Europæ pax innitebatur, ullo modo promoveret, certus scilicet, futurum, ut belli denique pertæsi ultro pacem ipsi ferirent; neve ullis Principum negotiis, ex quibus pecuniæ redigi non possent, se immisceret, metu scilicet, ne offensus quispiam quietam proficuamque dominationem suam turbaret: ut, Pontifice ad mortem propinquante, contracta cum Barbarinis, quos Pontifex hactenus odio flagrantes, & ab eodem seu Olympia potiùs, ad iras ferè redactos, eidem reconciliavit, & in pristinas possessiones restituit, affinitate, munimenta quæsiverit, quibus post mortem Pontificis adversus hostium insidias tutò insisteret: ut Barbarinis ita reconciliatis, Astallium seu Pamphilium adoptivum, Cardinalem Patronum, omni dignitate, fortunis omnibus provolutum, ad perniciem extremam præcipitaverit; non aliam ob causam, quàm quod secreta Olympiæ & Barbarinorum de Regno Neapolitano Pontifici subjiciendo, ejusque ditione inter se distribuenda, Hispanis prodidisse, indice Azzolino, purpuram indicio tali promerito, compertus fuisset: ut Pontificis valetudine conclamata, Olympia in aulam accita, ægroranti indivulsa adstiterit, & circa lectum obductis velis abstrusa, legatorum propositiones audiverit, & prorumpens subinde ad easdem responderit, pro Pon-

tifice cuncta gesserit, fœdissimum quæstum intra decem dierum intervallum media auri millione corrosa exercuerit: ut die VII. Jan. A. M.D.C.LV. Pontifici oculos clauserit & relictos trium ferè millionum thesauros expilaverit: ut post in Cardinalium conclavi, instituta etiam factione volante, ex Innocentii ferè creaturis conflata, extremis viribus, ut Papa sibi & Pamphiliis propitius prodiret, nequicquam laboraverit: ut denique ab Alexandro VII. Roma Orvietum relegata, ibique rationem administrationis & pecuniarum immensarum nefariè coactarum reddere jussa, pestilentia interim Italiam universam corripiente, epidemia lue extincta, hæredesque ejus Alexandro placando millionem auri ejusdem Nepotibus erogare compulsi fuerint, eaque ratione, juxta Cardinalis Sforzæ παῤῥησίαν, pars facultatum per simoniam inauditam ab Olympia collectarum *à latrone ad latronem* transiverit. Hæc non è Protestantis cujuspiam, sed Itali, Romani, Abbatis, testis oculati, auriti fide relata, si vera sunt (falsa autem esse, nemo, quantum sciam, contra Gualdum asserere, nedum probare sustinuit; præter famam passivam, veritatem historiæ inter alios etiam confirmante Francisco Carriere, Minorita Monacho, qui in Chronologia Pontificum narrat, populum Romanum, cùm Innocentium audivisset, per novendium agonizantem, cum acerbissimis mortis doloribus conflictari, Divino judicio mortem adeò diram ei infligi judicâsse, eò quòd in administratione Papatus nimium Olympiæ indulserit, & indulgentia ea deteriorem fœminam eam reddiderit) habuit seu passa potiùs hoc etiam Seculo est Roma redivivas Maroziam, Theodoram, Mathildem, Vannociam, Juliam Farnesiam, & quicquid olim Dominarum & Meretricum Principalium Romæ fuit. Et Innocentium tamen hunc γυναικοκρατούμενον Sixtus Guardinus Ferrariensis amplissimis elo-

elogiis efferre; *Innocentium Magnum, Oraculum Seculi, Miraculum totius mundi, Mortalium portentum, coram Deo, coram mundo Innocentem*, referente Banckio *Romæ Triumph. pag.* 298. insignire non dubitavit.

CCLVII. Quàm se gravem & iniquum Innocentius Jansenitis præbuerit, supra narravimus; causasque obiter etiam indigitavimus. Favor scilicet erga Jesuitas, qui immediatè à sacerrima Sede illa pendent, ei obedientiam cœcam vovent, ejus Metaphysicam & transcendentalem illam potestatem, quo jure, quáve injuria, acerrimè & quibusvis interdictis propugnant: odium verò insitum Pontificum erga Episcopos meliores doctioresque, qui authoritatem, quam sibi à Christo collatam putant, studiosissimè asserunt, quales in Gallia & Belgio non pauci à Jansenii qui & ipsemet Episcopus celebris fuerat, partibus steterant, Innocentio ad damnandas Jansenii Propositiones faces subdiderant. Accessit opportuna occasio, qua in definiendis etiam fidei articulis infallibilitatem suam etiam extra Concilium, à Gallis Episcopis aliisque etiam aliàs oppugnatam, stabiliri posse speravit. Quod eventus maximè probavit, quando successor ejus occasione Jansenitici hujus certaminis in Gallia infallibilitatem suam definiri, & ab ipso Rege Christianissimo agnosci petiit. Hæ similesque causæ, quas inter rerum Divinarum ignorantia & contemptus supinus, fatalisque Romanæ Ecclesiæ, justo Dei judicio spiritu vertiginis perculsæ, & in pejus in dies proficientis, malignitas, haud postremum locum obtinent, apud Nocentium hunc effecerunt, ut Cœlum ipsum stultitia sua petere, Gratiæ Divinæ gigantæo conatu bellum indicere, & Pelagianam hæresin, à tot prædecessoribus suis damnatam, in arce reponere verecundatus non fuerit. *Innocentio quæ causæ Jansenitarum damnandorum fuerint?*

CCLVIII. Neque Gratiam Divinam impugnare satis *Ejusdem & Nuntii ejus,*

Fabii Chisii, Bulla & Protestationes adversus Pacem Germaniæ, insolentissimæ.

tis habuit. Etiam humanam in terris gratiam & pacem, præclarum illud Dei immortalis munus, turbare, impugnare modis omnibus annisus est, dolens non parùm, quòd Jesuitarum suorum, in perniciem Germaniæ à tot annis instar telæ Arachnes subtiliter contexta consilia, infelicem successum haberent. Testis est insana & ferocissima ejus adversus Pacem Westphalicam, Monasterio-Osnabrugensem, tamdiu Europæ totius votis ardentissimis desideratam, difficiliqúe adeò negotio inter Principes diversos, Pacificorum prudentiumque virorum operâ d. VI. Aug. & XXIV. Octobr. A. M. D. C. XLVIII. conclusam, Protestatio. Et primò quidem Pontificis nomine Fabius Chisius, Episcopus Neritonensis, & eo tempore Apostolicus in Germania Nuntius, post Papa, Alexandri VII. nomine famosus, geminam Protestationem, utramque Monasterii Westphalorum, & alteram quidem d. XIV. alteram XXVI. Octobr. A. M. D. C. XLVIII. insolentissimis amarulentissimisque verbis editam obtulit, professus inter alia, sese *omnem etiam pulviculum de pedibus excutere, qui commune quidquam habere possit vel cum minimo præjudicio S. Sedis; & promptum se exhibere* pro illa Sede *ad vitam & sanguinem profundendum.* Sicut nempe Apostoli prædicaturi pulverem pedum excutere adversus eos, qui Christo obedire detrectarent, & in testimonium de Christo etiam sanguinem fundere jussi sunt: ita pro Papa suo idem factitandum Fabius censuit; quasi tantundem esset Papæ Regnum & Regnum Dei, Christum & Papam prædicare; quales tamen Fabios prædicatores & Martyres omnis prisca Apostolica & verè Catholica Ecclesia ignoravit. Supervenit d. XXVI. Nov. ejusdem Anni ex ipsa Tarpeja arce in Pacem Fulmen planè horrendum, ac quale ab orbe condito nusquam terrarum auditum fuerat; Bulla scilicet ipsius Innocentii feralis & infausta, cui titulus est: *Sanctissimi Domini N. D. Innocentii Divina Providé-*

tia

tia Papæ X. Declaratio Nullitatis Articulorum nuperæ pacis Germaniæ: Religioni Catholicæ, Sedi Apostolicæ, Ecclesiis, aliisq; Locis piis ac personis, & juribus Ecclesiasticis quomodolibet præjudicialium. Ibi Principibus Pontificiis, pacem justa concessione eorum, quæ nullo vel Divino, vel humano jure legitimo inhiberi poterant, redimentibus, crimini datum, quòd Pace ea *inter alia bona Ecclesiastica, aliaq; ab hæreticis occupata, illis eorumq; Successoribus in perpetuum addicuntur; Hæreticis Augustanæ, uti vocant, confessionis liberum suæ hæreseos exercitium in plerisque locis permittitur, & locorum pro ædificandis ad hunc effectum templis assignatio permittitur; ipsique cum Catholicis ad publica munia & officia, ac ad nonnullos Archiepiscopatus, aliasq; dignitates & beneficia Ecclesiastica, precumq; primariarum Ferdinando in Imperatorem electo à Sede Apostolica concessarum participationem admittuntur: Annatæ, jura Pallii, confirmationes, Menses Papales, & hujusmodi jura ac Reservationes in bonis Ecclesiasticis dictæ Confessionis Augustanæ excluduntur; Confirmationes electionum, seu postulationum prætensorum Archiepiscoporum, aut Prælatorum ejusdem Confessionis, potestati Seculari attribuuntur; plures Archiepiscopatus, Episcopatus, monasteria, ballivæ, commendæ, canonicatus, & alia beneficia, & bona Ecclesiastica, Principibus hæreticis eorumq; hæredibus, etiam sublata denominatione Ecclesiastica, in feudum perpetuum sub dignitatis Secularis titulo conceduntur; contra Pacem hujusmodi, ullúmve ejus articulum, nulla jura Canonica vel civilia, communia, specialia, Conciliorum decreta, religiosorum ordinum regulas, juramenta aut Concordata cum Romanis Pontificibus, ullâve alia statuta, sive Ecclesiastica, sive politica, decreta, dispensationes, absolutiones, aut alias exceptiones, audiri vel admitti debere, disponitur; Numerus septem Electorum Imperii, olim Apostolica authoritate præfinitus, sive nostro & Sedis præfatæ beneplacito augetur, & Electorat⁹ octavus in favorem Caroli Ludovici, Comitis Palatini, hæretici instituitur; aliaq; multa, quæ pudet referre, orthodoxæ religioni, Se-*

diq; præfatæ ac Romanæ, & inferioribus Ecclesiis, cæterisque præmissis summopere præjudicialia & damnosa decernuntur. Quibus omnibus cùm pupillam oculi sui feriri, & ventrem, cujus quæsitissimus in Romana curia sensus est, tangi Papa existimâsset, is *de Apostolicæ potestatis plenitudine*, decreta illa & similia etiam *ipso jure nulla, invalida, irrita, injusta, damnata, reprobata, inania, viribus & effectu vana omnino fuisse, esse, & in perpetuo fore; neminemque ad illorum, & cujuslibet eorum, etiamsi juramento vallata sint, observantiam teneri: neque ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem, aut titulum coloratum, vel causam præscribendi, etiamsi longissimi & immemorabilis temporis possessio, etiam citra ullam interpellationē aut interruptionem, subsequatur, acquisitum fuisse, nec esse, minusve ullo tempore acquiri, & competere posse: neque illa ullum statum facere vel feciſſe: atque perinde, ac si non emanâssent, pro non extantibus & non factis perpetuò haberi debere*, decernit ac declarat. Neque sibi læta Majestas Pontificia satisfacere ullo modo valens, subjicit: *Et nihilominus ad abundantiorem cautelam, articulos præfatos, aliaq; præjudicialia, motu, scientia & deliberatione, & potestatis plenitudine penitus damnamus, reprobamus, nullamus, cassamus, annullamus, viribusq; & effectu vacuamus; & contra illa, deq; eorum nullitate coram Deo protestamur.* Piget reliqua Bullæ illius plumbeæ, nil nisi plumbeas iras, ob Pacem scilicet culinæ Pontificiæ commodis præhabitam, spirantis, prosequi. Tantus dolor fuit subductorum ventri pinguium aliquot patrimoniorum: adeò altè aqualiculo suavissimæ saginæ impressa memoria hærebat!

Ernesti de Eusebiis de Pace Protestantibus non danda, liber, Fabii Chisii jussu vulgatus.

CCLIX. Ante quàm Pax confecta fuit, in ipso scilicet deliberationum æstu, Fabii ejusdem instinctu, exaratum Monasterii prodiit judicium Theologicum personati cujusdam Ernesti de Eusebiis, quo probare is aggressus est, Pacem, qualem Protestantes desiderant, secundùm se illicitam esse; eò quòd pax ejusmodi *hæresi tum directè, tum in-*

indirectè cooperetur: Creatori & veræ Religioni injuriam inferat: causa sit perditionis animarum: usurpatio sit potestatis non competentis: repugnet officio & juramento Cæsaris, Statuumq; Catholicorum, maximè Episcoporum: frustratoria, ipsoque bello periculosior sit: sit magis inordinata mendacio: Ecclesiæ Dei, Summorum Pontificum, S. Patrum, & veterum Doctorum suffragio destituatur & damnetur: quæ sigillatim demonstrare conatur. Successit mox Judicii illius Theologici vehiculum, & Instrumenti Pacis Ponderatio. Responderunt ad Judicium illud ex Pontificiis, Abbas Caramuel, Vir doctissimus, qui arcanis consultationibus multis magno bono in lucem productis, præterea opinione variæ doctrinæ & authoritate cum primis fidem sibi idoneam fecit: ex Augustanis verò tum Doctiss. Joh. Georgius Darchæus; tum solidissimè inprimis Celeb. Conringius, qui sub nomine Irenæi Eubuli, Theologi Austriaci *pro Pace perpetua Protestantibus danda* Consultationem Catholicam edidit, quam per hypotheses irrefragabiles, & conclusiones inde deductas, solutis etiam Ernesti argumentis, adornatam, dignissimam, quæ truci & sævo Euscbii tenebrionis judicio opponeretur, esse J. C. famigeratissimus Jacobus Lampadius, præfatione præfixa judicavit. Sed & pace jam rata firmaque, & non attentis Romanis sive fulguritionibus, sive tonitribus, sive fulminibus in publicas perpetuasque Imperii leges recepta, refractariam illam Innocentii bullam idem Doctissimus Conringius ad partes ita vocavit, ut apertæ veritati dederit, Declarationem Innocentii non necessariam, inutilem, publicè privatimque noxiam ac pernicioſam, denique ab omni æquitate & justitia alienam esse: In Batavis quoque duo rei indignitate moti, alter David Blondellus, omnis antiquitatis promus condus, ficto tamen Amandi Flaviani nomine; alter Vir Clarissimus, Johannes Hoornbekius, perdoctis scriptis Romanæ Bullæ im-

Responsum ad eum Caramuelis.

Darchæi, Conringii.

Innocentii adversus Pacem Bulla ab eodem Conringio.

Blondello.

Hoornbekio discutitur.

pietatem, quòd doloso cineri suppositam illam Papalem prunam non carere judicâssent meritò, confodere non dubitârunt.

Innocentii mors Historia Conclavis A. lexandri VII. authore Italo edita, & contracta exhibetur.

CCLX. Innocentio d. VII. Jan. A. M. D. C. LV. acerba morte, uti supra diximus, defuncto, Cardinales undecimo à morte ejus die in Conclave sexaginta & novem cellis (vacabant tamen quatuor ob absentiam Sandovallii, Guevæ & Mazarini, & mortem Carafæ) distinctum se contulerunt. In Cardinalem Sacchettum plurium Gallicæ factioni addictorum, coryphæo eorum Barbarino, vota inclinabant. Medicæi, Hispanicæ factionis principes, & cum iis Hispani ei summopere resistere. Duabus his accessit tertia factio (*Squadron volante*) volans (scilicet, quam *factionem Spiritus S.* blasphemè appellare ausi sunt,) ex Pamphilii seu Innocentii creaturis, Olympia annitente; & Cardinale Imperiali ejusdem duce, collecta, præ se ferens, quòd Papam non vel Hispanum, vel Gallum, sed dignissimum eligere constitutum habeant. Constat tamen, *volantes* illos Olympiæ desideriis velificari unicè voluisse. Cumque Cardinales Innocentio sanguine conjuncti nulli extiterint (Astallius enim adoptione exciderat) æquum visum, ut in factione tali habeat nomen aliquod facto Pamphilia, ne ab Innocentio lecti Cardinales velut mercenarii milites huc atque illuc divagari, & alienis signis nomen dare necessum haberent. Has veras *Factionis volantis* causas scripta ab Italis vulgata prodiderunt. Et junxerat se primùm volans hæc factio Barbarino, Gallicæ antesignano. Sed Sacchetti, cui Galli studebant, promovendi post plures, quibus in eligendo eo lapidem omnem frustra moverant, hebdomadas, spes omnis mox evanuit, Medicæis, qui jam ante illum excluserant, vindictam metuentibus. Conspirârunt tamen vota ad Pontificem Coronæ Gallicæ & Mazarino gratissimum eligendum. Placuit

sta-

ſtatim Rapacciolus, Barbarinorum rebus inſuper addictiſſimus. Reſtiterunt Medicæi, & cum iis Hiſpani, eò quòd digniſſimus Papatu licet, occulto favore nimiùm in Galli partes inclinaret. Rejecto ſic Rapacciolo proponitur Card. Florenzola, Ordinis Dominicani Monachus. Neque ille Medicæis diſplicuerat. Sed obſtitit Olympiæ acris tergiverſatio, quæ propter ſimultates privatas invicem exercitas, ante Cardinalium in Conclave ingreſſum Pamphilios omnes ſeriis precibus, ne in electionem ejus, futuri ſibi inimiciſſimi, conſentirent, obteſtata fuerat. Neque cùm ex Conclavi ei ſignificaretur, electum Florenzolam eſſe, ſi acquieſceret illa, & univerſæ Pamphiliorum domui benevolum affectum ſpondere; Trivultio Cardinale etiam, qui ob morbum extra conclave degerat, pro eo multùm intercedente, flecti ullo modo, inducique, ut quieſceret, potuit. Proponuntur igitur alii, Cecchinus, Franciottus, Bragadinus, & tandem, annitente Sacchetto, Fabius Chiſius, patria Senenſis, agminis *volitantis* quaſi ocellus, is ipſe, quem nuper adverſus Pacem Weſtphalicam Pontificis nomine ſupra proteſtatum diximus. Quia tamen ad ejus, utpote ab Hiſpana factione propoſitus, electionem Galli venturi languidiùs credebantur, Sacchetti opera nuntius perniciſſimè in Galliam ablegatus eſt cum ejusdem ad Mazarinum literis efficaciſſimis, quibus ejus virtutem, dotes & erga coronam Gallicam incredibilem affectum graphicè is depinxit. Interea, dum reſponſum ex Gallia expectatur, tempus inutiliter & inter mutuas fraudes, cùm alii aliis gnaviter imponerent, conſumptum extractumque eſt. Eoque res devenit, ut multi non tam tædio, quàm ſcandalo offenderentur, haud obſcurè innuentes, non ſic gloriam Dei, nec Eccleſiæ anxiè electionem Pontificis deſiderantis, quæri. Reſponderunt, qui protela illa conſultò nexuerant, nondum illuxiſſe diem,

quo Deus populo ſuo de rectore proſpicere decrevit. Illuxit tamen mox candidus ille dies, quando ex Gallia allatæ literæ, placere Chiſium, & ob Sacchetti interceſſionem, unicè illum à Rege expeti, ſignificârunt. Sic Medicæos inter & Barbarinum, Hiſpanos, Gallos & medios, inde à die XXVIII. Martii cùm tranſactum eſſet, tandem poſt ſcrutinium veſpertinum diei Martis, VI. nimirum Aprilis, negotium à Cardinalibus apertiùs tractatum, & ſibi invicem, tam fauſtam electionem Chiſii gratulati ſunt; ingruenteque nocte in cellam Chiſii, qui jam ſe in lecto compoſuerat, convenerunt. Gratulationes excepit Chiſius; profuſis lachrymis ſubinde orans, ut digniorem alium eligerent. Solent nimirum nonnulli ſpecie recuſantium flagrantiſſimè cupere. Pro ſequentis diei, VII. Aprilis ſcrutinio matutino jam veſpera præcedente ſuffragia certa pro Chiſio præparata erant; Medicæis ac Hiſpanis viginti duo, Barbarino triginta novem vota promittentibus. Poſteri diei VIII. Aprilis primo manè omnes, qui aderant, Cardinales ad Chiſii cellam coiverunt, tum ſacro in privato quodam ſacello facto interfuerunt, ac demum Chiſium more ſolito ad delubrum Sixti deduxerunt, ut ibi in ſcrutinio jam factam ejus electionem communibus votis publicè comprobarent. In quo ſcrutinio Hiſpanorum vota ad numerum vigeſimum & quintum crevere, licet Medicæi viginti duo duntaxat promiſiſſent; & ſua triginta novem Barbarinus contulit, atque ita concordibus ſuffragiis omnium, ſexaginta quatuor ſcilicet, Fabius Chiſius Pontifex Romanus electus eſt. Qui antequam publicè (nam privatas gratulationes jam admiſerat) dignitatem capeſſeret, precum cauſa, ab Altiſſimo auxilium impetraturus, aliquantum ſeceſſit. Veſtitus poſtmodum Pontificali habitu Romanus Pontifex, ac viſibile caput Eccleſiæ ſub nomine ALEXANDRI VII. (hoc enim Fabio

no-

nomen placuit, nescio quo Numine vel omine) ab omnibus Cardinalibus salutatus & adoratus est.

CCLXI. Hanc Conclavis Alexandri VII. historiam, Authore Italo minimè suspecto, saltem ob profusissimas, quas Alexandro in eadem historia admetitur, laudes, Romæ Italicè, & à Johanne Schwarzkopfio, Serenissi. Augusti Brunsvicensium Ducis, Consiliario, Viro Summo, Latinè, fusiùs proditam, delibatis summis ejus capitibus, repræsentare haud inconsultum omnino duxi, ut electionis Pontificum paradigma aliquod lectorum oculis subjicerem. Quærere hic lubet: An ita eligentibus censeri possit Spiritus S. præsedisse? An verosimile sit, Spiritu S. afflari Cardinales in factiones, & in illa consilia carnalia de inveniendo commodo suis Secularibus desideriis Pontifice? Num ad illum modum DEUS O. M. Prophetas & Apostolos (Apostolus autem etiam Papa haberi vult) miserit in mundum? An non potiùs Deus singulos Prophetas & Apostolos suos ab ipso orbe condito immediatè elegerit & miserit? An, si Papa est vicarius Dei, ac proinde ratione illius muneris major omnibus Prophetis & Apostolis, uno excepto S. Petro, verisimile sit eum ritè constitui modo aliquo, qui longè inferior est illo, quo electi olim fuere Prophetæ & Apostoli? An in ejusmodi Pontificum electionibus quicquam appareat, quo electionibus Principum Secularium præferri mereantur? Imò an non electiones Principum Secularium præferri electionibus Pontificum vel eo nomine mereantur, quòd in illis salutis omnium promiscuè subditorum haberi ratio soleat: in his contra non omnium æquè Principum, sed vel Regis Hispaniæ, vel Regis Galliæ (prout hæc vel illa factio vincit) duntaxat, vel præcipue commoda spectantur? An non Pontifices ita electi vitio & per simoniam creati censeri debeant? An proinde tales electiones non sint illegitimæ & ipso jure

Ejus occasione quæstiones de electione Papæ motæ.

re nullæ; ipsique adeò Pontifices Pseudo-Pontifices? Hæc similiaque extricent illi, qui Pontifices ejusmodi à Cardinalibus, Carnalibus scilicet, electos pro Vicariis Christi, adeoque Vice-Deis, venerantur. Jam olim quidem Baldi, Jurisconsulti veteris, de sententia (in l. 2. C. sententiam rescindi non posse) Papa non legitime electus, est *Diabolus in terris & apostata:* & ideo *non habet claves Cœli, sed inferni.* Quis verò ab hujusmodi, quæso, (sibi & Baldo ignoscat Roma, non mihi) *diabolis, apostatis, inferni clavigeris*, sanam incorruptamque Religionis Christianæ doctrinam sibi polliceatur?

In electione Pontificis quid potissimùm Cardinales, quid Seculares spectent, inquiritur.

CCLXII. Enimverò quid vel Cardinales, vel Seculares etiam Principes in Pontificum electione potissimùm spectent, experientia liquidò testatur. Ex quo enim Pontificis eligendi jus ad solos Cardinales devolutum, eorumque Collegium in duas præpotentes factiones, Gallicam & Hispanicam, scissum est, non jam conjectu sortis, sed prægranti annua pecunia in aliquot Cardinalium aridas avidasque fauces conjecta, emptisque suffragiis, hæc ad Principum nutum, partibus studentium, Comitia peraguntur. Tum quid utrique spectent, ipsi etiam Pontificii graves neutiquam dissimulant. Jam dudum enim Joh. Franciscus Lottinus, Episcopus Volaterranus, ille Marcelli II. amicus summus, in Consilio, quod de Conclavi scripsit, sic inter alia censuit: *In Pontifice*, inquit, *eligendo aliis studiis Principes & Prælati Ecclesiastici; aliis Seculares ducuntur. Hi quidem, quantumvis religionis Catholicæ sint studiosissimi, magis tamen propriæ utilitatis respectu moventur. Idcirco Pontificem plerique malunt, qui animo timido sit & sollicito, quàm prompto & vehementi; ut bonis Ecclesiasticis, quæ in ipsorum sunt ditionibus, tantò liberiùs uti frui possint. Quòd si vel Rex Franciæ, vel alius quis Princeps Pontificem desiderent, qui animo magno sit & elato, non equidem ideo faciunt, quòd Sedis Apostolicæ dignitatẽ auctam*

cu-

cupiant, sed ut eorum consiliis ad res in Italia novandas utantur. Hispaniarum quidem Rex, *aliiq; Principes, qui ditiones suas pacificè possident, Italiæ quieti unicè studeant; ac propterea iis, qui illustri prosapia magnisq; opibus subnixi inquieto sunt animo, minùs favent; quod idem sine dubio* Rex *Franciæ, si tantum terrarum in Italia possideret, facturus esset. Quoniam verò quietis in Italia conservandæ præcipuum momentum in tali Papa est positum, qui humilis sit conditionis, ac nullis factionibus addictus : solent iidem omnium hujus farinæ Cardinalium favorem, quibus possunt officiis sibi conciliare, eosq; obnoxios sibi facere.* Quales verò in Pontifice virtutes sibi Cardinales expetant, statim idem explicat. *Cùm plures sint,* inquit, *probitatis sive virtutis partes, eæ Pontifici futuro magis necessariæ existimantur, quæ aliorum serviunt utilitatibus & commodis, ut sunt Beneficentia, Comitas sive Affabilitas, justitia, & similes. Parsimonia enim, temperantia, continentia, & aliæ, quibus homo seipsum regit, laude quidem dignissimæ sunt virtutes, at multò magis in Principe eæ desiderantur, quibus magnitudo ejus aliis quasi communicatur.* In eandem sententiam scribit Anonymus, qui electionem Sixti V. narravit. *Quorum,* inquit, *à Cardinalibus ratio habetur, virtutes illæ sunt, quæ alteri prosunt, ut justitia, affabilitas, mansuetudo, beneficentia, facilitas in communicanda sua cum aliis dignitate, similesq; aliæ. Cæteræ enim virtutes animique perfectiones, ut temperantia, continentia, & quæ sunt hujus notæ aliæ, minùs hic requiruntur. Ac proinde rarò eligi videntur, quibus multi & magni cognati vel propinqui, ne scilicet illis locupletandis & evehendis beneficentiæ fontes aliis claudantur. Et Cardinales Pontificem desiderant, non qui ipsos amet tantùm, sed qui causas habeat ipsos amandi.* Sanctitatem igitur in eligendo eo, qui electus *Sanctissimus Pater* clueat, pietatem, rerum sacrarum peritiam pensi non haberi, res ipsa loquitur, & silentio virtutibus illis involuto Authores hi prodiderunt. Satis sanctus, satis pius, satis doctus censetur, qui Pontificia sacra professus, aliis

utilis commodusque, & usurpatæ potestati Romanæ Sedis vel conservandæ vel provehendæ par haberi possit. Et verò jam pridem Pontificum plerique aut fuere indocti, aut causidici, aut Politici: Theologis ad honorem illum gradus omnis tantùm non præclusus fuit. Perinde atque Curiam ipsam Romanam in legendis Episcopis postremam, vel ut plurimùm nullam omnino peritiæ rerum sacrarum curam habere, jam olim Marsilius Patavinus *part. 2. c. 24. Defensor.* scripsit. *Quibus*, inquit, *de plenitudine potestatis conceduntur majores Ecclesiæ dignitates, & qui ad has gubernandas sufficientes putantur, causidici sunt. Hos enim tanquàm utiles significat Romanus Pontifex, ut Ecclesiæ defensores, qui pro temporalibus conservandis vel amplius usurpandis contendere nôrunt, sacræ verò Theologiæ doctoribus tanquam inutilibus rejectis.* Neque pridem adeò in ipsa Italia Papista celebris & bonarum partium defertor, edita sub ficto nomine Alphonsi de Vargas Toletani, Relatione ad Reges & Principes Christianos, hac de re graviter questus, *Palam est*, inquit, *majorem eorum partem, qui hodie vel maximis in Ecclesia dignitatibus præsunt, & unctissimis Episcopatibus atque sacerdotiis fruuntur, quantulacunque juris ac legum notitia tinctos ad eos honores opesq; pervenisse; cæterùm Hebraicè, Græcè & Latinè indoctissimos, tum sacrarum literarum non magis, quàm Scythici aut Japonici sermonis intelligentes esse. Quamvis enim S. Paulus exoret, qui velit esse Episcopus, Doctorem esse jubeat, qui scilicet aut ab infantia sacras literas didicerit, aut saltim in lege Dei dies ac noctes meditetur: tamen eò res hodie redit, ut qui Theologiæ Doctor sit, vix nomen inter Episcopatuum candidatos profiteri audeat.*

Ejus encomium ab Autore Consciæ ejus scriptum.

CCLXIII. Miras tamen in Alexandro effulsisse animi dotes, ejus encomiastæ plenis buccis decantant. Is enim, qui Conclavis ejus historiam scripsit, occasionem scilicet ei supparasitandi captans, augurium futuri Pontificis optimi ut faceret, sic eum commendat. *Si nostro,*

inquit, *hoc ſeculo Principem quis cerneret, qui nudum corpus rigidiſſimo veſtiviſſet cilicio, nemo non eum tanquam vitæ integerrimæ, exemplaris & ſanctæ ſtudioſum, ſuſpiceret. At talis noſter, cùm habitu Pontificali indueretur, repertus eſt. Qui etiam alias animi ab affectibus terrenis, mundanisq; divitiis alieni, ſignificationes haud dubias ſæpe jecit. Lectus enim ejus, in quo, cùm Cardinalis eſſet, dormire conſueverat, non mollibus ac delicatis plumis ſtratus erat, cùm ſemper duriſſimè quietem ceperit. Singulis quoque ſeptimanis bis jejunando abſtinentiam ſuam oſtendit, nec jam Pontifex ab iſto more tantillum recedit. Unde manifeſtiſſimè apparet, quàm penitus abhorreat à terrenis deliciis, mens cæleſtibus tantùm dedita. Res ſanè noſtri ævi Principibus rariſſimè uſitata, ac proinde in noſtro tantò magis admiranda & extollenda, qui profligato dominio ſenſus, ſolum ſpiritum ſibi imperare patitur.* Narrat deinceps, eum Papam creatum, cùm ſolemni pompa in ædem Petri portatus eſſet, ut ibi ſuper altari magno, in medio Templi extructo, ab omnibus Cardinalibus adorationis cultum publicè reciperet, noluiſſe præcedentium Paparum more in altaris medio collocari, ſed vehementer inſtitiſſe, ut in angulo quodam altaris relinqueretur, indignum ſe profeſſus eo loco, quem cæteri Pontifices tenuiſſent. Illic tamdiu proſtratum, imaginemque crucifixi amplexum, maxima cum animi dejectione jacuiſſe, quamdiu adorationis ſolennitas duravit. Quam ſubmiſſionem & modeſtiam ſignum certiſſimum Pontificis, ſingulari Dei miſericordia ac providentia conceſſi, ille interpretatur. Ubi verò relicto S. Petri templo ad proprium cubiculum Palatii Vaticani delatus fuit, prius quam ſe feſſum jam moleſtis functionibus quieti daret, arcam è cupreſſo, plumbo intus obductam, ut illic poſt mortem reconderetur, ſibi condi, & ſub lecto ſuo reponi, quò ſic morte ob oculos ſtatuta, ad pietatis opera accenderetur magis, juſſiſſe; idem & author & prodigus laudator eſt. Sed & proxi-

ma ab electione die eum Olympiam, quæ gratulatura ei novam dignitatem palatium intraverit, rejectam facesse-re jussisse, eò quòd palatium Papæ à fœminarum pedibus calcari decorum non sit, idem refert. Addunt alii, indignabundum Olympiæ eum objecisse, *satis diu jam Pontifices illam vidisse*. Alia quoque sanctitatis & virtutis Alexandri τεκμήρια idem memorat; cujusmodi sunt, quòd cognatos suos Romam venire injussu suo prohibuerit, *docens* sic (ita adulator φιλοψεύδης) *se jam cognatos non habere, nec domi suæ evehendæ studere, potioremq; curam illam habere, quomodo Ecclesiæ reditus usibus necessariis applicarentur*: quòd oblata postridie creationis à diversis Principibus aliisque munera, promptè magnoque animo respuerit; inprimis verò Olympiæ lectum, variè acu pictum, & unionibus contextum, quadraginta millium aureorum pretio æstimatum, actutum eidem remiserit; (scilicet opimiorem prædam ex illius rapinis animo jam præceperat, devoraveratque integrum auri millionem, Gualdo teste) eamque ad reddendam rationem furtorum suorum, inprimis arcæ, in qua octoginta millia aureorum, ab Innocentio, successori tradenda, reposita ipsemet Alexander adhuc Cardinalis viderit, restitutionem compulerit: quòd inter Principes dissidentes concordiam sarcire, & animas hæresi pereuntes ad gremium Ecclesiæ reducere, in consilium missis illico vitæ probatæ & expertæ prudentiæ Cardinalibus, studuerit: quòd Venetis adversus Turcas suppetias statim tulerit: quòd denique totus motibus spiritualibus, meditationibus sanctissimis, & cogitationibus ad totius Ecclesiæ bonum collineantibus, & quidem non perfunctoriè, sed seriò & acriter deditus sit. *An familiæ suæ splendorem* (ita sub finem loquitur) *auctum, nepotibusq; suis Cardinalatus aliásve dignitates largitura sit sua Sanctitas, nondum liquet.* Sed liquere mox cœpit. Amphora enim cœperat institui, sed curren-

rente rota nonnisi urceus exivit. Neque sic tamen adulator aliquid dixit, quod humanam sortem superet, vel Christo Vicario & Vice-Deo eximium sit. Omisit etiam nonnulla, quæ jam tum constare poterant, quorum alterum cum paucis Pontificibus commune, alterum sibi proprium habuit. Ac prius quidem, quòd literis utcunque imbutus sub nomine *Philomathi* poemata edidit. Posterius verò, quòd Mahometem eo ipso tempore Imperatorem Turcicum quinto gradu consanguinitatis, ex Alanc Moruglio, communi stirpe & Atavo utriusque Parentis Pontificii & Turcici; pessimo utique omine contigit, uti quidem Pastorius in Henninge redivivo *pag.* 159. demonstravit.

Ejus Philomathia, & gradus consanguinitatis, quo Mahumetem Imp. Turcicum attigit.

CCLXIV. Vix admotus gubernaculis est Alexander, cùm honori ejus in Pedemontio per immissos Emissarios, igneos illos turbarum incentores nigris hostiis, humanis cæsorum lamentabiliter victimis litatum est. Priusquam autem tragicum sanè, luctuque & miseriis plenum drama prosequimur, paulò altiùs rem repetere juvabit. In tribus Pedemontii vallibus, Lucerna, Perosa & S. Martino inde à quingentis annis Evangelici, Waldensium nomine, Romana Ecclesia, ceu Antichristiana & Apostatica deserta, segreges cœtus fecerant. De eorum origine, propagatione & persecutione supra *ss.* c. CIV. CV. pluscula diximus. Cruentissimam omnium adversus illos persecutionem Innocentius VIII. A.M. CCCC. LXXXVII. instituit, misso Legato suo, Alberto de Capitaneis, delere & exscindere eos omni tormentorum genere connixus. Sed Waldenses captis pro justa sui adversus latrones defensione armis, libertatem à Philippo VII. Duce Sabaudiæ, postquam falsas & ineptas Monachorum jactantium inter alia, *liberos Valdensium monstrosa esse forma, uno in fronte oculo, & quaterna nigrorum dentium serie, aspectu formidabiles*; calumnias

Papatus ejus initia Pedemontana lamenta fundantur.

Continuatio persecutionis Waldensium sub Philippo II. Carolo, Philiberto Emmanuele.

abundè is perspexit, impetrârunt. Mox A. M. D. XXXIV. denuo eorum παροξυσθεῖσαν Carolus & postea Philibertus Emmanuel moliti sunt; adversus quos natura locorum, & angustiis Alpium, animo invicto fortissimè sese defendentes vim vi repulerunt, donec A. M. D. L XI. nova illis pax & libertas concessa est. Quæ cùm A. M. D. L XV. denuo infringi cœpisset, Protestantes Germaniæ Principes eorum causam suscipere cœperunt. Et Elector quidem Palatinus Fridericus III. Pius, misso ad Ducem Sabaudiæ Legato, insignem ad illum Epistolam scripsit, qua ostendit, *crudelitatem Papæ Romani erga fideles & Reformatos, Principi Christiano & justo haudquaquam tolerandam, neque combustiones & martyria legitima esse propagandæ religionis media. Quin cogitet Dux, sibi aliquando coram terribili tribunali Dei comparendum, & effusi sanguinis rationem reddendam esse. Abusus & errores Ecclesiæ Romanæ tam tetros & abominabiles esse, ut justam causam omnes, qui salvari cupiunt, habeant eos fugiendi, & quicunq; eos propterea occidunt & persequuntur, hostes esse ipsius Dei, æternæq; damnationis reos.* Sed surdo, adversariorum criminationibus planè circumvento fabulam: neque à Papistis quies ulla impetrari potuit, donec A. M. D. L XXX. Carolus Emmanuel denuo iis pacem & tranquillitatem concessit. Neque tamen ita stabilis illa fuit, quin subinde atrocior persecutio recrudesceret; anno inprimis Seculi hujus vicesimo secundo, tricesimo secundo, quinquagesimo; & cruentissimè omnium quinquagesimo quinto, quando Andreas Gastaldus, qui se *Catholicæ Religionis adversus Reformatos Conservatorem Generalem* ferebat, nomine Ducis Sabaudiæ, media hieme, cùm omnia gelu nivibusque riguissent, Reformatos Lucerna, Lucernella, S. Giovanni, La Torre, Pubbiana & Fenile, Campiglione, Bricheras & S. Secondo (hæc enim loca diu jam illi insederant) peremptorio decreto intra triduum sub pœna mortis & confiscationis bo-

Pax à Carolo Emmanuele eidem datur.

Violata variè, à Gastaldo inprimis, qui migrationem ex Pedemontio in Indixit.

bonorum omnium, nisi intra viginti dies Papistæ fierent, migrare jussit. Migrârunt cum uxoribus & liberis, decrepitis & ægrotis, mancis mutilisque, per aspera rupium nivibus & glacie candidarum, ventis pluviisque insuper sævientibus; & mox, in migrantium deserta habitacula ingressi latrones furesque grassati, cuncta diripuerunt, diruerunt, arbores frugiferas succiderunt, & in horridam vastamque solitudinem omnia redegerunt. Expulsi contra Gastaldum apud Ducem supplices questi, nequicquam restitutionem in integrum precati sunt. Fallis enim criminibus per subornatos magis magisque oppressi, & mox consilia *de propaganda fide & extirpandis hæreticis* horribilia eventu ipso patefacta sunt.

CCLXV. Quippe nono post electionem Alexandri, decimo septimo scilicet Aprilis die A. M. D. C. L V. exercitus ingens ex toto Pedemontio, junctis sex Legionibus Gallicis Hibernisque conflatus, in valles Angrogniom, Villaro, Boblio, aliaque à Reformatis habitata loca, diro impetu penetrans, flammis ferroque omnia miscuit, horribilemque lanienam, vanissimo rerum minùs civiliter gestarum prætextu, patravit, tanta crudelitate, ut Thessalonicensis illa à Theodosio patrata, si eum ea comparetur, ludus merus fuerit; quin à Diocletiani temporibus par à Christianis in Christianos commissa (si Hibernicam forte illam exceperis) nulla fuerit. Ex Samuele Morlando, qui Angliæ Legatus aderat, paucis lanienam illam sic Celeberrimus Hornius describit: *Nunquam par crudelitas à Christianis in Christianos patrata legitur. Nam, ut pauca tantum ex multis referam, capita Barbetis* (ita Reformatos in Pedemontio vocant) *præcisa, & ahenis excocta devorârunt: Fœminis dissecti incurvis silicibus ventres umbilicatenus, aliis exsecta ubera, quæ igne frixa devorârunt. Naturalibus præcisis ardentem sandalam admoverunt, ungues candentibus forcipibus evulserunt,* se-

Horribilis eruendam lanienam ex Morlando repetita.

semimortua corpora caudis bestiarum alligata ad mortem per aspera raptârunt. Leve hoc videbatur, præcipitare ab altissimis rupib⁹, ubi sæpe corpora semiviva arboribus implicata hæserunt, nullo ob inaccessa locorum auxilio, donec lenta morte, fame, vulneribus, frigore animam inter mille tormenta exhalarent. Concisi in minutas particulas, & per campos, dispersa Absyrti instar membra. Multis caro ossetenus excisa, & pulmentorum instar contusa. Puellis adactæ per naturalia collo tenus longæ & acuminatæ perticæ, quas impius miles, ut vexilla solent, humeris sublata, spectaculo circumgestabat. Johannem Pelanchion Villariensem juvenem, crure funibus alligato, totum per plateas Lucernæ asperrimis constratas silicibus circumraptârunt, &, si quando ingentibus doloribus victus manus caput q; elevare conaretur, saxis contusus fuit: tandem exsectis virilibus, & in fauces intrusis spiritum ei intercluserunt, amputatoq; capite insepultum truncum ad ripam fluminis abjecerunt. Infantes ex cunis raptos manibus dilacerârunt; puellas vivas hastis alligatas ad ignem assarunt, & excisis uberibus degustârunt. Alias manibus ad naturalia alligatis funibus suspenderunt pensiles, immani & incredibili cruciatu. Aures, nares & alia corporis abscindere, ora pyrio pulvere implere, & eo incenso capita confringere, pudenda oribus intrudere, & vivos excoriare, pellem quadripartitam fenestris Lucernæ prætendere, decollare, excerebrare, & cerebrum frixum devorare, corda pectoribus evellere, vivos comburere, concidere, suffocare aquis, faciem exscindere, id verò vulgare credebatur. Sed hoc dignum tantis Catholicis, quod Garciglianæ in furnum Nebucadnezaris instar igne flammantissimo candentem undecim VValdenses conjecerunt, adactis miseris, ut unus alterum in ignem præcipitaret, donec ipsi latrones ultimum adjicerent, &c. Jacuit per omnes illas convalles, per aspera montium rupiumq; anfractus immensa strages,

Alpinæ rubuere nives.

Plateæ oppidorum & viæ cæsorum & insepultorũ constratæ membris: hic resectum caput, illic crura, alibi sparsa exta, & semiputri-

tridis cadaveribus infecta flumina, ipseq, aër & Sol ad tantam immanitatem inhorruit, ac in authores iram Dei de Cælo pronuntiavit. Quæ verò plusquàm barbaricæ & Cyclopicæ crudelitatis adversus miseros exercitæ, intima causa fuit? Rebellio, inquient Caini & Tubalcaini illi. Qua porro in re rebellio isthæc sita fuit? Hac scilicet, (neque aliam ipsimet crudelitatis architecti proferre possunt) quòd antiquas sedes, quas jam ultra mille & centum annos coluerant, ob religionis Christianæ ex verbo Dei scripto haustæ adversus Pontificias corruptelas professionem liberam, à Gastaldo, vel Duce ipso à Romano Pontifice ejusque satellitibus seducto, deserere jussi, non promptè satis deseruerunt. Hæc rebellio illa, hæc irarum fontica causa fuit. Neve aliam quàm religionis causam actam putet quisquam, rapti sunt ad supplicia non alii, quàm qui constanter in religione avita perstiterunt. Cæteris verò, qui infirmitate carnis subacti Pontificia amplexi sacra sunt, immanis illa crudelitas pepercit. *Ejus vera causa inquiritur.*

CCLXVI. Neque tamen inulta planè manserunt infernalium Furiarum isthæc scelera. Waldenses enim, cùm se omnes internecioni destinatos, bona, vitam, ipsam denique animarum salutem extremo exitio devotam cernerent, ne pecorum instar inulti perirent promiscuè omnes, freti jure naturæ ipsius, quo defensio adversus latrones, aliosque non salutem, uti decebat, sed perniciem duntaxat spirantes, in extremæ & inevitabilis necessitatis casu innoxia censetur meritò; liberos, uxores, seque ipsos, quantum conscientia gentiumque jura sinerent, adversus præsentissimum exitium correptis armis tueri, animo in mortem usque obfirmato, statuerunt. Cumque sine Duce nil plebs audeat, lectus Dux Josua Gianavel, priscis Heroibus & populi Divini judicibus comparandus, exigua manu contra integras acies à Marchione Pianezzio ducta- *Vindicta de persecutoribus non sine præsentis Numine sumpta.*

tas, incredibili felicitate & successu, ut præsentissimam opem Divinam nemo non agnoverit, pugnavit. Habuitque magnorum molimînum socium Jahierum, cum quo ceu altero Juda Maccabeo terrorem undique hostibus clademque intulit, ulciscens innocentissimum, Divinam vindictam inclamantem sanguinem. Undecim prœliis totidem diversis locis, (quæ fuerunt Piampra, Garcigliana, San-Secondo, Briqueras, Lucerna, La Torre, Crusol, Angrognia, Osac, La Vaschere, La Torre) commissis, Reformati ut plurimum superiores victoresque nefariè occisorum propinquorum & fidei suæ consortum manibus parentârunt.

Imago quæ dam pacis.

CCLXVII. Accurrerunt primùm ex Helvetia & Anglia Legati, pacem, si fieri posset, afflictis adeò rebus, conciliaturi. Quos inter Samuel Morlandus ex Anglia Legatus, in publica audientia, Regina & Duce coram, hæc in verba libera satis, sed necessitate extorta, os resolvit: *Misericordiâ hisce pauperrimis & ejectissimis subditis impertiri dignemini rogo. Illis nimirum, qui radices Alpium & valles quasdam in ditione vestra incolentes, Protestantium religioni sua nomina dederunt. Audivit enim (quod nemo Celsitudinis vestræ Regalis voluntate factum esse dixerit) Olivarius Protector, miserrimos illos partim à vestris copiis crudeliter esse occisos, partim vi expulsos, domoq; patria exturbatos, ac egq; sine lare, sine tecto, inopes, omniq; ope destitutos, per asperrima loca atque inhospita, montesq; nivibus coopertos, cum suis conjugibus ac liberis vagari. Quid enim per hosce dies, quod genus crudelitatis inausum illis militibus, aut præteritum fuit? Fumantia passim tecta, & laceri artus, & cruenta humus! Virgines post stupra differto lapillis ac ruderibus utero, miserè efflârunt animas. Centenarii nonnulli senes effœta ætate ac morbo clinici, in lectulis combusti! Infantum alii saxis allisi, alii jugulati, quorum cerebrum ab interfectoribus, immanitate plusquam Cyclopica coctum ac devoratum! Quid plura? quanquam*

vel

vel plurima hujusmodi commemorare posſem, niſi horreret planè animus. Si reviviſcant omnes omnium temporum Nerones (quod ſine ulla Celſitudinis veſtræ offenſione dictum velim, quemadmodũ & nulla ejus culpa quicquam factum eſſe credim⁹) puderet profectò eos; ut qui nihil non mite ac humanum (adhæc facinora ſi ſpectas) excogitâſſe ſe reperirent. Interim exhorreſcunt Angeli! mortales obſtupeſcunt! Ipſum Cœlum morientium clamoribus attonitum eſſe videtur, ipſaq; terra, diffuſo tot hominum innocuorum cruore erubeſcere! Noli, ſumme Deus, noli vindictam ſumere tantis ſceleribus & parricidiis debitam! Tuus, Chriſte, ſanguis eluat hunc ſanguinem! Quos aculeos oratio acris in animis Matris & Filii Ducis reliquerit, incertum. Una ſemper perpetuaque crudelitatis tantæ excuſatio erat: *Paternam tantùm & lenem caſtigationem de immorigeris & rebellibus ſubditis ſumptam fuiſſe.* Si paterna fuit caſtigatio iſthæc, cujusmodi hoſtilis caſtigationis formam animo patres mitesque illi conceperunt? Miſſi tandem ex Anglia, Belgio, Helvetia ſolenniter Legati, quibus ſe Regis Galliarum nomine Legatus Servien conjunxit, imaginem pacis, in qua inter alia ſancitum eſt, ut emiſſarii furiæ facesque turbarum illarum, Pedemontium purgent, procurârunt, in qua promiſſa licet multa ſint, exitu tamen ipſo præſtita perpauca ſunt. Quin paulò poſt novæ iterum perſecutiones emerſerunt, quando novo Gubernatore Bagnote exercitium Religionis contra Pacis nuperæ tenorem hinc inde ſublatum, Miniſtri nonnulli aliique proſcripti, & denuo immiſſo exercitu innocentes oppreſſi, ædes dirutæ, ditiones miſerè vaſtatæ, denuoque afflictiſſimorum patientia mirè fatigata eſt, donec ſuſcepta iterum defenſione innocua, & exoticorum intercеſſione urgente, menſe Aprili A. M. D. C. L X I I I. amneſtia poſtliminio ſancita, & qualiscunque pax impetrata eſt. Quæ tamen non ita pridem rurſus infringi cœpta eſt, cùm Convallenſes ab infenſiſſimo ſibi clero fictis crimini-

ab Anglia, Gallia, Belgii, Helvetiæ Legatis ſic concilata, ſicuti mox iterumque violatur.

bus onerati, gravem offensam Regnatricis incurrerunt; & Ministris propriis destituti, aliunde, quod pacta indulserant, eos accersere prohibiti sunt. Ita strenui illi confessores Jesu Christi & veri Callinici, perpetuum quasi miseriæ theatrum præbentes licet, lucernulæ tamen seu phari in altissimis montibus, quam Deus per tot Secula, in ipso cœcitatis Romanæ Pantheo, ringente tenebrarum Principe, accensam conservavit; instar lucere nondum desierunt; utque nunquam deficiente oleo gratiæ & fidei, luceant ad illustrem usque adventum Christi & bonis operibus suis Patrem cœlestem glorificent, malevolosque ei lucrentur; in votis unicè boni omnes habent.

Alexandri Bulla, qua Pacis Catholicorum Principum sarciendæ pretextu, eosdem adversus Protestantes, Sueciæ cumprimis Regem accendere conatur, una cum glossa quadam Ordinaria repræsentatur.

CCLXVIII. Non contentus autem ejusmodi Papatus sui primordiis Alexander, eodem anno, Suecos inter & Polonos ardente bello, novas, ceu alter Cœcias, nubes conflare annixus est. Etenim Bulla seu circularibus literis die XX. Sept. M.D.C.LV. pacis inter Catholicos Principes procurandæ prætextu, sed revera uniendorum eorum adversus Evangelicos, Ecclesiam Dei, insatiabili studio, ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, clerumque universum scriptis missisque, irarum odiorumque adversus Protestantes semina jacere denuo constituit. Bullam illam Babylonii fastus, hypocriseos, crudelitatis adversus Evangelicos, & blasphemiarum adversus Deum plenam, cùm in manibus omnium non sit, repræsentare totam, nec sine Glossæ ordinariæ, quo haud indigna forte est, auctario quopiam à nonnemine fusius paulò, heic verò contractiùs admetiendo, lubet. Ita autem Bulla tumet: *Alexander Papa Septimus. Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Salutem & Apostolicam Benedictionem.* (An qualem S. Petrus, an qualem Judas ipse quoque Apostolus, habens, sicut Alexander, marsupium plenum denariis?) *E Summo Apostolatus fastigio, Orbem universum, nostras VIDELICET curas, cir-*

circumſpicientibus nobis, miſera ſanè luctuq́ plena ſe offert Reip. Chriſtianæ facies. (Novus ſcilicet ille orbis terrarum Phaeton, æmulum hic ſe Alexandri Magni geſſit. Sicut enim illi à Philippo, cùm in Bucephali ſui faſtigio orbem univerſum ſolicitè circumſpiceret, dictum boni ominis ergò fuit: *Fili, Macedonia te non capit*: ſi Alexander hic, non jam Pontifex, ſed haruſpex, in Bucephalo ſuo, ſive Monte Cavallo, infulis & lituo inſignis, non jam angulum, vel partem quampiam orbis, ſed *orbem univerſum*, *ſuas* VIDELICET *curas*, adeoque Cœlum, montes, terras, maria circumſpexit. Sed forte ophthalmia laborabat; in Septentrione nives & nebulæ aciem oculorum ejus præſtringebant; verſus Orientem & Auſtrum fulgor Solis, & æſtus, & arenarum maria eum excœcabant; & in Italia luminibus ejus Waldenſes, non in Pedemontio duntaxat, verùm etiam Venetiis & in Calabria, atque ipſa urbe Roma, officiebant, licet ab ophthalmia hac ſe liberaturus, collyrio Chriſtiani ſanguinis ſubinde oculos ſuos inunxerit. Ita circumſpicienti orbem univerſum, ſuas *videlicet* curas, ſe obtulit *miſera luctuq́ plena Reip. Chriſtianæ facies*, in Hibernia ſcilicet & Pedemontio, ubi verè contemplari potuit, quæ ejus

Religio peperit ſceleroſa atque impia facta)

Sortem enim Domini, atque ipſius hæreditatem, veris ejectis filiis alieni ſibi diripiunt. (Sueciam ſcilicet & Poloniam, ſortem & hæreditatem Domini Papæ, qui pridem ex hominum, Regnorum piſcator factus eſt, partim jam SIBI, Papa in ſocietatem ſaltem prædæ non vocato, (hoc nefas!) diripuit, partim direpturus erat Carolus Guſtavus, Alienus ille.) *Gentes quas pro Pontificia* (crocodolina, quæ devorat, quos amat) *charitate, in noſtrum, hoc eſt, veræ fidei ſinum* (nam ſinus Papæ qualiscunque ille vera fides eſt) *traducere*, (per ignem Molocho ſacratas) *arctiſſimeq́ com-*

plecti voluissemus (perinde ut nuper in Pedemontio complectebatur *Sinuosus* ille, simia amplexu necans simios) *hunc ipsum sinum dilaniare conantur*; *& ruptis maris atque ultimis terrarum claustris in Christi Gregem* (neque tamen Alexander Christus fuit) *effunduntur. Male denique concordes Catholici Principes* (Hispanus & Gallus, uterque jam, secus quàm Alexander VI. Ferdinando Aragonio *Catholici* titulum donans, definivit, Catholicus) *in se ipsos feruntur, &, quæ olim extrema minatus est Deus inimicis nostris, atque iis, qui insurgunt adversus nos* (at Deus, Alexander, suis inimicis, non igitur tuis ita minatus est,) *se ipsos depascuntur, &* (ceu Anthropophagi, & velut in Tragœdia Cyclopes, aut Thyestes) *proprio sanguine, quasi musto inebriantur,* (belli scilicet Alexandri filii, Canibales, quibus liberaliter pro Pontificia charitate, ex thesauro Ecclesiæ, novus Eli, indulsit) *Hæc eadem cùm pridem tacitè nobiscum doleremus* (Monasterii nempe, ubi dolens sanguinis & humanarum carnium velut interstitium quoddam solenni juramento pangi, protestatus est contra Principes, eò quòd se invicem depasci, & proprio sanguine velut musto inebriari desinerent) *visum est et, qui facit magna & incomprehensibilia, quorum non est numerus,* (nota tamen sunt mysteria, notæ artes, Deo non probante, nedum authore, quibus in conclavi per factionum certamen ad summum illud, Apostolatus videlicet, fastigium surrexit) *invitos trepidantesque* (invitantes, non invitos scribere debuit; trepidantes tamen metu, ne alius in Campo Martio candidatus offam præriperet, corvúmque hiantem deluderet) *vocare nos ad Ecclesiæ gubernacula* (Romæ, patrimonii Petri, Comitatus Avinionensis, aliæ enim Nationes pleræque gubernacula illa abnuunt, etsi quæ admittunt, propter rationes status non nihil indulgent) *atque inclinare in nos onus immensum, humerisq; quamvis firmissimis formidandum;* (quin igitur clitellas deposuisti,

exem-

exemplo Cœleſtini, Felicis Amedei?) *Teſtes autem mœroris noſtri ſunt publicæ ſupplicationes, quas ubi primùm ſummo Pontificatui admoti ſumus, univerſis indiximus*; (gratias acturis non Deo, ſed lanionibus illis, qui Convallenſes eodem tempore jugulârunt. Roma etiam feſtis ignibus collucente, cùm Pedemontana jugulatio nuntiaretur,) *teſtes literæ, quas ad chariſſimos filios, non ſolùm Ferdinandum, Hungariæ & Boemiæ Regem Illuſtrem,* (non hic Imperatori debitus titulus eſt; quàm fremeres, Alexander, ſi Te *Beatiſſimi*, *Sanctiſſimi*, titulo, etſi nullo jure Tibi debito, vicißim Imperator defraudaret?) *ac in Romanorum Imperatorem electum* (electum cùm dicis, approbatum vel coronatum tacitè negas, Hildebrandine, Tibi, Servo Servorum, jus approbandi & coronandi Dominum tot in terris Dominorum, nefariè vendicans. Petrus ſcilicet, paulò antequam crucì affigeretur, ut jus hoc Apoſtolicum ad Te transmitteret, Neronem in crypta ſubterranea coronavit! *Verum etiam ad utrumque Regem* (titulo *Sereniſſimi*, *Potentiſſimi*, vel quocunque alio, & nominibus ſuis indignum utrumque, ſive quia Papæ hactenus conjunctionem virium adverſus Proteſtantium fortunas & vitam ſuadenti dicto audientes ſegniter fuerunt, ſive quia ambiguus hæſit utrum præponeret; metuens ſcilicet, ne poſtpoſitus ei in barbam capillosque involaret) *dedimus*; *& quas iterum, cum importuniſſimum Adverſarium* (non Dei, ſed Alexandri, at quis ille? Carolus Guſtavus, Sueciæ Rex, propter quem Tyria maria Alexander commovit, veritus, ne Polonis acie ſuperior, libertatem Proteſtantibus in eo Regno acquireret, & Papæ in eodem nundinationibus nonnihil intercederet, quæ enim importunitas eſt, ſi hæc non eſt?) *per inclyta Reip. damna, toti Europæ funera ac vaſtitatem inferre meditantem viderimus* (Tu verò Serpens Epidaurie, lyncea acie Tua Caroli Guſtavi meditamenta, præfractè adeò rem aſſeverans videre

re potuisti? At Paparum hæc meditamenta sunt, qui per Jesuitas, Franciscanos, ceu Junitzaros suos, Christianos à tot retrò annis, hanc solam ob causam, quòd credere non potuerunt, eos in summo Apostolatus fastigio constitutos, jus habere universum orbem, suas *videlicet* curas circumspiciendi; immaniter non per capita modò, verùm stirpes, nationes ac populos, occiderunt, decollârunt, suspenderunt, submerserunt, combusserunt, torruerunt, coxerunt, jugulârunt, devorârunt, defoderunt, discerpserunt, quadripartiti sunt, nega Alexander, si fecisti! si ante te fecerunt alii!) *magno cum animi dolore scripsimus, ut eos à mutuis discordiis in nefarium hostem converteremus* (scilicet, Alexandro pronubo, & monitore vel ad Sanctos Sanctasque suas supplice, inveteratas iras simultatesque promptè deponent illi, an Petri claves confractæ, Pauli gladius rubigine obductus fuit, quòd discordes Cyclopicos Reges ad concordiam fulminibus, & traditione Sathanæ, Alexander, degener Hildebrandi, Malifacii, Julii, Pii, Sixti, Pauli successor, redigere non es ausus?) *& quas nunc mittimus, eos admonentes, ut dum hiemis interventu tantisper bellorum impetus resederit, ad pacem constituendam omni conatu atque opera incumbant*; (tantarum scilicet virium admonitionem tuam fore sperâsti, ut pax una nocte, fungi instar, nata, in atrocia statim adversus Protestantem sanguinem bella coalescat; fefellit, falletque te, Ausonie Præsul, augurium!) *testes super hæc omnia, unam dies noctesq; observari animo solicitudinem, quoniam ad tanta, ac tam acerba mala sedanda, nulla nisi in communi concordia reliqua spes est, hanc omnium cordibus ac voluntatibus inserendi,* (mactare in Hibernia, Pedemontio, comedere; at diurna nocturnaque solicitudine tua cordibus & voluntatibus, licet in conscientias dominatum exercens, concordiam inserere non potuisti) *verum quia non hoc humanæ vires, aut terrena consilia moliri*

liri possunt; (homo igitur, Alexander, terrestris fuisti, quem nec hominem, nec Deum, sed medium inter utrumque, Vice-Deum, spiritualem, omnia judicantem, judicandum à nemine illi, qui in sinu Fidei tuæ dormivere, crediderunt?) *sed illius donum esse debet, super quem est disciplina pacis nostræ* (cur Dei nomen omittis, quod bis duntaxat in Bulla occurrit? an quia magnificè quàm clarè loqui potius habuisti? Si concordia Dei donum est, quidni etiam vires humanas plus quàm concordia superans, Fides? Si fides Dei donum est, cur post pro Pelagianis adversus Jansenitas, Augustinianos pronuntiâsti? Cur hæreticos comburis, qui credere non possunt, Te in summo Apostolatus fastigio constitutum?) *qui aufert spiritum Principum; atque increpat mare & obmutescit. Quantum in Vobis est, Venerabiles Fratres*, (Te ne in terris venerari quenquam, efferentem Te super ea, quæ in Cœlis sunt?) *ac dilecti filii, non modò opera, studio, consilio, officiis, authoritate vestra contendite* (quasi scilicet talibus Romanus Jupiter indigeret, qui unus omnia potest polletque) *verùm etiam in oratione, in lachrymis, in jejuniis atque eleemosynis scindite corda vestra, arripite thuribulum, hoc est, preces Sanctorum, & medii inter ignem & arsurum populum consistite:* (at non tam promptè Venerabiles Fratres & filii, aliis longè curis distracti districtique, hæc omnia facere potuerunt, quàm promptè, uno scilicet spiritu, hæc effari & efflare Alexander potuit! Si hæretici Tuis, Alexander, Fratribus & filiis Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, Monasteria, Collegia, indulgentias, purgatorium, Missas, Thaides, Lucretias, Olympias, verbo, ficum, vitem, oleum, fruges, aurum, argentum: si Tibi summum Apostolatus fastigium, Pontificiam charitatem, universum orbem, tuas videlicet curas, relinquerent; nec illis, nec tibi orandi, lachrymandi, jejunandi, eleemosynas dandi, corda scin-

dendi, preces Sanctorum & Sanctarum implorandi, vel animus, vel otium esset unquam; neque nos de cætero credentes quidvis, toto die occideretis, & velut oves mactationis, exitio devoveritis! Mirum insuper est, non imperâsse potiùs Alexandrum Fratribus & Filiis, ut lumbos suos cingant gladio, & hæreticos trucident, cùm hactenus suetum iis fuerit, non *orando*, sed pugnando; non *lachrymis*, sed ensibus; non *jejuniis*, sed cœdibus; non *eleemosynis*, sed incendiis; non *cordium scissione*, sed ventrium dissectione; non *clamoribus*, sed jugulationibus; non *calice*, sed secespita homines in sinum Papæ traducere.) *Vos, qui statuti estis custodes super muros Jerusalem, noctu atque interdiu clamate*, (ita enim etiam Baalis flamines clamârunt voce magna) *atque estote cœlestis iræ, ac Divinæ ultionis placamina. Exinanite calicem furoris & ruinæ, calicem, quo potati sumus, doloris & tribulationis meracissimæ,*) nondum ita potati, quin immineat adhuc tempus illud, quo Babylon magna veniet in memoriam ante Deum, ut det illi calicem vini indignationis iræ suæ.) *Nobis quippe, quibus non priùs tutò creditas oves suas putavit Christus* (imò parùm tutò creditæ fuissent oves Alexandris, suetis non pascere, sed jugulare, cutim deglubere, carnes devorare, ossa dispergere) *nisi postquam iterum ac tertiò de amoris magnitudine admoniti fuimus in Petro* (parùm memores admonitionis. Si enim Christum Alexandri amarent, ejus membra non occiderent) *quibus solis sanctuarium ingredi, & ante altare preces Deo repræsentare concessum est*, (Vobis, Alexander, solis? Non igitur Christus, verus Pontifex noster, Sanctuarium ingredi potuit. Et si Vobis solis, cur ergo Fratres & Filios vestros ad orationes & thuribulum, hoc est, preces Sanctorum adhortamini? Blasphemi estis, Alexander, & Christo vero Pontifici, qui unus semel intravit Sanctuarium, honorem sacrilegè rapturi estis!) *sedulò elaborandum, ne iratscatur Dominus, & dicat;*

qua-

quæsivi virum, qui interponeret materiam, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni, & effudi super eos indignationem. (Hic ne Vir Alexander, Vir sanguinum? Scilicet oppositus contra Deum stetit, non ut Mediator, sed ut hostis; non ut placaret iratum, sed ut accenderet provocaretque iram, plenis phialis quandoque in ipsum, eosque, qui signaturam ejus habent, effundendam, quando destruet eos Deus, qui terram destruxerunt.) *Hoc enim habet Divina ultio, ut tum maximè Altissimus sit exorabilis, & ad lenitatem, clementiamque, hoc est, ad ingenium suum redeat,* (ô te, Alexander, hæreticum insignem! Itáne Deus puniens damnatos, puniens fideles in Christo, judicium & justitiam exercens, ab ingenio suo deflexit? An magis ipsi lenitas, clementia erga morigeros, quàm justitia erga refractarios, naturalis est? Id si verum est, cur unigenito filio suo non pepercit Pater? Non magis Theologus es, Alexander, quàm Innocentius prædecessor tuus. Fatere modò ingenuè, sicut ingenuè & assa voce pariter fassus est ille) *cum in brachio forti, & manu valida gladium exertat, ut feriat. Sint pedes vestri pedes evangelizantium pacem* (conciliantium pacem inter hostes Dei, ad feriendos, jugulandos, excruciandos dirissimè, unitis scilicet viribus, amicos Dei; hic interior animi vestri sensus est, quem prodidit etiam P. Ribaldus Jesuita, quando ita carnificem hæreticos mactantem instituit:

Exilio portato, rogis imponito, Ponto
Mergito, forcipibus cædito, ferto feris:
Ense feri, necato fame, serraq; secato,
Compede stringe pedes, fune ligato senes:
Ossa revellito, crura refringito, rumpito membra,
Lictor, & in plures scindito particulas.
Hinc aditum ad crates reserato, notatoq; fibras,
Cerne sinisterius, dexteriusq; latus.

Hi pedes sunt Vestri, cùm pacem evangelizatis) *ut conteratur arcus & sagittæ, atque imperet Deus ventis, & faciat tranquillitatem; quam per Vos assequi* (& cur non per Vos, Alexander, solos, quibus solis concessum intrare Sanctuarium?) *vehementer optamus, Vobisq; Apostolicam benedictionem* (minùs non poteras, nunquam dicturus tamen cum S. Petro; *Aurum & argentum non habeo: Surge & ambula:*) *peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem* (quot Marias igitur, Alexander habuisti? Majorem, Minorem, Medioxumam? Nihil hæc ad B. Mariam, Matrem Christi!) *sub Annulo Piscatoris* (cur non *hamo* aureo *Piscatoris*, quo Regna & Opes, è Summo Apostolatus fastigio, per universum Orbem, Tuas videlicet curas, piscaris? Scilicet quia piscati jam pro Te alii, pridem ceperunt Romam, Latium, Æmiliam, Flamineam; Regnum Neapolitanum, Siciliam; ac præterea omnem potestatem in Spiritualibus & temporalibus, in Cœlo & in terra; quanquam nassa tua nonnihil confracta est, & dilapsi sunt scombri in Anglia, Scotia, Hibernia, Dania, Norwegia, Suecia, Germania, Gallia, Hungaria, Polonia, Belgio, ubi licet diu noctuque piscari pergas, nihil, vel parùm piscaris tamen; nisi forte pisces Tibi fuerunt homines illi, quos in Pedemontio hamo transfixos dirum miserandumque in modum discerpsisti, assasti, torruisti, devorâsti,) *die* XX. *Sept.* M. D. C. I V. *Pontificatus nostri Anno Primo.* (Zelus enim teli instar femori meo defixus, diu latere non potuit. Adeste, Fratres Filiique, cernite zelum meum, quem primo statim Pontificatus Anno profero, prolaturus in dies magis, dummodo, in Nepotum saltem meorum gratiam, multiplicabuntur Anni Pontificatus mei! Hæc meorum est, hæc vestrorum quoque sit votorum Summa!) Non puto interiorem Bullæ hujus sensum (amat quippe Apollo non Delphicus duntaxat, sed Romanus etiam, animi sui sensa in-

vol-

volvere) Gioſſam acu non tetigiſſe. Sicubi tamen à lineis illa excidit, meliora, quæ optaſſemus utique, alii divinent.

CCLXIX. Ampla nihilominus ſtatim ex Suecia ſpolia Alexander retulit. Anxius nempe metu, ne Regna & Principatus perderet, Reginam ſaltem & Principem Suecorum inclytam Chriſtinam lucratus, in ſuum, hoc eſt, veræ fidei ſinum traduxit. Illa enim M. D. C. LIV. Regnum ſimul atque religionem, pro qua Optimus Parens ad mortem uſque pugnaverat, abdicavit, ſucceſſorem nacta Carolum Guſtavum, Guſtavi Adolphi è Sorore Catharina Nepotem, Comitem Palatinum Rheni, Bavariæ, &c. illum ipſum, quem Bulla ſua truculenter adeò Alexander impetiit. Profecta ex Regno Chriſtina, aliaque omnia ſimulans, per Daniam Hamburgum, atque inde Bruxellas conceſſit, ibidemque die XXIV. Decembris anni dicti Pontificiam Religionem amplexa, ad autumnum uſque anni ſequentis M. D. C. LV. hæſit. Alexandro verò Papatum adepto, Romam proficiſci ſtatuit. Bruxellis proin deſertis Oenipontem ad Ferdinandum Archiducem migravit. Eò miſſus ab Alexandro Lucas Holſtenius, Hamburgenſis, Protonotarius Apoſtolicus, & Vaticani Bibliothecarius, Pontificium Reginæ Breve obtulit, quo accepto die III. Nov. ibidem in principe Templo Pontificiam religionem ſolenniter profeſſa eſt. Inde per Tridentum in Italiam promoto itinere, paſſim magnificè, inſtitutis in ejus gratiam celebribus ludis, (cujusmodi Peſari fuit ludus Herculis, à Legato Pontificio, Cardinale Aloyſio Homodei ei repræſentatus) excepta, Lauretum die VIII. Dec. venit, ubi in Domo B. Virginis duas horas agens, privatim peccata confeſſa, Mariæ imagini Coronam auream, liliatis floribus, pretioſis unionibus interſtinctis, exornatam; nec non ſceptrum aureum, cujus manubrium & lilium tre-

Ex Suecia prædam Alexander reportat, Chriſtinam Reginam, cujus ad Papatum transeuntis hiſtoria narratur.

centis sexaginta octo pretiosissimis adamantibus, & centum ac sexaginta rubinis ejusdem magnitudinis consitum fuit, Regia scilicet Reginæ Cœli munera obtulit. Cumque Regia illa munera sua in thesaurum illata B. Virginis, sequenti carmine,

Hanc tibi sacravit spretam Regina Coronam,
In Cœlo tribuas ut meliore frui;

inscripta vidisset, insulsum Poëtam salsè risit, & à se *spretam* coronam Mariæ Virgini donatam negavit. Demum die XXIII. Decembris magnificentissimâ pompâ adducta Romam intravit, & in S. Petri Templo peractis sacris, ad Palatium Pontificis perrexit, ubi ter incurvata, Alexandri throno insidentis pedes osculata, & post ab eodem Alexandro amplexu salutata, simul gaudium suum, quòd in gremium Ecclesiæ Romanæ recepta esset, declaravit, simul pro honore sibi habito gratias egit. Respondit Papa: *Conversionem Reginæ tantum opus esse, ut propter eam grandius in Cœlo festum eo die agitetur, quàm ipsa in terra agitari videat.* Postero die Papa Sacramentum confirmationis eidem impertitus, nomen ei *Christinæ Mariæ Alexandræ* indidit. Proximo Solis Regali Pontificis convivio excepta est, in quo Pontifex mensæ sublimiori sub medio Cœlo seu Baldachino suo; Regina humiliori, sub parte extrema Cœli (neque tota tamen Cœlo Pontificio tecta) accubuerunt, orationem habente Jesuita Oliva, quam liberè Regina, neque sine pudore Olivæ perstrinxit. Fertur Alexander admodum Christinæ *in Literas & Literatos amorem* laudâsse. Hoc forte amore stimulata Romam ad Regem Regum, Regibusque æquiparatos Literatos venit, stabilemque eam sibi Literatorum scilicet sedem optavit. An *amorem sincerum seriumq; Religionis Pontificiæ* laudare meritò Alexander potuerit, alii dijudicent. Admodum enim difficile, vel impossibile etiam ei fuit, tot intricatos *sinus sui* arti-

cu-

culos de Apostolatu & Hildebrandina potentia ejus, Transsubstantiatione, Purgatorio, Indulgentiis, Reliquiis, Justificatione Papæ & Cardinalium per merita operum, aliaque ejusmodi, Sapientissimæ, & πρόσπω καὶ ὀπίσπω oculatæ Reginæ persuadere. Vel enim talia nunquam, vel difficulter admodum credidit, credétve unquam.

CCLXX. Quàm pleni bonæ spei per initia Papatus Alexandri omnes fuerint, fore scilicet, ut temperet sibi ab Ecclesiæ bonis in Nepotes & consanguineos profundendis, supra assentatorum ejus non nemo prodidit. Faculam quinetiam bonæ spei nonnullam accendit ipse Alexander, quando electus Papa consanguineis, ne Romam venirent injussu suo, seriò interdixit. Fertur etiam juramento apud Crucifixi imaginem depositò se obligâsse, quòd nunquam Nepotes suos Romæ excepturus sit. Jamque Cardinalis Pallavicinus in ejus laudes effusissimus, Historiæ Concilii Tridentini Galeatum Prologum præfixerat, quo Alexandri ceu Angeli ἀπροσωπολήπτου heroicum isthoc neglecti Nepotismi facinus tertium usque in Cœlum tulit; quem tamen, cùm res alium longè eventum sortita esset, non sine pudore & impensarum jactura (plurima enim folia, jam impressa, laudes has fictitias ebuccinantia, supprimi debuerunt) ceu abortivum fœtum, tollere, & cum nescio quo Epilogo Operis, (qui ipse tamen post mortem Alexandri, saltem in Latina editione Baptistæ Giattini omissus etiam fuit) commutare necesse habuit. Non diu enim Romanorum credulitati Alexander illusit; quinimò vix exacto Pontificatus anno Nepotibus suis paternæ charitatis sinum amplissimè pandit; similis naufrago, qui merces suas jactare se simulans, funi easdem alligavit, & manu funem trahendo servavit: Sic omnino Alexander, visus Nepotes & charitates suas Roma arcere, & â reti suo piscatorio procul amandare, non tantùm clanculum pri-

Ejusdem Alex. Nepotismus.

primò continuis eos muneribus mactavit ; ſed paulatim etiam ad honores fortunasque ſummas provexit. Obſtiterat quidem juramentum ſolenne. Cæterùm Confeſſorius ejus Cardinalis idem Pallavicinus, ex eo Sodalium ordine, qui novo linguarum dono præditi callidis interpretationibus juramentorum religionem laxare didicerunt, ſcrupulum ingeniosè, ſed parùm piè, ei exemit. Cùm enim interrogatus ab eo Alexander, ob præſtitum juramentum anxius nonnihil, de conceptis, quibus juravit, verbis, reſpondiſſet, jurâſſe ſe, *quòd Nepotes & proximos ſuos Romæ excipere nunquam velit* ; author ei fuit, ut non Romæ, ſed tendentes Romam in media via exciperet. Ita Sena venientes bonis avibus proximos Nepotulosque ſuos in media via lætus ovansque excepit, & ex Pontificiæ poteſtatis ſuæ plenitudine *Fratri* quidem *Mario* in adminiſtratione ſummæ rerum, & pecuniarum exquiſitiſſimo aucupio non minùs quàm vel Urbanus VIII. Barbarinis ſuis, vel Olympiæ Innocentius indulſit: *Nepotes* vero *quinque*, unum ex Mario Fratre Flavium, duos ex fratre ante Papatum defuncto, Auguſtinum & Sigiſmundum, & duos ex Sorore, quæ Senæ in matrimonio Nobilis Bichi vixerat, ita unctos delibutosque, & dignitatibus fortunisque ampliſſimis auctos reddidit, ut ſimilis Nepotiſmi in Pontificia Sede exemplum perfectius hactenus nullum extiterit. Et *Flavium* quidem, hominem perditiſſimum Cardinalem Patronum ; *Sigiſmundum* ſeptendecim annos natum primo Abbatem, ac poſt etiam Cardinalem creavit : *Auguſtinum*, futurum Chiſianæ familiæ columen, cui Principis Borgeſii Neptim opulentiſſimam Conjugem, dote centum millium ducatorum & viginti inſuper millibus duplionum loco margaritarum expenſis, denique ſexaginta millibus duplionum in manus ipſius Sponſi reſignatis, impetravit, tantùm non Regalibus opibus ex theſauris Eccleſiæ libe-

Pallavicini conſilio adjutus deſcribitur.

ra-

raliſſimè depromptis, mactavit: denique ex Sorore Nepotes alterum Cardinalem Oſimum creavit, alterum Equitem Melitienſem, & navium Pontificiarum Generalem conſtituit. Præterea nec uxori Marii, D. Berenicæ, ejúſque filiabus defuit, quibus ſingulis eleemoſynæ titulo ex Petri patrimonio tria millia duplionum contulit. Tacco conſanguineos remotiores, ad quos non minùs hoſce Pactoli fluvios derivandos, munificentiſſimus ex alieno, cóque ſacro peculio ſeu Pater, ſeu Quirinalis prædo, putavit. Et hic tamen rapaciſſimus depeculator patrimonii S. Petri, & theſaurorum Eccleſiæ is ipſe eſt, qui paulò ante Monaſterii ſeverè adeò contra Pacem Monaſterienſem proteſtatus eſt, præcipuam ob cauſam, quòd in ea abalienationem bonorum Eccleſiæ indulgeri putaret. Quam ipſam indulgentiam neceſſitate extortam partes paciſcentes cauſſati ſunt: cùm Alexander nulla neceſſitate, ſed avaritiæ ſolius acri ſtimulo, contra juramenti etiam religionem, & cum offenſione ſumma omnium Eccleſiæ bona dilapidârit.

CCLXXI. Sic ad ſummum haud dubiè gradum provectus ab Alexandro Nepotiſmus, ad animum mihi, ad apicem hunc Simoniæ Pontificiæ obſtupeſcenti, revocavit veterem querelam Alvari Pelagii Johannis XXII. Pœnitentiarii, quam *de planctu Eccleſiæ lib.* II. *art.* 15. conſignatam, cùm Nepotiſmi hujus κρυπτὰ ϑ αἰσχύνης, *Arcana verè pudenda* in aprico collocet, heic totidem verbis repræſentari, è re maximè fuerit. *Romani multi Pontifices noſtri hypocritalis temporis*, inquit, *& jam multa luſtra tranſiverunt, licet Dei veri vicarii, Jeſu Chriſti pauperis crucifixi, & ſucceſſores Petri pauperis piſcatoris, manu & arte victum quærentis reti & naviculæ; prædivites Nepotulos & alios conſanguineos clericos nedum ad altas prælationes promovent ditiſſimas & altiſſimas: ſed etiam ad ſtatum Cardinalatus inſcios totaliter & indignos: & com-*

De Pontificum Nepotiſmo querela Alvari Pelagii, ejuſdem arcana detegentis.

mittunt eis judicare & regere totum mundum, qui regere nesciunt semetipsos. Magistri fiunt, qui discipuli non fuerunt. Qui pendebant modò ad matrum ubera, sedent ad Dei Vicarii latera. Consanguineis autem Secularibus procurant aut emunt, nedum campos, terras & vineas, & simplicem militiam, sed etiam baronias & Comitatus, Marchionatus, & alios omnes mundi potentatus. Et tales Papæ consanguinei, qui ante ejus Papatum soli vagabantur per mundum peditando, nunc stipati militum agminibus incedunt. Qui ante cum mulieribus plebejis, aut aliis suis partibus contraxissent, post cũ Comitissis aut Marchionissis, aut Ducissis contrahunt. Qui ante forsan byrrho, aut alia veste humili, induti fuissent, post sericis auratis pallio & aliis fucatis vestibus ornati incedunt. Et qui ante habitabant in domibus patrum suorum aut mercatorum, aut agricolarum, aut artificum, vel aliàs pauperum despectorum, post habitant in domibus Regum & Imperatorum. Et qui ante Papatum sui consanguinei, nati in paupere domo & tugurio rusticano, vix milio & cibario pane rugientem ventrem saturare poterant, post similam & mella fastidiunt. Cardinales quidam & alii Prælati multi, talia à Romanis Pontificibus multis exempla videntes, sequuntur eos sic gratanter in carnalibus hujusmodi, quocunque ierint, non Christum Agnum. O quot nepotes & consanguineos Prælati præmittunt & sequuntur ad inferos, eis beneficia impetrantes & conferentes, quorum amplissima stipendia recipient non militaturi in eis, nec debitum servitium in suis beneficiis Domino impensuri. De cura animarum non curantes, sed de bursa, proventus beneficiorum luxuriosè impendentes, aut in suis pompis, possessiones sibi vel suis ementes, & Ecclesias defraudantes.

Francisci Rothomagensis.

CCLXXII. Questus de eodem Nepotismi studio jam olim etiam est Franciscus Rothomagensis, de Rebus Ecclesiæ *lib.* 1. *cap.* 9. ubi sic Pontifices nepoturientes perstringit: *Quæ carnis sunt, sapiunt, & secundùm carnem ambulant, ac ecclesiastica, ut temporalia, non meritis, sed personis committunt. Scilicet se suáque regere, ac quidvis ex negligentia age-*

re,

re, velut hæreditario jure, tanquam Heli filios, Nepotes sinunt, quod malum centum abhinc annis detestandum in modum gravissimè in Ecclesia, contra Ecclesiasticum canonem, antiquum Apostolicum repullulat. Digitum ille intendit ad Canonem Apostolicum LXXVI. qui sic sonat: Ὅτι οὐ χρὴ Ἐπίσκοπον τῷ ἀδελφῷ, ἢ τῷ υἱῷ, ἢ ἑτέρῳ συγγενεῖ χαριζόμενον εἰς τὸ ἀξίωμα τῆς ἐπισκοπῆς χειροτονεῖν, ὃν βούλεται· κληρονόμους γὰρ τῆς ἐπισκοπῆς ποιεῖται οὐ δίκαιον, τὰ τοῦ Θεοῦ χαριζόμενον παθὶ ἀνθρωπίνῳ. ἔγαρ πλὴ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν ὡσὰ κληρονόμους ὀφειλή τιθέναι· Εἰ δέ τις τοῦτο ποιήσει, ἀκυρος μενέτω ἡ χειροτονία· αὐτὸς δὲ ἐπιτιμάσθω ἀφορισμῷ. *Quòd non oportet Episcopum fratri, vel filio, vel alii cognato, gratificantem, ad Episcopatus dignitatem, quem vult, eligere. Episcopatus enim hæredem facere justum non est, ea, quæ Dei sunt, humano affectu largientem. Non enim licet ecclesiam Dei in hæredes conferre. Si quis autem hoc fecerit, irrita quidem electio maneat, ipse autem segregatione multetur.* Concilium quoque Toletanum X. sic jam olim *canone* 3. sanxit: *Quicumque Pontificum deinceps aut sanguine propinquis, aut favore personis quibuscunque sibi conjunctis, talia loca commendare tentaverit ad sunum nefandæ præsumptionis excidium, & quod jussum fuerit, revocetur in irritum, & qui ordinaverit, anathemate excommunicationi subjaceat.* Sed & Tridentinum ac Basileense Concilia eandem Nepotismi Papalis licentiam coërcentia, Julius Clemens Scotus *Not. Saxag. quot. adversus Pallavicinum pag.* 126. inducit, ubi tamen recentiores, Jesuitas inprimis, invenisse modos, quibus Beneficiarii, & multò magis Summi Pontifices, utpote Conciliorum legibus soluti, beneficia suis consanguincis elargiantur, observat.

Concilium adversus eundem Cœlestinum.

CCLXXIII. Deinceps Alexander Deificus etiam ad Apotheosin se convertens, primò quidem in gratiam Hispanorum, Thomam Villanovanum, Augustinianum Eremitam & Valentiæ quondam Archiepiscopum, ante centum annos defunctum, & à Paulo V. Beatis accensum,

Canonizatio Thomæ Villanovani, in gratiam Hispanorum.

cujus vitam & prodigiosa facta seu miracula Nicasius Baxius scripto prodidit; in album Divorum die I. Nov. A. M. D. C. LVIII. retulit: procuratore Rege Philippo IV. qui ex Regno valentiæ ad impetranda & celebranda solenniter illa sacra grandem pecuniarum summam contulit. Philippus enim & Valentii, nisi prius Sancto suo propitii fuissent, latuisset ejus Sanctitas intra privatos lares, neque illi devotissimis cultoribus suis propitio esse licuisset. Scilicet ad eam solennitatem veniri non solet, priusquam de pecuniarum ingenti summa vel magni Principis, vel communitatis cujuspiam impensis probè cautum fuerit. Laterem verò planè lavarent, qui non numerata pecunia Sanctum suum in Divorum numerum referri ambirent.

& Francisc. Salesii, in gratiam Gallorum.

CCLXXIV. Ne verò Hispanis gratificando æmulos Gallos Alexander offenderet, in eorum etiam gratiam, commendatum ab iisdem Franciscum de Sales, Episcopum Gebennensem, seu Aniciensem, in eundem Divorum chorum cooptavit. Summos ille etiam Procuratores, Regem Galliarum, Reginam matrem, Clerum universum, Reginam Angliæ viduam, & Carolum Emmanuelem Ducem nactus fuerat: quibus quo pacto resisteret Papa? Lento nihilominus canonizatio gradu processerat. Primò enim *Beatum* eum Alexander nondum Beatus declaravit, & ceu *Confessorum Pontificis* (Christi enim confessor neutiquam fuit) à quibusdam religiosè coli permisit. Eam in rem Bullam apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Dec. A. M. D. C. LXI. Cusam emisit. Urgente mox Rege Apotheosin ipsam, petiit Papa, ut Illustrem quempiam Legatum, Regis nomine negotium curaturum, Romam Rex ablegaret. Missus Dux Crequius Junio Anni M. D. C. LXII. Romæ appulit: qui mox XX. Augusti à Corsis, Prætorianis Papæ militibus, gravem con-

contumeliam passus, in Galliam re infecta rediit. Duravit eam ob causam Regem inter & Papam ardentissimum dissidium biennio integro: cujus culpam ita Salesius ille luit, ut Sanctificatio ejus interea procedere non potuerit. Demum A. M. D. C. LXIV. composito Pisæ dissidiò, denuo Rege Galliæ Apotheosin urgente, & Crequio eodem Romam remisso, desiderata obtinuit. Namque die XIX. April. A. M. D. C. LXV. non sine pompæ singularis magnificentia per auream munerum Pontifici solenniter à tribus Cardinalibus oblatorum scalam Sanctorum chorum ingressus est. Vitam & res gestas novelli hujus Deastri Carolus Augustus Salesius, Ecclesiæ Gebennensis Præpositus, Francisci ex Fratre nepos, pompose descripsit. Librum eum quisquis ἰωέρυγκα ματαιότητος & *prætumida vanitatis*, & novas veluti novi hujus Francisci cum Christo Conformitates cognoscere gestit, evolvat licet. Inter alia *Lib. X. pag.* 457. patrui hujus sui ἀναμαρτησίαν & perfectionem omnibus numeris consummatam, postquam religiosæ cujusdam fœminæ visionem, affirmantis, se *inter contemplandam Empyrei Cœli gloriam Sanctum Præsulem Salesium vidisse Divinæ Majestati intimè unitum, ostensúmque sibi ab Angelo inter Seraphinos maximæ gloriæ thronum, cum significatione, eam esse Sedem, quam Episcopo Gebennensi Divina providentia præparaverit*; narrâsset, his verbis prædicat: *Siquidem Seraphicus erat Vir ille magnus, qui nihil nisi per amorem, in amore, ex amore & ob amorem Dei agebat. Unde sæpe testatus est ejus Confessarius Michael Faber, nihil eum formidine pœnæ, vel spe salutis æternæ unquam patravisse, verùm propter simplicem & purissimum amorem Dei, ab omni mercenaria consideratione expurgatum; ac denique sic vixit, ut in suis libris docuit, & ut ex Epistolarum suarum volumine videre est, nulli vitio obnoxius, in virtutibus omnibus planè compositus; quodque magis mirere, NE MINIMAM quidem IMPERFECTIONIS ATOMUM, totam licet*

Blasphema de hujus ἀναμαρτησία & perfectione voces Caroli Augusti Salesii.

ejus vitam AB IPSA, si vis, CONCEPTIONE perscruteris, animadvertere possis, quod vix in reliquis mortalibus reperias. Adeò Cœlestibus PRÆVENTUS fuerat à Deo benedictionibus, & adeò ipse tractus à Deo currebat in odorem unguentorum ejus, & quasi lux splendens crevit usque in meridiem. Quæ Christo Salvatori, qui solus fuit κεχωρισμένος τῶν ἁμαρτωλῶν, *separatus à peccatoribus*, Patriarchis, Prophetis & Apostolis ita iniqua sunt, ut gravissimam blasphemiam spirent.

Ejusdem ergà Ecclesiam Romanam merita, & consilia adversùs Reformatos sanguinaria.

CCLXXV. Causam tamen non omnino nullam Pontifex habuit, ut Confessorem huncce suum in Pontificium Sanctulorum suorum Cœlum inferret. Adeò enim is Romanæ Sedi devotus militabat, ut hæreticos omnes ad Romani Pontificis obedientiam reducturus seducturúsque putaretur. Et plures seduxisse, ejus encomiastes commemorat, ea scilicet, uti *Lib. II. p.* 66. scribit, in conversione Caballiana (unde *Caballii Apostolus* audit) methodo usus, *ut, antequam hæreticos, Ministros maximè, disputatione aggrederetur, cacodæmones exorcismis fatigaret, submissa tamen pronuntiatione. Nam hæreticos omnes ajebat Franciscus, eos maximè, qui docent & prædicant, à Diabolo vel possessos, vel obsessos esse, atque ita primum in eos exorcismorum fulmen contorquendum esse.* Novæ Missionariorum Methodi insigne arcanum! Pulso enim cacodæmone exiguus in convertendis hæreticis labor relinquitur. Genevæ præcipuè ad caulam Pontificis reducendæ, & focis potiùs quàm aris suis ibi restituendis, Salesius incubuit, dicere, uti *lib. II. pag.* 98. 99. habetur, solitus, *hac civitate domita non dubium esse, quin Europæa hæresis vehementi deinceps concussione & debilitate laboraret: est enim sedes Sathanæ, & quæ hæresin per universum orbem dispergit.* Idque mox sex capitibus diducit, ex quibus concludit, eversa Geneva hæresin dissipatum iri. Quo verò pacto everti possit, consilia quædam fraudulenta suggerit. Quomodo etiam *lib. VIII. pag.* 370. idem remedia utilissima, qui-

quibus Helvetiorum Reformatorum, aliorumq; etiam non religio duntaxat, sed status etiam labefactari & concuti posfit, excogitavisse narratur. Si sic (his verbis ejus judicium describitur) *relinquantur Helvetii, Tigurini, Basileenses, Bernenses, aliique fœderati, idémque de Anglia & aliis regionibus, nunquam convertentur, imò verò Religionem suam statui jungentes illam cum hoc stabilient, & quemadmodum ab assuetis non fit passio, ita cum antiquitate hæresis illa ultra quidem nō proficiet, sed, quod magni est momenti, ultra etiam non deficiet, & erit in nobilissimis illis Europæ partibus Paralysis incurabilis. At verò quodnam remedium? Sic secum perpendebat Salesius. Et quidem remedia utilissima excogitavit, sed quæ minimè promulganda, Apostolicus apud Serenissimum Ducem Nuntius eorum conscius factus est. An Apostolicæ Sedi proposita fuerint, ignoratur. Caterùm Salesii manu propria scripta adhuc extant, & utinam ad ea vellet Apostolica Sedes attendere. Exhibebuntur autem, quotiescunque vel opus fuerit, vel ipsa jubebit; neque enim omnia vulgo tradenda sunt.* Pereant licèt hæc mysteria iniquitatis, quibus opponimus dulcissima illa Filii Dei, habentis clavem Davidis, quo aperiente nemo claudit, & claudente nemo aperit, ad Angelum Philadelphiensis Ecclesiæ Apoc. III. 8. *Ecce dedi coram te ostium apertum, & neme potest illud claudere.*

CCLXXVI. Alexandro Pontifice nova Jesuitarum de Pontificis Romani infallibilitate, æquali cum infallibilitate Christi, etiam extra Concilium generale, in quæstionibus non *juris* duntaxat, sed etiam *facti*, hæresis, quæ *quarta* iis singularis est, in lucem emersit, æternis tenebris dignissima. Ab illis nempe die XII. Dec. A. M. D. C. LXI. Lutetiæ Collegio Claromontano affixæ & propugnatæ sunt theses, quarum duas *Seculi X. sect.* 19. 20. conceptas διαφήδην heic repetere haud pigebit. Prior ita habet: *Hoc tandem seculo* (decimo) *schisma Photii invalescens Græcos ab ecclesiæ capite disjunxit: Christum nos ita caput agnoscimus, ut ipsius regimen,*

Jesuitarum hæresis singularis quarta de infallibilitate Papæ in quæstionibus Facti, Lutetiæ in Collegio Claromontano prodita.

men, dum in Cælos abiit, primùm Petro, deinde ſucceſſoribus commiſerit, & EANDEM, QUAM IPSE HABEBAT INFALLIBILITATEM conceſſerit, quoties ex cathedra loquerentur. Poſterior vero ex priore deducta ſic ſonat: *Datur ergo in Eccleſia Romana controverſiarum fidei judex infallibilis, ETIAM EXTRA CONCILIUM GENERALE, tum in quæſtionibus juris, tum FACTI. Unde poſt Innocentii X. & Alexandri VII. conſtitutiones fide Divina credi poteſt, librum, cui titulus eſt,* Auguſtinus Janſenii, *eſſe hæreticum, & quinque propoſitiones ex eo decerptas eſſe Janſenii, & in ſenſu Janſenii damnatas.* Neque theſes illas novitias *Catholicarum* titulo venditatas, Pariſiis duntaxat defenderunt, ſed per emiſſarios etiam ſuos easdem, ſimileſque ſpargere, & apertè hinc inde propugnare religioni non duxerunt.

A ſanioribus Galliæ Theologis eadem libello ad Epiſcopos miſſo graviter obnuntiata.

CCLXXVII. Non parùm equidem caſtiores aures portentoſæ illæ aſſertiones, occaſione certaminis, quod cum Janſenitis circa Propoſitiones ab Innocentio X. & Alexandro VII. in ſenſu etiam Janſenii damnatas, an ſcilicet illæ in Janſenii Auguſtino occurrant, & cum ſenſu Janſenii conveniant, nec ne? iis interceſſit, propalatæ offenderunt: ſtatim enim à ſanioribus Theologis earum ad univerſos Epiſcopos Galliæ obnuntiatio facta eſt, libello in orbem emiſſo, cui titulus eſt: *Nova hæreſis Jeſuitarum, defenſa publicè Pariſiis in Collegio Claromontano die* XII. Dec. M. D. C. LXI. quo his ferè verbis univerſæ Eccleſiæ exortam novam hæreſin denuntiant: *Quod igitur notum ſit univerſæ Eccleſiæ: dies eſt* XII. *Decembris Anni* M. D. C. LXI. *quæ primùm in lucem produxit monſtroſam Jeſuitarum opinionem, quam tot jam annis foverunt; dies eſt, qua illi velut aſſertionem Catholicam publicè ſtatuerunt: Papam quoties ex cathedra loquitur, eandem habere infallibilitatem, quam habuerit Jeſus Chriſtus, non ſolùm in quæſtionibus JURIS, ſed etiam FACTI, & FIDE DIVINA credi poſſe, quinque Propoſitiones eſſe Janſenii.* Aſſertionem

nem illam vocant *errorem non simplicem, nec vulgarem hæresin, sed errorum maximorum originem, & GENERALEM HÆRESIN, quæ totam religionem* evertit; eamque quatuor argumentis gravissimis confutant, inde scilicet petitis, quòd novitia illa hæresis, statuens rem non revelatam à Deo, nec Divino testimonio comprobatam, qualis est: *Num Propositiones quædam sint recentioris horum temporum authoris?* esse fidei Divinæ objectum, quia Papa dicit: pro fidei fundamento substituat authoritatem humanam, adeoque fidem evertat: ex Papa Deum, ex verbo Papæ verbum Divinum faciat: id quod non hæresin duntaxat, sed horrendam impietatem & idololatriæ speciem sapiat: quòd plurium Pontificum infelicia facta & consilia nota sint: quòd plures Pontifices in facto notoriè errârint: quòd denique periculum sit, ne Græci, aliíve hæretici Papæ primatum negantes, nova hac assertione nimiùm irritati, Ecclesiam Romanam magis magísque ita fastidituri sint, ut conversionis illorum spes omnis deinceps evanescat.

CCLXXVIII. Neque tamen sic à cœpto Jesuitæ se dimoveri patiuntur. Quin Sorbonam ipsam in partes suas pertrahere moliti etiam sunt. Nam post unius anni, & quod excurrit, intervallum, nimirum die XIX. Jan. A. M. D. C. LXIII. disputatio in magna Sorbona, propugnante M. Gabriele Drueto, Villanovano Britone, Theologiæ Baccalaureo, habenda, affixa est. Ejus secunda thesi dicebatur: *Christum S. Petrum, ejúsque successores, summa supra Ecclesiam authoritate donâsse.* Tertia: *Romanos Antistites privilegia quibusdam Ecclesiis, sicut Ecclesiæ Gallicanæ, impertiviisse.* Octava: *Concilia generalia ad extirpandas hæreses, schismata & alia incommoda tollenda admodum esse utilia, non tamen absolutè necessaria.* Hanc disputationem Suprema Curia Parisiensis, citatis & auditis Syndico Facultatis Theologicæ, M. Vin-

Eadem hæresis in Sorbonam penetrans, ibidem defendenda suscipitur.

Intercedente Suprema Curia Parisiensi.

centio Meurſio, Doctore ejuſdem Facultatis in Collegio Navarreno, Diſputationis Præſide deſtinato, nec non Drueto, Reſpondente deſignato, haberi vetuit, ſupprimendamque decrevit, ſimulque omnibus Baccalaureis, Licentiatis & Doctoribus, aliiſque univerſis interdixit, *ne quis*, ita verba decreti die XXII. Jan. ejuſdem anni facti ſonant, *ſcribere, ſuſtinere, diſputare, docere vel explicare audeat, directè vel indirectè, in publicis ſcholis, vel ullo alio loco, ſimiles Propoſitiones, aliaſque doctrinæ antiquæ eccleſiæ, Sanctis Canonibus, decretis Conciliorum Generalium, Eccleſiæ Gallicanæ Libertatibus, atque antiquis Facultatis Theologicæ Pariſienſis decretis contrarias, cum interminationæ debito modo in delinquentes animadvertendi*; Syndico Facultatis, Præſidi, Doctoribus ſimul interdicens, *ne permittant, ut ejuſmodi propoſitiones ulli diſputationi inſerantur*; denique decernens, *ut præſens ſententia in Generali Congregatione dictæ Facultatis Theologicæ legatur in præſentia duorum Senatorum dictæ Curiæ; inferaturque decretum in Acta Facultatis Theologicæ, atque inde ad alias Univerſitates mittatur.*

A qua Sorbonæ circa authoritatem Papæ declaratio flagitatur.

Paulò poſt, annitentibus Regibus Advocatis, Talæo & Bignonio, Syndicus Facultatis Theologicæ, unà cum ſeptem aliis Facultatis ejuſdem Doctoribus Senioribus, addendam circa authoritatem Papæ declarationem Facultatis, in Curia comparere juſſi; die XXX. Maji A. M. D. C. LXII. declarationem ſuam, ex actis Facultatis extractam Curiæ obtulerunt.

Summa declarationis Sorbonæ.

CCLXXIX. Sequentibus autem capitibus Sorbonæ declaratio comprehenſa fuit. I. *Facultatis doctrinam non eſſe, quòd Summus Pontifex aliquam in temporalia Regis Chriſtianiſſimi authoritatem habeat: imò obſtitiſſe Facultatem etiam iis, qui indirectam ſaltem authoritatem illam eſſe ſtatuerunt.* II. *Doctrinâ Facultatis eſſe, quòd Rex Chriſtianiſſimus nullum omnino agnoſcat nec habeat in temporalibus Superiorem præter Deum, eámque antiquam doctrinam eſſe, à qua nunquam receſſura ſit.* III. *Doctri-*

trinam Facultatis esse, quòd subditi fidem & obedientiam Regi Christianissimo ita debeant, ut ab iis nullo prætextu dispensari possint. IV. Eandem Facultatem non probare, neque unquam probâsse propositiones ullas, Christianissimi Regis authoritati, aut germanis Ecclesiæ Gallicanæ Libertatibus, & receptis in Regno Canonibus contrarias: verbi gratiâ, quòd Summus Pontifex deponere possit Episcopos adversus eosdem Canones V. Doctrinam Facultatis non esse, quòd Summus Pontifex sit supra Concilium Oecumenicum. VI. Facultatis dogma non esse, quòd Summus Pontifex, nullo accedente Ecclesiæ consensu, sit infallibilis. Quæ declaratio Sorbonæ, Curiæ jussu, actis inserta statim, & exemplaria ejus ad omnes Diœceses & Universitates publicas transmissa sunt, ut illic comprehensi articuli prælegantur, publicentur & in acta referantur. Hæc aliaque ex ipso Parlamenti Parisiensis Protocollo excerpta, & è Gallico in Latinum idioma à Thoma Stegero conversa, in vulgus emanârunt.

CCLXXX. Dissidium mox gravius Sorbonam inter ac Curiam Parisiensem, & Jesuitas, in nervum erupit; libris de eo adversam in partem conflictantibus, quorum prior authore Jacobo Vernantio A. M. D. C. LXIX. tertia vice Lovanii editus, *Defensionem Papæ, Cardinalium* &c. alter Monasterii A. M. D. C. LXXI. excusus, *Collectionem variorum Scriptorum, concernentium censuras Facultatis Theologicæ Parisiensis, de Hierarchia Ecclesiæ & Theologia Morali* complectitur, vulgatum. Occasio dissidii gemina est, à Monachis, Jesuitis maximè, eorumque asseclis & complicibus suppeditata. Prior versabatur circa controversiam, quæ Pastoribus Curatis, seu Sacerdotibus Parochialibus cum Monachis à longo jam tempore intercesserat. Monachis enim olim in Ecclesia prædicare, aut ecclesias curare integrum non fuit. Ad Episcopos, Parochos & Pastores apud ecclesiam residentes omnis ea cura pertinuit. Paulatim Episcopis & Pastoribus ministerii sui curam negligen-

Dissidium Jesuitas inter & Sorbonam ac Curiam Parisiensem novum, occasionem controversiæ Curatos inter & Monachos de munere prædicandi.

tibus, Monachi ecclesiis obrepere, & in iisdem prædicandi munus affectare cœperunt. Cumque de eo Pastorum querelæ ingeminarentur, Bonifacius VIII. condita Decretali, quæ inserta est Clementinæ *Dudum*, tit. *de sepulturis*, ut dirimeret lites *inter Prælatos & Rectores, seu Sacerdotes & Clericos Parochialium Ecclesiarum per diversas mundi provincias ex una parte, & Prædicatorum & Minorum Ordinum fratres ex altera, suscitatas super prædicationibus fidelium populis faciendis, eorum confessionibus audiendis, pœnitentiis iisdem injungendis, & tumulandis defunctorum corporibus*, duorum istorum Ordinum Monachis amplam satis dedit licentiam, & *odiosum*, uti glossa loquitur, *privilegium*, quo freti omnia illa in ecclesiis & locis eorum peragerent. Decretalem illam Benedictus XI. revocaverat. At Clemens V. successor in Concilio Viennensi innovavit, & Benedicti revocatoriam, Concilio urgente, antiquavit. Bonifacii & Clementis Decretales Johannes XXII. in Extravagante *sequentes*, tit. *de judiciis*, non solùm confirmavit, sed ad Augustinianos etiam & Carmelitas privilegium illud extendit. Tandem idem privilegium Paulus III. etiam Jesuitis indulsit. Per Concilium Tridentinum privilegium Monachis *Sess. XXIV. cap. 4. de Reformat.* ubi singuli ex populo ad parochiam suam amandantur, abrogatum, Curati pertenderant. Cumque Monachi decretum illud eluderent, ipsique quæ Pontifices Curatis caput illud allegantibus contradicerent, evenit, ut Curati nonnulli in Papæ ipsius, ceu odiosi privilegii illius & conditoris & defensoris, authoritatem insurgerent. Etenim Curatus quidam in Gallia Gersonis sermonem, Bullæ Alexandri V. oppositum, vernaculum in idioma Gallicum conversum edidit. Sed & Franciscus Bonichon, Presbyter Congregationis Oratorii Andegavensis, libro *de authoritate Episcoporum* edito, asserere visus erat, *authoritatem Curatorum esse juris Divini*,

æque

æquè ac authoritatem Papæ & Episcoporum. Quæ res adeò Papæ gnathones offendit, ut Vernantius Papæ defensionem libro A. M. D. C. LVIII. Metis edito, apertè susceperit. Cùmque in defensione illa Papæ Monarchiam supra modum extenderit, Conciliorum & Episcoporum authoritati palam detraxerit, factum est, ut Facultas Theologica Parisiensis, annitentibus Parochialibus Civitatis Pictonum, in Vernantium ejusque Propositiones, ceu Pontificiæ authoritati nimiùm velificantes, censuram publicam d. XXIV. Mart. A. M. D. C. LXIV. stringeret, eamque paulo post solenniter confirmaret.

CCLXXXI. Inter Propositiones porro Vernantii à Sorbona obelo confixas sequentes erant: *quòd Papæ unius sit, emergentia circa fidem dubia infallibilis veritatis oraculo tollere & explanare; nec continuò indictis ad hoc ipsum Conciliis,* in dedicat. ad Alex VII. *quòd Papa sit vera fidei regula,* pag. 73. *quòd Papæ aliquid ad salutem pertinens mandanti parendum sit, ita ut non inquiratur in rationem ejus, quod facit, aut ejus, quod ordinat.* pag. 68. *quòd Ecclesiæ Romanæ oracula terminent infallibiliter omnes controversias, quæ ortuntur in Ecclesia, quia Papa non potest errare in suis judiciis, quando proponit in qualitate Vicarii Jesu Christi dogma fidei; ut recipiatur generaliter à tota Ecclesia, quæ non possit falli in eo recipiendo; quia duplex sit species infallibilitatis, una activa, altera passiva, quarum illa ad Papam, quando dogma aliquod fidei in qualitate Vicarii Jesu Christi decidit; hæc verò ad Ecclesiam, quando illa recipit ejus decisiones, pertineat; utraque authoritatem habens à verbo Dei, qui non potest nos fallere.* pag. 144. *quòd Pontifex Max. utpote authoritate certò Divina pollens, nec ex fidelium multitudine amplificetur, nec ex paucitate eorum minuatur.* Dedic. ad Alex. *quòd D. N. Jesus Christus S. Petro & ejus Successoribus dederit omnem illam authoritatem, quam ipse recepit à suo Patre ad gubernandum suum gregem.* pag. 82. & 138. *quòd Papa sit depositarius thesaurorum scientiæ &*

Ubi Sorbona Vernantii de potestate Papæ propositiones varias obelo configit.

Sapientiæ Jesu Christi, & (horresco referens) *in ipso omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sint abscon diti.* pag. 82. Harum similiumque blasphemiarum potiùs, quàm assertionum meritissima condemnatio à Sorbona facta Papam & Sorbonæ, & Curiæ Parisiensi, partes Sorbonæ suscipienti, infensum denuò reddidit.

Tum novitiæ Theologiæ Moralis Jesuitarum, ceu quintæ eorundem hæreseos.

CCLXXXII. Posterior dissidii occasio ex novitiæ *Theologiæ Moralis* Jesuitarum, ceu *quintæ* singularis eorundem hæreseos non simplicis, sed ex multis compositæ, portentosis dogmatibus nata est. De qua, occasione sic se aptante, pauca heic differenda fuerint, ut quo pacto non in fidei duntaxat, sed morum etiam vitæque doctrina Ecclesia Romana in pejus quotidie præcipitaverit, liquidò appareat. Quemadmodum Ecclesia Romana pietatis sanctitatisque morum in Decalogo præscriptæ speciem mentita, ejusdem vim abnueget, & legem Divinam plumbeam regulam, nasumque cereum faciat, comparatione singulorum Decalogi præceptorum, & doctrinæ de Moribus Pontificiæ, alibi fusiùs ostensum est. Sed id magis etiam novitia illa Moralis & Casuistica Jesuitarum Theologia, à Navarro, Toleto, Emmanuele Sà, Azorio, Diana Panormitano, Lessio, Sanchez, Filliucio, Escobario, Mendoza, aliis prodita, demonstrat. Hoc unum satagunt, ut peccata populi elevare, sceleribus decumanam portam aperire, turpissima quæque quæsitis frivolis & Sophisticis prætextibus, velut fuco & cerussa quadam obducta & palliata, incautis mentibus propinare & instillare, denique scelera authoritate fidei docere queant. Adeò quidem id verum est, ut Papista quidam Hallerius, in Baunium laxum Casuistam, memorante Montaltio in Epistola Provinciali quarta, detorquere non dubitaverit verba illa Baptistæ de Christo: *Ecce qui tollit peccata mundi?* Caramuelis quoque in Epistola ad Dianam verba haud equidem

quidem cedro digna, sed carbone notanda sunt: *Ego ingenium Dianæ veneror. Ejus industria multas opiniones evasisse probabiles, quæ antè non erant, invidus sit, qui non affirmet. Si jam sunt probabiles, quæ ante non erant, jam non peccant, qui eos sequuntur, licet antea peccaverint. Ergo si ejusmodi peccata ab orbe literario Diana sustulit, meritò dicitur AGNUS DEI, QUI SUSTULIT PECCATA MUNDI. Habento Navarrus & veteres Casuistæ gloriam suam. Sunto leones, & à rigore ac severitate laudantor. Esto AGNUS tu, laudandus à benignitate.* Scilicet illi leones fuerunt, Diana & sequaces leones dicuntur meritò. Quis non lectis auditisque talibus stupescat totus!

CCLXXXIII. Lubet heic in scenam producere præcipua Theologiæ Moralis Jesuiticæ capita, quæ Jesuitis Viri docti in ipso Papatu; quibus nondum planè conclamatus pudor est, tanquam fœda ἀποσφάλματα objectârunt, & utramque in Theologia illorum Morali & Casuistica paginam facunt. Principium ejus & fundamentum est *Probabilitas*, de qua axiomata illorum tria sunt, *Probabilem* scilicet *opinionem omnem, etiam falsam & legi Divinæ contrariam à peccato coram Deo excusare: E duabus opinionibus probabilibus minùs probabilem, & minùs tutam amplecti licere: Probabilem opinionem esse, quæ certitudinem non habens, vel gravi authoritatè, qualis est animus viri docti & probi; vel non modica ratione nitatur.* Summa huc redit, opinionem unius viri docti authoritate, vel ratione modica mixam conscientiæ & actionum moralium regulam esse. Posito ejusmodi fundamento nihil excogitari potest, quod veri peccati rationem habeat. Nunquam enim deerit σοφὸν φάρμακον, vel probabilis ratio, vel authoritas viri docti & scelerum amantis, qua certissimo peccato aliquis recti color inducatur. Sternitque adeò Probabilitas hæc, illa tantopere Jesuitis damnata Helena, expeditissimam ad Atheismum

Cujus præcipua hypotheses,

Velati de probabilitate,

viam,

viam, ut meritò jam olim Ludovicus Faber, Ludovici XIII. Galliarum Regis Præceptor, totam hanc Casuistarum scientiam nihil aliud esse, quàm *artem cum Deo cavillandi*, dictitaverit. Dogma illud nefarium de Probabilitate excipit alterum *de Intentione*, seu *Methodo dirigendæ intentionis*. Quam in eo Casuistæ illi collocant, ut in suis quisque actibus licitum aliquem finem intueatur. Actus ipsos ajunt ab hominibus expeti: intentionem à Deo. Qui igitur rectam intentionem habent, eos peccare pernegant. Doctrinam eam, scelerum fœtam matrem, Montaltius Epistola Provinciali Septima ex Jesuitarum plurium scriptis promit, & detestabundus explicat. Illud porro in ea doctrina pervestissimum est, quòd Casuistæ illi intentionem eam non ad Deum & gloriam ejus, sed ad commodum, honorem & concupiscentiam hominum dirigunt: quodque officia suapte natura mala, aut nullis circumstantiis emendata, sola intentione, solo animi flexu, qui in rebus ipsis immutet nihil, bona fieri contendunt. Meritò hic cum S. Augustino *contra Mendac. cap. 7.* exclamamus: *Quod sceleratissimum facinus, quod turpissimum flagitium, quod impurissimum sacrilegium non dicatur fieri posse rectè atque justè, si semel concesserimus, in omnibus malis operibus hominum ideo non quid fiat, sed quare fiat, quærendum, ut quæcunque propter bonas causas facta reperiuntur, nec ipsa mala esse judicentur?* Tertium succedit Casuisticæ illius dogma, *Ars* nimirum *mutandi definitiones virtutum & vitiorum*. Qua arte subtili quælibet peccata purgantur facilè. Ita simonia iis non est oblatio temporalis pro spirituali simpliciter, sed *modò, si temporale tanti, vel pluris, æstimetur, quàm spirituale, & alterius cum altero pretium commutetur*. Quartum dogma est *de Cogitationibus bonis*. Negant peccare hominem in quocunque opere, si Deus gratiam bonarum cogitationum, qua de Deo cogitare, peccatum agnoscere, ei resistere, &, si libitum sit, illud evi-

methodo dirigendæ intentionis,

artem mutandi definitiones virtutum & vitiorum,

cogitationibus bonis,

evitare possit, non suppeditet. Id verò bellè Epicuræis, aliisque profligatis hominibus, à quorum mentibus semper Deus abest, patrocinatur. Quintum non minus profanum dogma est *de Attritione*: quam definiunt illi imperfectam contritionem, seu dolorem ob peccatum, ortum ex pœnarum metu, qui quamvis destitutus charitate Dei, & conjunctus cum solo Sacramento absolutionis, peccatorem justificet. Unde corollarium isthoc, faventibus Jesuitis, Sirmondo, Annato, Pinterello, Moynio, aliis, Montaltius idem deducit: *Per totam vitam sic peccata elici, adeóque contingere posse, ut salutem adipiscatur, qui nunquam Deum in tota vita dilexit.* Pauca hæc Theologiæ hujus Moralis & Casuisticæ Jesuitarum dogmata, speciminis & veluti προγεύματος loco, in medium afferre libuit. *& attritione perstringuntur.*

CCLXXXIV. Hinc igitur posterior illa, quam dixi, occasio dissidii nata est. Etenim Amadeus Guimenius, Lomarensis, personatus Jesuita, Opusculum Latino idiomate conscriptum edidit, quo probare sustinuit, Theologiam illam Moralem Jesuitarum, quæque illi de *probabilitate, intentione, mutatione definitionum, &c.* scisscunt, celeberrimorum, Ecclesiæ Doctorum authoritate neutiquam destitui, adeóque in numero *falsorum, improbabilium, scandalosorum, erroneorum* haberi non debere. Sorbona verò libri impietate commota d. III. Febr. A. M.D.C.LXV. dogma Probabilitatis nominatim, aliasque consimiles Propositiones, in Opusculo Amedei comprehensas, *tanquam falsas, temerarias, libertati ecclesiæ Gallicanæ, Facultatibus Theologiæ, & orthodoxis doctoribus contrarias*, solenniter damnavit jugulavitque. *Guimenii Opusculum eam in rem editum à Sorbona ad iudicem revocatur.*

CCLXXXV. Videri equidem Alexander ipse voluit pernicioſissima illa in Theologiam moralem inducta dogmata penitus improbare. Author enim est Vir doctissimus, Pontificiæ Communionis, Julius Clemens Scotus, *Alexander Theologiæ illi succenset;*

in Notis ſuis adverſus Pallavicini Hiſtoriam Concilii Tridentini vulgatis, *pag.* 69. eum Patribus Dominicanis in eorum Generali Capitulo A. M. D. C. LVI. Romæ celebrato, à Magiſtro Ordinis illius Johanne Baptiſta Marino referri voluiſſe, tœdere *Beatiſſimum Patrem tot novarum opinionum hoc Seculo in Theologiam Moralem inductarum, quibus diſciplina Evangelica reſolvitur, ac conſcientiis cum gravi animarum periculo illuditur, & ſe maximè velle à Theologis in Eccleſiæ hoc morbo occulto laborantis remedium opus parari ex ſeveriori & tuta Sanctiſſimi Præceptoris* (Thomæ) *doctrina, quo HÆC MORUM ET OPINIONUM LICENTIA, quæ in dies graſſatur, quaſi cauterio cohiberetur.* Attamen impietatem illam, qua *diſciplina Evangelica reſolvitur, & conſcientiis cum gravi animarum periculo illuditur*, ex Cathedra S. Petri damnare non auſus, toleravit utique, qui officii, quod ſibi arrogavit, ratione habita proſcribere ſeverè debuit; adeoque impietatis ejuſdem meritò reus peragitur. Scilicet Nepotiſmo ſuo Theologiam illam lenocinari cùm animadvertiſſet, in ſinu eam mox fovere cœpit. Monitus enim à Cardinali quopiam, ne adeò effuſus eſſet in Nepotes ſuos divitiis ac Principatibus augendos, reſpondit: *Domine mi Cardinalis, alios habemus Theologos* (Caſuiſtas Jeſuitas) *qui nobis id fas eſſe concedunt ac docent.*

at mox fovere incipit.

Sorbonam apud Regem ob geminam cenſuram idem graviter accenſa.

CCLXXXVI. De eo quicquid ſit, Alexander utraque illa & priore & poſteriore, unius anni intervallo diſparata Sorbonæ Pariſienſis cenſura mirum in modum exulceratus eſt. Nam Pace cum Rege Galliæ ob violatum à Corſis Legatum offenſo, & armis jam inſiſtente, ac extrema quæque interminante, interventu Principis Florentini A. M. D. C. LXIV. hac ſcilicet præcipua lege, *ut Corſis ejectis Cardinalis Chiſius Lutetiam Pariſiorum deprecatum veniret, ſancita*, Brevi ad Regem Chriſtianiſſimum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die VI. Aprilis A. M. D. C. LXV. dato,

dato, & per Nuntium ad eundem ablegatum, omni ſtudio obnixéque petiit, *uti authoritate Regia præſto eſſe vellet, quò Sorbonæ illa condemnatio utraque* (qua ſcilicet & Vernantii Propoſitiones de infallibilitate Papæ, & Guimenii librum, ac cum eo tetra illa Theologiæ Moralis dogmata confixerat) *revocaretur.* Subjungit Apoſtolicum Breve: *Quod profectò ſperamus de ſingulari pietate tua, quæ Propoſitiones Apoſtolicæ Sedi tam adverſas & injurioſas in Regno & Academia tua tolerare non poterit.* Hic nempe intimus & quæſitiſſimus dolor animum Pontificis uſſit, quòd per Cenſuras Sorbonæ denuo prætenſam infallibilitatem ſuam tentari evertique, & intra unius anni ſpatium duos libros ob aſſertam Papæ Monarchiam ad rigidam cenſuram vocari cerneret.

CCLXXXVII. Cæterùm dolor Papæ, Eccleſiæ Pontificiæ capitis, conſentientem membrorum συμπάθειαν heic non invenit. Neque enim Rex Chriſtianiſſimus, gnarus utique, quantum ex Majeſtate peteretur, ſi Papæ authoritas infallibilis declarata foret, gratificandum Pontificiis deſideriis cenſuit. Providit quippe, ſi infallibilis Papa pronuntietur, futurum, ut, ceu infallibilis Judex, Reges pro lubitu excommunicare, regnis & vita ſpoliare, regna auferre, donare aliis, denique abſolutum Monarcham totius Orbis Romano-Catholici inprimis, & in ſacris & in Civilibus ſe iterum gerere, ita ut in Monarchia hac impleatur illud: *Dixit, & factum eſt; Dominabitur à mari ad mare, & Regni ejus finis non erit*; animum inducat: quamdiu verò fallibilis haberetur, poteſtatem ejus tanquam fræno conſtrictam intra modeſtiæ cancellos coerceri, decreta ejus tanquam erronea rejici, fulmen excommunicationis contra Reges (Henricum III. & IV.) tanquam brutum ſperni, ipſumque Papam Concilio in doctrina, vita & moribus, manentibus ſaluberrimis decretis & antiquiſſimis regulis iſtis: *Papa falli, errare poteſt, Concilio ſubjacet*; corri-

Breve Pontificium eam in rem oblatum.

Supremæ Curiæ cenſuræ ſubjiciatur.

gendum subjici posse. Statim igitur atque Rex Pontificium Breve Parlamento examinandum obtulit, illud prolixo, efficaci, multisque rationibus munito responso demonstravit, *Regem sine læsione jurium Coronæ, suæque authoritatis non posse assentiri postulato Pontificis. Et cùm Sententiæ Facultatis Theologicæ in censuris expressæ eædem sint, quæ Patrum & Conciliorum, S. Sedis, omnium Parlamentorum & Universitatum Regni, tantum abesse, ut condemnari illæ debeant, ut potiùs Facultas debeat validè excitari ad perseverandum in illis.* Extatque Consilium Parlamenti integrum in libro, quo *Collectio variorum scriptorum in Censuras Facultatis Theologicæ Parisiensis de Hierarchia Ecclesiæ & Theologia Morali* continetur.

Ejus consilium infallibilitati Papæ appositum gravissimum.

CCLXXXVIII. In eo Consilio agnoscit Suprema Curia, Papam, utpote Episcopum primum, esse caput ecclesiæ; idque per Galliam, & in omnibus Scholis Facultatis Theologicæ semper receptum fuisse profitetur. Hanc ὑπεροχὴν & prærogativam disertè negat eò valere, ut Papa infallibilis, & Canonibus non subjectus statuatur. Galliam porro, non obstante concordia, quam semper cum Romana sede coluerit, à Curiæ Romanæ illegitimis usurpationibus sibi cavisse semper, omnemque Ecclesiæ Gallicanæ libertatem duobus his magnis principiis inniti, *quod Papa subjectus sit decretis Conciliorum; & quòd ejus authoritas non sit Monarchia, sed authoritate ecclesiæ inferior.* Post infallibilitate Papæ pluribus exemplis oppugnat & convellit; veluti *Sixti V.* cujus Biblia & Bullam editionem eorum approbantem Clemens VIII. suppresserit; *Pauli IV.* Prædecessorum suorum fallibilitatem in pleno Consistorio agnoscentis; *Adriani VI.* qui in IV. Sententiarium librum, etiam in secunda editione, ejus jam Pontificis jussu procurata, asla voce scripsit, plures Romanos Pontifices hæreticos fuisse; *Gregorii XI.* in Testamento revocantis & detestantis ea, in quibus erravit; *Johannis XII.* negantis, animas

mas mortuorum ante unionem cum Corporibus Cœlo frui; *Bonifacii VIII.* in Extravagante *Unam Sanctam*, ceu articulum fidei definientis, quòd Reges in temporalibus à Sede Romana dependeant; *Innocentii III.* qui *Serm. 2. de consecrat.* fatetur, se propter peccatum, quod in fide committit, ab Ecclesia judicari posse; *Paschalis II.* qui investituræ privilegium, primò concedens, post se errâsse fassus in Concilio Lateranense veniam petiit; *Honorii I.* Monotheletæ; *Vigilii* condemnationem trium Capitulorum prohibentis; *Gelasii I. Leonis I.* & *Siricii* agnoscentium, quòd Concilio inferiores sint. Ex quibus Pontificum dictis factisque hoc ad extremum συμπέρασμα Curiæ Assessores formant: *Quando sententiæ sunt oppositæ, oportet ut alterutra pars erret. Jam verò inter Pontifices veteres omnes ferè agnoverunt se fallibiles & Conciliis inferiores. Recentiores contra prætendunt, quòd errare non possint, & quòd tota ecclesia summè ab illorum imperio dependeat. Oportet ergo ut alterutri errârint, ac proinde ut infallibilitas non sit inseparabilis prærogativa supremæ illorum dignitatis.* Pontificum dictis factisque Constantiensis & Basilecnsis Conciliorum, quorum eam in rem decreta tuentur, definitiones subjiciunt: distinctionem Papæ ut privati & publici Doctoris, nec non præjudicium ob receptas Innocentii X. Bullas Anti-Jansenitas, discutiunt; tandemque concludunt *Papam haud dubiè præoccupatum & pessimè informatum Censurarum revocationem exegisse. Esse multa ex adverso, de quibus alii justè conquerantur, veluti quod singulis annis Romæ publicetur Bulla, dicta in Cœna Domini, Summis Potestatibus iniqua: quod nuper iterum typis impressum sit Decretum Inquisitionis, quo condemnetur Senatusconsultum factum contra Johannem Castellum.*

CCLXXXIX. Alexandri jussu A. M. D. C. LXIV. prodiit novus Index Librorum Prohibitorum, una cum ejusdem eam in rem Bulla die v. Martii ejusdem anni edita. Vi- *Index Librorum prohibitorum Alexandri jussu vulgatus,*

dere ibi inter alia est Indicem Decretorum, quæ vel à Magistro sacri Palatii, vel ab ipsis Congregationibus Sacris Indicis & S. Officii emanârunt. Animadversionem meretur nonnullam, quòd in solo Decreto LXVII. d. x. Jun. A. M. D. C. LVIII. condito à Sacra Indicis Congregatione libri sequentes, Pontificii omnes, ne exceptis quidem ipsorum Pontificum summorum, Urbani VIII. & Innocentii X. Bullis, prohibiti proscriptique sunt. *I. Anonymi Opusculum, quod inscribitur A. S. C. Dissertati pro Francisco Suarez de gratia ægro oppresso collata per absolutionem à Sacerdote præsente impensam, prævia peccatorum expositione Epistolari. II. Magni Bullarii Romani Tomus quartus SS. Pontificum Urbani VIII. & Innocentii X. Constitutiones complectens. Donec expurgetur ab adjectis. Expurgari autem debet, ut sequitur. Auferatur Constitutio 25. incipiens: Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ. Auferantur præterea sex paginæ à pagina signata 289. usque ad paginam signatam 300. III. Domus Sapientiæ, quam septem suffulta per allegoriam columnis Fr. Lucas à Monteforti, Mariæ cultoribus novissimè ædificavit. IV. Libri omnes impressi, & qui inconsulta S. Congregatione imprimentur, tractantes controversiam de vera & non interrupta successione filiorum S. Francisci, & de vera forma caputii ejusdem. V. Elenchus librorum omnium prohibitorum ab A. 1636. usque ad A. 1655. ordine Alphabetico per F. Thomam de Augustinis digestus, &c. VI. Petri Picherelli Opusc. Theolog. Dissert. de Missa, item de imaginibus, habita ad fanum Germani coram Regina matre. Appendix ad Dissert. de Missa, & Maldonati Prælectio in Psal. 110. Denique VII. Vera & dilucida expositio præsentis status totius Seraphicæ F. F. Minorum Religionis à S. & magno Francisco Patriarcha inclito, Numine Divino inspirante fundata, per Franc. Bonitum Combasson.* Unde de misera servitute eorum, qui Pontifici Romano subsunt, quin & lubrica forte Bullarum & Definitionum Papalium in ipso Papatu, judicium ferri potest.

Pontificum Bullas, Pontificúsque libros expurgans.

Servitutem Papatus propalat.

CCXC. Sed & in alio decreto, quod numero LXXII. est, d. XII. Jan. A.M.D.C.LXI. edito graviſſimè Alexander in quoſdam *in Regno Galliæ perditionis filios, in perniciem animarum novitatibus ſtudentes, & Eccleſiaſticas ſanctiones ac praxin contemnentes* invehitur; queſtus ſcilicet, ad eam nuper væſaniam eos perveniſſe, ut *Miſſale Romanum* Latino idiomate tot Seculorum uſu in Eccleſia probato conſcriptum, *ad Gallicam vulgarem linguam* (proh ſcelus!) *convertere*, ſicque converſum typis evulgare, & ad cujusvis ordinis & ſexus perſonas tranſmittere auſi fuerint, & *ita Sacro-ſancti Ritus majeſtatem Latinis vocibus comprehenſam* (ut *majeſtatem* omnem rituum Romanorum & *ſacri myſterii dignitatem* in ignota majori longè Eccleſiæ parti *Latinitate*, adeóque in *verbis*, non in *rebus* conſiſtere inde conſtet: quod magiam ſapiat nec ne, judicet, qui volet) *dejicere & proterere, ac ſacrorum myſteriorum dignitatem vulgo exponere* temerario conatu tentaverint. Eam *novitatem* ait Alexander ſe *abhorrere & deteſtari*, ceu *perpetui eccleſiæ decoris deformatricem, inobedientiæ, temeritatis, audaciæ, ſeditionis, ſchiſmatis, aliorúmque plurium malorum facilè productricem.* Deinceps contra librum eum ſententiam fert his verbis: *Miſſale prædictum Gallico idiomate à quocunque conſcriptum, vel in poſterum aliâs quomodolibet conſcribendum & evulgandum; Motu proprio, & ex certa ſcientia ac matura deliberatione noſtris, perpetuo damnamus, reprobamus & interdicimus, ac pro damnato, reprobato & interdicto haberi volumus, ejúſque impreſſionem, lectionem & retentionem univerſis & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, cujuſcunque gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, honoris & præeminentiæ, licet de illis ſpecialis & individua mentio foret, exiſtat, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ipſo jure incurrendæ, perpetuò prohibemus. Mandantes, quòd ſtatim, quicunque illud habuerint, vel in futurum quandoque habebunt, realiter & cum effectu exhibeant & tradant locorum ordinariis vel Inquiſitoribus, qui nulla interpoſita*

Ejuſdem cenſura acerba Miſſalis Romani Gallicis editi;

Zelum pro latinitate arguit.

mora exemplaria igne comburant, & comburi faciant. En ferventem Alexandri pro *Latinitate* ſua, zelum, qui eo ipſo ſe λατεῖνον Irenæi eſſe, manifeſtè prodit!

Pallavicini & Julii Clementis Scoti de Eccleſia Pontificia in pejus degenerante contextæ.

CCXCI. An Eccleſia Romana quoad mores ſaltem, procedente tempore, & poſt Tridentinum inprimis Concilium melior, an deterior evaſerit, hoc potiſſimùm tempore, editis à Julio Clemente Scoto, Italo, Viro doctiſſimo, A. M. D. C. LXIV. in Palla vicini Hiſtoriam Tridentini Concilii Notis, diſceptari in ipſa Eccleſia Romana cœpit. Diverat Suave Polanus, Mundum recentem vitiis deteriorem eſſe, quàm antiquum. Ei Pallavicinus regeſſit, Comœdorum hoc eſſe proverbium, & vulgi querelam. Suavi patrocinatus Julius Clemens *artic.* 42. pertendit, aſſertionem iſthanc repugnare tum Pelagio Papæ, *c. Fratern. d.* 43. dicenti: *Quia defectus noſtri temporis, quibus non ſolùm merita, ſed corpora ipſa hominum defecerunt, diſtrictionis illius non patitur manere cenſuram:* tum Innocentio *c.* 10. *de hæret.* cujus initium: *Vergentis in ſenium Seculi corruptelam,* &c. Addit invaleſcentis corruptionis argumentum, quòd antiquiores plurimi canones propter rigorem, quem fidelium poſteriorum animi viſi ſint haud abſque ſalutis diſpendio ferre poſſe, mutati & aboliti ſint. Neque aliam ob cauſam Adrianum VI. antiquum Canonum Pœnitentialium uſum, à multis jam Seculis inſuetum revocare conatum eſſe. Infirmitatem quinetiam horum temporum inde arguit, quòd in locum pœnæ peccatis debitæ ſucceſſerint indulgentiæ, quas Pontifices Summi ſuperiori & hoc Seculo ampliſſimas conceſſerunt. *Quid indicant, quæſo,* inquit, *tot leges multiplicatæ à poſterioribus Pontificibus, quæ & in dies multiplicantur, ita ut Pontificiæ Bullæ hiſce duobus Seculis conditæ ampliſſima duo volumina conficiant, cùm tamen vix unum conficiant parvum Bullæ quatuordecim Seculis conditæ? Annon tot Reformationis decreta â Concilii Tridentini Patribus pro-*

mul-

mulgata ſummam in Eccleſia jam morum deformitatem indicant? Obſervaverat autem jam ante *artic.* 16. leges Concilii Tridentini ad Reformationem ſpectantes, arguiſſe deformatam vehementiſſimè Chriſtianam Rempublicam fuiſſe ante Concilium Tridentinum, imò NUNQUAM MAGIS deformatam: *in quo*, inquit, *accuſantur Pontifices Summi anteriores cuncti poſt Martinum V. in Concilio Conſtantienſi electum A.* 1417. *Novembr.* 11. *qui morum hujuſmodi deformitates è ſumma in proprio munere incuria permiſerunt, negotiis aliis à Paſtorali alienis cura inprimis diſtenti.*

CCXCII. Poſt Concilium verò Tridentinum concedit equidem Author idem, in plurimis Tridentinas leges eccleſiam reformâſſe, nec adeò manifeſta conſpici in Eccleſiaſticis, ac potiſſimùm in animarum Paſtoribus, vitia, nominatim carnalia, ſicut ante illud Concilium. Addit tamen, reprehenſionem non magnopere meruiſſe Suavem, cùm dixit, *poſt Concilium Tridentinum idem eveniſſe, quod ante.* Nam ut omittatur, aliquot, & non exigui ponderis, Tridentini Concilii decreta non ſervari, veluti de lectione S. Scripturæ, cujus loco alia, præcipuè apud Regulares, repoſita ſint; de admittendis ad ſacros inprimis ordines, Eccleſiaſticaſque dignitates, de munere ſuo explendo à conſtitutis in Minoribus, de Conciliis Provincialibus ac Diœceſanis, de Diſpenſationibus, &c. inſuper obſervari à nonnullis monet, poſt Tridentinum Concilium defectus ingentes, veluti 1. *Venerationis Eccleſiarum:* in qua Catholicis pluribus præſtent non tantùm Græci ſchiſmatici, verùm etiam Hebræi ac Turcæ ipſimet. Ut mirandum non ſit, ſi Chriſtus inde irritatus permittat potiùs in Templis jam Chriſtianorum loco ſuo adorari Mahumetem, ac honorem potiùs Diaboli propagari in hæreticorum fanis. 2. *Humilitatis Chriſtianæ.* Nam plurimos mercari etiam titulos, ut aliis ſint pares vel ſuperiores; vel eos

Poſt Concil. Tridentinum Eccleſiam Pontificiam in melius mutatam non eſſe, idem Julius Clemens ſuis efficaciter que demonſtrat.

ſupra conditionem ſuam exigere ; quærere nonnulla obſervantiæ ac venerationis ſuæ ſigna ſibi exhiberi olim inſueta, vel non debita, quæ niſi exhibeantur, acriter eos indignari, nec non indignationis argumenta præbere ; in cunctis motibus corporis faſtum quendam præ ſe ferre cæteris odioſum ; præferre ſe aliis vel in nobilitate, vel in doctrina, vel in pietate, aut etiam in omnibus. Idque etiam magis deteſtabile eſſe, ſi ſentiant, eſſe potiùs humilitatis ſpeciem, Communitatem ſuam cæteris omnibus anteferre, ac re ipſa præferre ; nihil non ſibi deberi arbitrentur ; ſupra alios honores, prærogativas, privilegia ſibi acquirere ſatagant ; ferè toti ſint in ſuis & communitatis ſuæ laudibus extollendis, ac interdum falſis ; prædicent, aliqua à ſe præclarè geſta, quandoque mentientes, vel exaggerantes ; humanam duntaxat gloriam in actionibus cæteroquin piis, ut in ædificandis eccleſiis, donanda ſupellectile ſacra &c. propoſitam habeant, nedum in iis, quæ circa proximorum ſalutem agunt. 3. *Dierum feſtorum obſervationis.* Cùm enim illi ſint indicti præſertim ad Dei cultum, pleroſque dæmonem potiùs colere, indulgentes Veneri, gulæ & ludis. 4. *Simplicitatis Chriſtianæ* à Chriſto commendatæ Matth. cap. 10. non ſolùm in veſtitu & victu, verùm in verbis etiam & factis. Atque defectum eum ait à non paucis adſcribi ſententiæ hoc Seculo propagatæ de *Reſtrictione Mentali*, cauſiſque ea utendi, addito etiam juramento de ea non adhibenda, juxta Sanchezium. Inde ſcilicet fieri, ut perrarò ullus poſſit eſſe tutus de ullius promiſſione ; aut certò credere poſſit, eum, qui nonnulla ſcribit aut edit, ita interiùs ſentire. Apud aliquos inductam hinc eſſe opinionem, quòd liceat publicum & religioſum cultum exhibere idolo, eidem offerre incenſum, flores &c. illi ſacrificantibus miniſtrare, dummodo crucem vel in manu geſtaret, vel inter flores, aut ſupra pectus repoſi-

tam

tam quis haberet. Infelix hoc esse Seculum, quòd illa sententia tot, & quosdam præcipuè, sortita sit assertores. Similiter quot, inquit, simulationes in vultu, gestu, aliisque motibus corporis, ita ut sæpissimè, qui nonnullis arrident præsentibus, absentes postea irrideant, simplicitati porro calliditatem, fallaciam; sinceritati adulationem successisse, ita ut complures instar Gnathonis in omnibus planè ad quorundam Magnatum voluntatem seu voluptatem loquantur & agant, quin etiam omnia eorum gesta, etiam minùs recta, commendent. Affine huic esse hypocriseos vitium. Sicut enim sub specie pietatis hæreses fermè omnes in Ecclesiam inductæ sunt, ita quoque pravas multorum cupiditates eadem specie obtegi. 5. *Prudentiæ Christianæ*, quæ dictat, nunquam æternam salutem posthabendam commodis quibuslibet temporalibus. Ejus locum subiisse *Politicam* quandam *falsam* ac *Ethnicam*, dictantem, dummodo quis temporalem vel status sui felicitatem assequatur, nullam juris Divini, imò nec naturalis, rationem habendam, ita ut illa sit omnium prorsus suprema lex, quam amplectantur inprimis illi (*horum*, inquit, NB. *hoc Seculo maximè censetur major numerus, quàm ut sic Lutheranorum, Calvinistarum &c.*) qui à quibusdam Politici etiam post Concilium Tridentinum appellantur, Atheismo communiter infecti; sive hic sit ille, qui est insipientium, nullum planè Deum, seu nullam planè incorpoream agnoscens substantiam; sive sit ille, qui dicitur Aristotelicus à quibusdam, admittens primam causam saltem finalem rerum, omni materia carentem, curæ tamen rerum inferiorum, seu Providentiæ, expertem. Cui sententiæ connexam ait illam de animæ rationalis mortalitate: qua hæresi nulla sit pernicioſior vel animabus nostris, vel bonis moribus. Quod, inquit, Seculum protulit tot ex omni genere scriptores de Politicis, sicut nostrum? Quosdam

ex Ecclesiasticis etiam majori sibi tribuere laudi ait, si dicantur vel existimentur Magni Politici, aut in Politicis versatissimi, quàm si egregiè probi & docti. Et utinam, inquit, non hoc nomine Ecclesiasticæ Dignitates, etiam primariæ, compluribus deferantur! *6. Charitatis*: cujus defectum variè arguens, consistere eum docet *Tum* in non erogandis pauperibus verè superfluis, & quæ à tineis & muribus sæpe comeduntur: quod in Ecclesiasticis beneficiis fruentibus maximè vituperandum monet, qui si erogarent liberaliùs, non tot pauperes ac mendicos fore in urbibus, tot honestas familias ad inopiam redactas pudorem minorem passuras, nec tot meretricium quæstum facturas; quibus noxiam dicit opinionem à recentioribus Theologis & Canonistis probatam, *quòd ecclesiastici è sola charitate, non ex justitia ad superfluorum erogationem teneantur*; reprehensa etiam eorum detestabili avaritia, qui in operibus piis in proximorum salutem non reapse quærunt animas Deo lucrari, vel Deo acceptiores reddere, sed marsupia sibi ac domesticam supellectilem auctiorem reddere; nec non opera quædam spiritualia excogitant potissimùm, ut inde lucra sibi vel suis reportent; atque in ipsamet Sacramentorum administratione, vel in Reliquiarum propositione, vel ejusmodi aliis, pecuniæ exhibitionem intendunt, qui nunquam satis esse dicerent, quamvis copiosissimos reditus haberent, excusantes se, quò illis abundantiores forent, hoc ampliorem numerum Ecclesiasticorum seu Religiosorum alendum esse: *Tum* in bellis inter Principes injustis: *Tum* in inimicitiis perpetuis non rarò inter præcipuas in civitatibus familias; nec non discordiis domesticis: *Tum* in odiis complurium immortalibus, etiam inter Ecclesiasticos & Regulares, controversias sæpe acerbissimas cum aliis quærentes, Pacis osores, scriptis libríque non rarò se invicem lacerantes. Ejusmodi

di autem dissensiones inter Regna, familias, Ecclesiasticos, Religiosos etiam Romanæ Curiæ vigere queritur, ut verendum sit, ne, sicut Gentiles priscis Ecclesiæ Seculis mutuam Christianorum charitatem attendentes & admirantes exclamabant, teste Tertulliano Apolog. cap. 29. *O quantum se diligunt Christiani!* meritò nunc cum lachrymis exclamari queat à Catholicis piissimis, & harum dissensionum conscîis: *O quantum se oderunt Christiani!* Deinceps invehitur in homicidia, quæ in aliqua Christiana regione plura, quàm in Imperio Turcico, patrari innuit: in detractores famæ adeò frequentes, ut nullum vitium sit communius. Ubi Patres inprimis Societatis Jesu criminis ejus reos convincit testimonio P. Mutii Vitelleschi, in libro *ad Univ. Societ.* qui prolata querimonia B. Francisci Borgiæ, Societatis illius Generalis, *quòd multi ad Societatem veniant, ut fiant ditiores, pauci, ut fiant meliores*; subjungit: *Ne quæso nobis, Patres Fratréque, blandiamur. Non pauci hoc in genere* (detractionis vitio) *valido fræno indigent. Nomini parcunt, nimia agunt libertate & licentia, non sine gravi charitatis justitiæque interdum injuria, dum aliena seu dicta, seu facta nunc amplificata augent, modo ultro citróque renuntiant, nunc in deteriorem partem accipiunt; ad motus animi, atque consilia Deo reservata dijudicanda progrediuntur; haud scio, an dicendum sit, res neque gestas unquam, neque per somnium quidem oblatas comminiscuntur & jactant. Equidem mihi persuadeo, consulto ac dedita opera non delinqui, quisciam, quantus Dei timor, ipso adjuvante, in Societate vigeat. Verùm affirmo, inconsiderantiam, indulgentiam, lubricitatem hac in re malum esse longè gravissimum; atque utinam interdum Divina Majestas nihilo magis, quàm leviter lædatur, eóque periculosiùs, quò minùs inde conscientia onerari alicui fortasse videbitur. Ego verò, quoniam exonerare meam statui, mihique persuadeo, innumera hinc bona nobis intercludi, atque ex hoc fonte inprimis & universè derivari mala, quæ æquissimo Domini ju-*

dicio toleramus, ex intimis cordis mei visceribus obtestor, Examen, quod vocamus, Particulare, accuratum per hosce dies in hoc vitiũ instituant; quandoquidem LATIUS, quàm opus esset, illud SERPERE per Societatem DEPLORAMUS OMNES, fatemúrque, venenosæ hujus atque EXECRABILIS plantæ fibris evulsis, terrestrem quendam Paradisum illam futuram. Addit testimonium ejusdem Societatis Generalis Aquavivæ, cui cùm indicâssent Patres Congregationis Romanæ, detractionis isthoc vitium & loquendi libertatem ita in Societate ea crescere, *ut non pauci videantur id sine scrupulo facere, & quidem in materiis & rebus non levibus*, sic ille respondit: *Magno nostro dolore videmus, propositionem hanc veram esse.* Et ab hac Societate posthac manâsse isthoc detrahendi cacoëthes ad alios, ac potissimùm Claustrales, Author idem mox gravitèr queritatur. Quin & Pallavicinum, qui Suavis de corruptione crescente Ecclesiæ assertionem inter Comœdorum Proverbia retulit, testimonio etiam Urbani VIII. & Alexandri inprimis VII. affirmantis, *per novas opiniones hoc Seculo in Theologiam moralem inductas disciplinam Evangelicam resolvi, & conscientiis cum gravi animarum periculo illudi; morúmque & opinionum licentiam in dies grassari convicit.* Denique licet concedatur, minora vitia tum contra castitatem, tum contra temperantiam patrari nunc in Ecclesia, ab Ecclesiasticis inprimis, post Concilium Tridentinum quàm ante; non minùs tamen spiritualibus vitiis, superbiæ, avaritiæ, invidiæ, detractioni, susurrationi, dolosæ simulationi, fidei datæ violationi, malevolentiæ, hypocrisi, aliísque similibus deditos esse Catholicorum animos, mox fusè ibidem comprobat, totamque ea de re dissertationem claudit S. Bernhardi in verba illa Es. cap. XXXVIII. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*, commentatione, quæ *serm.* 33. *in Cantic.* ejusmodi extat: *Amara priùs in nece Martyrum: Amarior post in conflictu hæreticorum: Amarissima in moribus domesticorum.*

CCXCIII. Si-

CCXCIII. Silentio prætereundum non est hujus pontificum temporis σιδηρόξυλον, *Episcopus* scilicet *Miles*. Episcopi enim nonnulli, quorum munus fuerat attendere gregi suo, & pascere ecclesiam Dei sanguine ejus proprio redemptam, in Germania cumprimis, strenuè Mavorti litantes, novo etiam & insolito armorum fœtore tantùm non obvias enecantium genere, ad ferrum & flammam omnia vocabant. Quorum in censu Christophorus Bernhardus à Galen, Monasterienſis Episcopus, verus Seculi nostri Cyclops, qui inter arma adolevit, & consenuit, nominari cumprimis meretur. Non tantùm enim urbem celebrem Monasterienſem Westphaliæ armis suis domitam sub jugum misit, & post in Bello Hungarico-Turcico, Imperialis Militiæ Directorem se gessit: sed etiam auro promiscuè, modò Angliæ, modò Galliarum Regis, conduci se ad ferenda infesta signa passus, τὰς τροφὰς εἰωθὼς ἔχειν ἐκ τῆ μισθοφορεῖν, *quæstum unum habens ex militia*, ut Philippus Macedo apud Didorum Sicul. *lib.* XVIII. mercenarios milites describit; bis Belgis Fœderatis atrocissimum bellum intulit, urbes florentissimas dirum in modum quassavit, cædibus omnia miscuit, & à Turcico milite Janitzaro nihil admodum discrepans, vi & dolo grassatus ubique est; denique in electione Coadjutoris A. M. D. C. LXVII. victus suffragiis spretoque Electore Colonienſe, cui plura vota favebant, armis placitum sibi obtrusit. Ut non huic minùs, quàm cuiquam flamini alii illud Palingenii quadret: *Episcopi Germaniæ nonnulli Martilitant.*

Pontifices nunc bella juvant, sunt cætera nugæ.

Tantísque in deliciis pullum huncce suum Alexander habuit, ut Roma ipsi gladium sacratum, cædis impunè patrandæ auctoramentum submiserit, virtutumque ejus militarem non semel impensè collaudaverit.

CCXCIV. Postulat heic occasio, ut de Ecclesiæ Romanæ *Verbi Divini & veritatis*

Canonum adversus Episcopos milites sententia.

manæ Episcoporum Bellatorum iniquitate nonnihil differamus: ut vel inde constet, plus recentiores Episcopos à veris & veteribus differre, quàm simia purpura induta ab homine, mus farina aspersus à pistrini domino differt. Quàm severè Christus Regnum suum, cujus de Ministros profitentur Episcopi, à Regnis hujus mundi, quæ armis non rarò parantur retinenturque, disparaverit, non jam dicam. Abundè id ex Matth. xx. 25. xxvi. 52. Joh. viii. 36. 1. Cor. iv. 9. &c. liquet. Canon certè Apostolicus Paulinus Episcopum πλήκτην, *percussorem*, esse disertè vetat. Sed & Canon Apostolicus alter, huic conformis, numero lxxxiii. jam olim Ecclesiasticis militiam his verbis interdixit: Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, στρατείαν ἀγωνιζόμενος, καὶ βουλόμενος ἀμφότερα κατέχειν, τὴν μὲν ἀγωνίαν ἀφιέτω, καὶ ἱερατικῇ διοικήσει, καθαιρείσθω· Τὰ γὰρ καίσαρος καίσαρι δεῖ· καὶ τὰ τοῦ θεοῦ, τῷ θεῷ· *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, exercitui vacans, & utraque obtinere volens, Romanum Magistratum & Sacerdotalem administrationem, deponatur. Quæ sunt enim Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Ubi per στρατείαν ἀγωνιζόμενα sive cum Balsamone, Zonara, Harmenopulo *militantem*, vel *militarem rem administrantem*; sive cum Doctiss. Beveregio *civile* quodvis *officium administrantem* intellexeris; Bellatores Episcopos feriri palam est. Proxima etiam ætas tantùm abest, ut Episcoporum militiam probaverit, ut quadam etiam ἀμέλεια τῆς ἀνθολκῆς etiam quamvis militiam, saltem, qualis eo tempore in usu fuit, improbaverit. Primus Gregorius Cappadox Arianus militari manu, pulso Athanasio, Alexandrinam Sedem occupavit. Damasi & Ursicini tragœdiam supra narravimus. Sed isthæc per tumultum contigit. At quarto adhuc Seculo Ambrosius oratione contra Auxentium, *Non pila*, inquit, *quærunt ferrea, non arma Christi milites. Coactus repugnare non novi: sed dolor, fletus, orationes, lachrymæ fuerunt mihi arma adversus milites.*

Ta-

Talia enim sint munimenta Sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere. Sequente *quinto* Seculo Concilium Chalcedonense canone VII. decrevit, *Eos, qui semel in clero taxati fuerint, sive in Monasterio deputati,* μήτε ἐπὶ στρατείαν, μήτε ἐπὶ ἀξίαν κοσμικὴν ἔρχεσθαι; *neque ad militiam, neque ad honores Seculares venire debere. Eos verò, qui hoc ausi fuerint facere, & non ejus rei pœnitere maluerint, ut ad hoc idem revertantur, quod ante obtentu Dei sibi proposuerint, anathematizari convenire.* Seculo *Septimo* circumfertur vulgaris gnome Gregorii M. Episcopi Romani, quæ *lib.* VII. *Epist.* I. *ad Sabinianum* continetur. *Si*, inquiebat ille, *in mortem Longobardorum me immiscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem nec Ducem haberet. Sed quia timeo Deum, in mortem cujusquam hominis me miscere formido.* Vel igitur Gregorius ea in re non timebat Deum, vel recentiores Pontifices & Episcopi Bellatores Deum non timent. Invenitur equidem inter Epistolas Gregorii alia, cujus fragmentum *in c.* 2. X. *de immunit. Eccl.* extat, ex qua communiter Canonistæ concludunt, tempore necessitatis ipsos etiam clericos non excusari à custodia civitatis. Sed quid custodire civitatem, stare in excubiis, necessitatis tempore, quod probi civis cujuslibet officium est, commune habet cum eo, quod Episcopi Bellatores ab aliquot inde Seculis fecerunt? Taceo, quòd, notante Augustino Barbosa *ad d. c.* 2. Modernus observavit, non loqui textum illum de Clericis, sed de hominibus Ecclesiæ, qui immunitate Ecclesiæ gaudebant. Sanè eodem Seculo in Concilio Toletano IV. can. 44. statutum est, *ut Clerici in quacunque factione arma volentes sumere, amisso ordinis sui gradu in Monasterio pœnitentiæ tradantur.* Insigne etiam veræ ἀπλομαχίας Sacerdotalis exemplum Beda *Histor. Eccl. lib. II.* 2. narrat; Monachos videlicet è Monasterio Mancor magno numero seorsim stantes, & adversus Regem Edilfridum non armis corporalibus, sed jejuniis

& precibus pugnantes. Octavo adhuc Seculo Zacharias Papa Epistola ad Episcopum Moguntinum Bonifacium, de Sacerdotibus queritur, quòd Deum ad iram provocantes majora committant facinora, *dum propriis manibus Christianos atque paganos necant*, &c. Epist. 3. *Qualis*, inquit, *victoria datur, ubi Sacerdotes una hora Dominica pertentant mysteria, & Christianis Dominicum porrigunt corpus pro suarum animarum redemptione, & propter Christianos, quibus hic ministrare debuerant, aut paganos, quibus Christum prædicare, propriis sacrilegisque manib⁹ necant.* Militum porro & Sacerdotum officia sic idem Zacharias *Epist. 7.* ad Pipinum Regem distinguit: *Principes & Seculares homines atque bellatores convenit curam habere & solicitudinem contra inimicorum astutiam, atque Provinciæ defensionem. Præsulibus verò, Sacerdotibus atque Dei servis pertinet salutaribus consiliis atque orationibus vacare, ut vobis orantibus & illis bellantibus, Deo præstante, Provincia salva persistat.* Caroli M. ætate crevit equidem non parùm ejusdem indulgentia & liberalitate potestas Episcoporum. Neque tamen Sacerdotibus bellare permissum est; quin potiùs non obscurè id in Concilio Meldensi A. D. CCC. XLV. habito canone 37. interdicitur his verbis: *Quicunque ex clero videntur esse, arma militaria non sumant, nec armati incedant; sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus, & religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tanquam sacrorum canonum contemptores, & Ecclesiastica authoritatis profanatores, proprii gradus amissione multentur, quia non possunt simul Deo & Seculo militare.* Inter Capitula quoque Caroli & Ludovici Impp. *Lib. VI. num.* 61. ejusmodi habetur constitutio: *Si quis Episcopus, Presbyter aut Diaconus vel Subdiaconus ad bellum processerit, & arma bellica indutus fuerit ad belligerandum, ab omni officio deponatur, in tantum, ut nec laicam communionem habeat.* Quin & Leo IV. Papa *homil. de cura Pastorali* Clericos sui temporis ita alloquitur: *Nullus vestrûm arma ferat in seditione, quia ar-*

ma veſtra ſpiritualia eſſe debent. Quanquam non temperavit ſibi Leo, quò minus faceret id, quod aliis prohibuit; dimicans ipſe fortiter adverſus Saracenos, ſi vera ſunt, quæ de ipſo Platina ſcripſit. Nicolaus I. referente Gratiano *c. Clericum 6. diſt.* 50. *Cùm diſcreti ſint*, inquit, *milites ſeculi à militibus Eccleſiæ, non convenit militibus Eccleſiæ militare ſeculo, per quod ad effuſionem* ſanguinis neceſſe ſit pervenire. In Concilio quoque Triburienſi A. D. CCC. XCV. celebrato *cap.* 27. ejuſmodi decretum extat: *Semel in clero deputati nec ad militiam, nec ad aliquam veniant dignitatem mundanam, uti in Synodo Chalcedonenſi ſtatutum eſt; ne tales ſint, ſicut S. Iſidorus loquitur, ſimiles hippocentauris, qui nec equi nec homines, ſed quaſi bruta animalia libertate ac deſiderio ſuo feruntur.* Pro Clerico quinetiam in bello mortuo vetat Concilium idem *vel in oblatione vel in oratione poſtulari.* Seculo demum *Decimo*, quo temporalis poteſtatis incrementa Pontifices ceperunt, à veterum Pontificum pietate etiam hic degeneratum, Sabellicus *Ennead.* IX. *lib.* 2. queritur his verbis: *Illi* (veteres Pontifices) *ſuo ſanguine Pontificum decus auxerunt; hi auctum cædibus & rapinis prophanârunt: donariis illi templa ditârunt, hi ſacrilegiis exuerunt*, &c. Jactaque alea bellandi libido ita proceſſit, ut A. M. LIII. Leo IX. primus Romanorum Pontificum contra Normannos in Apulia & Calabria Siciliaque imperium auſpicantes exercitum nebulonum potiùs quàm militum eduxerit, profligatum à Normannis *occulto Dei judicio*, uti Hermannus Contractus piè ἐπιφέρει, *quia tantum Sacerdotem ſpiritualis potiùs, quàm pro caducis rebus carnalis pugna decebat.* Reprehenſumque inprimis eſt à Petro Damiani Cardinale Oſtienſi *lib. IV. Epiſt.* 9. iſthoc Leonis facinus, univerſaque cleri belligerantis audacia ſeveris verbis perſtricta. *Vita*, inquit, *quam Servator noſter geſſit in carne, non minùs quàm prædicatio Evangelica nobis eſt propoſita tenendæ lineæ diſciplinæ. Sicut ergo ipſe cuncta mundi furentis obſtacula non per-*

districti examinis ultionem, sed per invictam superavit inconcussæ patientiæ Majestatem: ita docet mundi rabiem potius æquanimiter ferre, quàm vel arma corripere, vel lædenti lasionibus respondere, præsertim cum inter Regnum & Sacerdotium propria cujusque distinguantur officia, ut & Rex armis utatur Seculi, & Sacerdos accingatur gladio spiritus, qui est verbum Dei, &c. Deinceps factum Leonis cum peccato Davidis & Petri abnegatione comparat. Mox Gregorius VII. in Dictatibus suis retulit, *ut Pontifici Romano Imperialia ornamenta, adeóque gladium etiam gestare liceat:* & Bonifacius VIII. definivit, *in Ecclesia esse duos gladios, unum pro ecclesia, alterum ab ecclesia exercendum; illúmque huic subesse; quin & Petro temporalem gladium fuisse.* Quod igitur antehac in vitio merito fuit, id deinceps, postquam jurisdictione temporali, & feudorum dominio Principum superstitio & incuria Pontifices & Episcopos mactavit, in virtutem & pietatem vertere cœpit. Sacra inprimis seu cruciata militia in Concilio Claromontano ab Urbano II. decreta, Episcopis, Sacerdotibus & Monachis tractare arma assuetis. Eoque ventum dementiæ, ut teste *Chopp. lib. II. S. Polit. tit. 1. num. 7.* Episcopi nonnulli sacra facientes supra altare suspensum gladium, vitæ necisque indicem custodiant. Jucundum quin etiam spectaculum Ximenius, Archiepiscopus Toletanus, Gometio teste, Hispanis præbuit, cernentibus Goncaldum Fernandum, cui tot victoriæ *Magni Ducis* nomen pepererant, in abdito secessu sacris operantem, & orationibus vacantem; Ximenium contra inter milites, lorica indutum, ferocientem. Dignissimus inprimis ludibrio omnium habitus est Philippus Belluacensis Episcopus, qui Auth. Helinsh. *in Chron. Rich. I.* nec non Guilhelmo Neubrigensi *Rer. Anglic. lib. V. 22.* contra Richardi Angliæ Regis exercitum A. M. D. XCVII. infestum militem ductans, acie captus est. Quem cùm donari sibi tanquam *Filium* Pontifex expetiisset, Richar-

Gregorii VII. & Bonifacii VI. contrarii dictatus.

Ximenii & Philippi Belluacensis historia.

chardus Romam arma Episcopi misit, cum lepida denuntiatione: *Vide, Beatissime Pater, num hæc sit tunica Filii tui!* De Gallorum consuetudine sic Joh. Tilius *Rerum Gallic. lib. II.* refert: *Quanquam Scripturæ Sacræ armis toti clero interdicant, tamen Antistites Pares Galliæ pro dignitate Pariũ temporaria tenentur Regibus ministrare, & eos sequi cum equitum ac militum suorum comitatu, si quando Reges ipsi in bellum processerint: quod officium à quibusdam aliis, qui Pares non sunt, Episcopis debebatur. Adeò Gallia in his conditionibus rem militarem æstimavit magni.* Eam verò consuetudinem Baronius ad A. D. CCC. LXXXVIII. his verbis detestatur: *Execrandum planè diu istiusmodi facinus* (ut Episcopi armati ad bella procederent) *inolevit in Galliis*, &c. *Sed eò deterius, quòd iidem etiam ab ejus temporis scriptoribus laudati reperiuntur nomine bellicæ fortitudinis: cum tanquam* (NB.) *sacrorum canonum violatores, & muneris Pastoralis ac nominis desertores detestandi fuissent.* Tales igitur, Baronio ipso judice, Pontifices & Episcopi Polemarchi omnes fuerint. Saltem ex iis, quæ attulimus, ad liquidum perduci potest: Pontifices & Episcopos, qui post Hildebrandum bella gerere sibi fas piumque duxerunt, immane quantum à veris & veteribus Episcopis differre, neque grandis istius nominis mensuram ullatenus implere.

CCXCV. Liceat autem turpitudinem istam Episcoporum πλαστῶν Erasmi etiam & Wicelii verbis μάλα ἐμφατικοῖς prodere. Sic autem Erasmus Dedicatione ad Franciscum Regem Paraphrasi in Marcum præfixa, scribit: *Duplex est gladii genus, duplex est Regni genus. Habent & Sacerdotes suum gladium: habent suum Regnum. Próque diadematibus & galeis habent mitras, pro sceptro pedum, habent loricam, baltheum: denique totam panopliam, quam illis non uno in loco strenuus ille bellator Paulus describit. Reges Evangelici Pastores dicuntur. Sed & profani Reges Homero dicuntur Pastores populi. Idẽ agunt utriq;, tametsi diversa est functio, quemadmodum in fabulis iisdem alias*

Ecclesiasticorum militantium impietas verbis Erasmi & Wicelii depicta.

alii partes agunt. Quòd si suum utrique gladium semper haberent expeditum, hoc est, potestate tradita, sicut oportet, uterentur: non toties, opinor, Christiani, qui vocamur potiùs, quàm sumus, in fratrum viscera gladium impium stringeremus. Porro dum utrique suo munere neglecto, quod est alienum, affectant, neutri satis tuentur neque dignitatem suam, neque tranquillitatem. Quando Rex plus habet Regiæ Majestatis, quàm cùm in Judiciis sedens dictat jus, coërcet injurias, dirimit lites, sublevat oppressos: aut quum in consiliis sedens prospicit Reip. commodis? Cæterum Episcopus quando plus habet dignitatis suæ, quàm cùm è suggesto docet Evangelicam Philosophiam? Tum enim verè in solio suo est Rex Evangelicus. Quàm verò Neroni fuit indecorum in theatro certare aut cum phonascis & citharœdis, aut in circo cum aurigis: tam indecorum est Regi in humilib⁹ ac sordidis negotiis versari, quæ pertinent ad privatos affectus ipsius, & officiunt incolumitati Reip. Rursum quàm indecorum esset, si philosophus cum pallio & barba fabulam saltaret in proscenio, aut in harena falcem teneret ac rete, gladiatoriam canens cantionem, non te peto, piscem peto, quid me fugis galle? tam indecorum est Evangelicum regem belligerari, aut nundinari, ne quid dicam inhonestius. Quur non invenitur Episcopus, qui sibi pulchrius ducit, trecentos equites balistis, lanceis ac bombardis instructos secum ducere, quàm piis & eruditis diaconis comitatum sacros libros secum circumferre? Quur earum rerum ostentatione sibi magni videtur, quarum contemptu magni fuerunt illi, in quorũ locum successerunt? Quur illis dulciùs sonant tubæ & cornua, quàm sacra lectio? Age, quid si Rex pro diademate & trabea sibi imponat mitrã & infulam: contra pro mitra & infula sibi diadema & trabeã sumat Episcopus, nonne portenti simile videbitur? Adeò movent inversa insignia, cur non magis movet inversa functio? &c. Sed & Georgius Wicelius, Ferdinandi I. Imperatoris Consiliarius, in libello nomine *Viæ Regiæ* scripto, sic inter alia loquitur: *Magnopere probamus isthoc discrimen, sicut discrimen ponimus inter cœlum & terram. Potestas ecclesiastica de*

Cæ-

Cælo est, at politica de terra. Utramque verò in uno eodemque homine conjungi posse, disputent alii, qui solent objicere de gemino dispari:

Non bene conveniunt, nec in una sede morantur.

Verùm disputetur ad vivum investigandæ veritatis ergo: Utrum idem existere possit Pastor spiritualis, & miles plus quàm carnalis? Ac jurene gestet altera manu pedum Pontificale, seu Episcopale, & simul altera ensem cruentum, galeam thoracémque Martialem? Verùm hæc sacra non aliter constant! tanto difficilius est contra tractum fluminis niti, & cum suo depugnare Seculo. Alioqui enim provocari poterat ad Ecclesiæ principia, quando tam Pontifices quàm Episcopi uni vacabant potestati ecclesiasticæ, in timore & tremore Dominum suum audientes: VOS NON SIC. Quin & cum Bernhardo queri poterat: Sicne fecit Petrus? Sicne Paulus? Talia gestavit arma Linus? Talem Zonam Clemens? & Episcopi, Dionysius, Ignatius, Augustinus, Ambrosius, & infiniti horum similes? Sed esto alius, & alii hominum mores, & tempora periculosa non instant jam, sed extant. *Hæc Bernhardus. Attamen nihilo segnius fatendum id, quod res est. Nimirum Pontifices, Episcopos, Cardinales, Patriarchas primam omnium curam ac operam impendere oportere in eo, quæ solius Dei sunt, memores mandati Pauli, quando inquit:* Dicite Archippo: *Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas. Quod munus propriè suum si sincerè obierint vel biennium sensim, crede mihi, nauseabunt ad sæcularia. Semel statuant, potestatem ecclesiasticam, qua Episcopi sunt, omnino excellere, & longè inferiorem esse potestatem, qua Principes sunt. Quod cùm sit irrefragabile atque immotum, tamen gaudent tantum adire Principes, & propemodum pudet Episcopos dici. Imò illorum aula non sustinet patienter audire, si quis roget, ubi Rev. Episcopus sit: præcisè dicendum est, ubi reperiam meum glorioſissimum Dominum & Principem. Sin secus, ad suspicionem malam protinus rapientur. Cujus rei forsan causa est, quòd malint esse reipsa Principes, quàm Episcopi;*

pi; & propensiores sint ad Principatum quàm Episcopatum. Si qui tales existunt, ipsi constituunt semet Episcopi nomine ultra modum indignos. Sed hoc pacto non subterfugiunt iram venturam. Hactenus illi.

Controversia de Attritionis efficacia Jansenitas & Jesuitas inter fervet.

CCXCVI. Certatum hoc tempore potissimùm in Schola Pontificia inter Theologos acriter est: *An illa attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi cum spe veniæ ad impetrandum gratiam in Sacramento pœnitentiæ, requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei?* Asserebant id Jansenii sequaces, negabant Jesuitæ potissimùm Sirmondus, Annatus, Pinterellus, Moynius, alii; ex quorum sententia Montaltius Epistola Provinciali decima hoc potissima elicuit: *Per totam vitam sic peccata elici, adeóque contingere posse, ut salutem adipiscatur, qui nunquam Deum in vita dilexerit.* Et Sirmondus quidem in libello, quem *virtutis defensionem* inscripsit, Pontificiorum de necessitate amoris Divini opiniones ad calculos revocat his verbis: *Diligendi Dei præcepto homines obligari affirmat S. Thomas statim ab usu rationis. Hui tam citò? Scotus singulis Dominicis. Unde petitum? Alii cum urget tentatio. Rectè, si non alia esset via effugiendæ tentationis. Scotus post acceptum beneficium. Grati quidem animi istud indicium est. Quidam in mortis articulo. Nimis serum est. Ne quidem quoties recipitur Sacramentum aliquod, eam obligationem urgere existimem. Sufficit enim attritio cum confessione, si commodè fieri possit. Aliquo tempore teneri, censet Suarez. At quo? Tuo judicio remittit: ipse nescit. At quod ille nescivit, quis sciat, nescio.* Quid verò in euripo hoc opinionum Sirmondus ipse? Concludit, eum qui nullo Deum affectu diligat, nec voluntatem suam ad ipsum convertat, dummodo eum non oderit, & coeteris mandatis obsequatur, legi Divinæ satisfacere. *Itaque*, verba ejus sunt, *quæ miranda est in homines bonitas Dei, non tam amorem sui præcipit, quàm odium vetat.* Alibi impudentissimum os effutit, hoc Evangelicæ legis

su-

ſupra Judaicam præcipuum eſſe privilegium, quòd nunc ab amandi Dei præcepto Chriſtiani immunes ſint. *Æquitati*, inquit, *conſentaneum fuit, in lege gratiæ & Novi Teſtamenti illud durum & difficile exercendæ ad obtinendam juſtificationem perfectæ contritionis, id eſt, charitatis actus præceptum reſolvi: æquum, inquam, fuit, inſtitui ſacramenta, quæ charitatis defectum ſuppleant, nec tam arduam animi affectionem requirerent: alioqui Chriſtiani, qui filii ſunt, nihilo facilius Patris ſui gratiam ſibi reconciliarent, quàm Judæi, qui tantum ſervierunt, & Domini ſui miſericordiam impetrabant.*

CCXCVII. Hæc ſexta ſingularis Jeſuitarum de attritionis efficacia, & nulla diligendi Deum in hac vita ad ſalutem neceſſitate, hæreſis eſt, quam Montaltii potiùs Doctoris Pontificii, quàm meis verbis deteſtabor. *Vah*, ita ille eadem Provinciali Epiſtola exclamat, *in apertum totius Evangelicæ legis excidium profana quidvis audendi licentia graſſatur. Violatur magnum illud mandatum, unde lex pendet & Prophetæ: cor ipſum pietatis attĕtatur: expulſo inde ſpiritu vivificante inane pietatis ſimulachrum relinquitur: poſtremò negatur, ad ſalutem neceſſarium eſſe, Deum diligere. Quid reſtat ampliùs, niſi ut non amandi Dei privilegium à Chriſto hominibus allatum prædicetur. Hoc etiam veſtri* (Jeſuitæ) *prædicârunt. Creſcere jam non poteſt impietas. Ad ſummum pervenit!* Neque tamen Alexander Papa hæreſeos iſtius impietatem muſſare, nedum fulmine Papali ferire auſus eſt. Quin potiùs eadem impietate ſe alligavit, edita & d. VII. Maji A. M. D. C. LXVII. ad valvas Baſilicæ Petri, & in acie Campi Floræ, aliiſque locis affixa, publicataque Bulla, qua ille (verba Bullæ referam) *cupiens pacis vinculum inter fideles ſervari, omnémque ſciſſuræ fomitem extingui, auditis votis Eminentiſſimorum & Reverendiſs. D. D. Cardinalium adverſus hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum; nec non D. D. Conſultorum & Qualificatorum Sac. Congregationis ejuſdē Generalis Inquiſitionis, in virtute*

Jeſuitarum de eadem attritione hæreſis ſingularis ſexta.

Alexandri Bulla, qua hæreſin illam reprehendi impiè vetat.

Sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Sanctæ Sedi reservatæ, aliisque pœnis ejusdem Sanctæ Sedis arbitrio taxandis, præcipit *cunctis & singulis fidelibus quocunque gradu ac dignitate etiam Episcopali, & majori, imò & Cardinalitia fulgentibus, ut si deinceps de materia Attritionis præfatæ scribent, vel libros aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, aut alio quovis modo pœnitentes aut scholares, cæterósve erudient, non audeant alicujus Theologicæ censuræ, alteriúsve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem* necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu gehennæ concepta; *quæ hodie inter Scholasticos communior videtur*; *sive asserentem* dictæ dilectionis necessitatem; *donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum*, &c. Sic Alexander iterum Thersitem se gerit, nescio annon Ethnico quovis deterior, qui non tantùm impiam illam sententiam negantem, *hodie* scilicet *inter Scholasticos communiorem* (pessima enim quæque hodie in Papatu *communiora* sunt) diris configere ausus non est, sed in gratiam Jesuitarum suorum, Pallavicini inprimis, oculi sui, negantem *aliqualem necessitatem dilectionis Dei in attritione ex metu gehennæ concepta*, censuræ, injuriæ, contumeliæ nota taxare vetuit, donec aliquid à Sancta illa Sede (quæ aliqualem necessitatem dilectionis Dei asserere & definire inpræsentiarum dubitavit) hac in re definitum fuerit. Quid si igitur vel nunquam Sancta illa Sedes hac in re aliquid definiverit (nam hactenus quidem definitione cessatum est) vel pro more sententiam deteriorem, negantem scilicet, definiverit, an sic perpetim nefas fuerit, censuræ, injuriæ, contumeliæ nota taxare eum, qui aliqualem dilectionis Dei necessitatem negaverit? Apage impietatem intolerandam! Certè impunè non tulerit is, qui aliqualem dilectionis Papæ necessitatem in dubium vocaverit. Et ausus est Papa censuræ, contumeliæ, injuriæ notam amovere ab eo, qui

ali-

aliqualem dilectionis Dei neceſſitatem non in dubium revocat, ſed apertè negat! Crimine ab uno noſcite omnes!

CCXCVIII. Cygnea hæc ſcilicet cantio fuit Alexandri, aliqualem dilectionis Dei neceſſitatem à cenſura, injuria, contumelia vindicantis. Nam quinto & decimo poſt editam beſtialem illam Bullam die, nimirum XXII. Maji A. M. D. C. LXVII. ſpiritum exhalavit, & quam ipſe in terra ſuſpendit de neceſſitate dilectionis Dei definitivam, coram tremendo tribunali Dei tremebundus haud dubiè percepit. Morte ejus propalata paſſim ingens gaudium obortum eſt, & quam furioſa plebs adverſus Pontificem vivum exercere vindictam nõ potuit, exercuit adverſus defuncti Conſanguineos, fratrem Marium & Cardinalem Chiſium, quorum palatia ſine mora perfracta & collutulata turpiter violavit. Novi Pontificis electio agitata in conclavi eſt per octodecim dies, inde à XXIII. Maji ad X. uſque Junii. Prodiitque tandem Julius Roſpigliоſus, patria Piſtojenſis Florentinus, Tituli S. Sixti Cardinalis, annum jam ætatis agens ſeptuageſimum ſecundum, qui Clementis IX. nomen ſumpſit. Non alia re inſignis, quàm quòd in numerum Divorum Beatos Beataſque quoſdam, nimirum Ludovicum Beltrame Hiſpanum ex Dominicanorum ordine, Petrum de Alcantara Hiſpanum, ex Franciſcanorum ſecta, & Magdalenam di Paley Florentinam, retulit: Judæos, exceptis paucis, Roma exegit, per reliquas Pontificis ditiones diſperſos: pro conſervanda Candia pervigil excubavit: denique diſſoluto Alphonſi Portugalliæ Regis & Conjugis Mariæ Franciſcæ Iſabellæ Sabaudæ matrimonio, nuptias inter eandem Sabaudam & Alphonſi Fratrem Petrum Portugalliæ Infantem & Regentem, ratas firmaſque habuit.

Alexandri mors.

Et Julius Roſpigliоſus, Clementis IX. nomine inſignis ſuccedit, cujus res geſtæ ſtrictim narrantur.

CCXCIX. Sic Clemens duobus & dimidio annis in Papatu exactis d. XXIX. Nov. A. M. D. C. LXIX. obiit. Die decima

Eum mox Æmilius Altierius, ſeu Clemens X. excipit.

ma Decembris ejuſdem anni Cardinales Conclave ingreſſi in eo quatuor pœne menſes integros commorati, & factionibus quatuor, Barbarina, Chiſia, Roſpiglioſa & volante, quibus ſe Hiſpanica & Gallica immiſcuere, ad deſperationem uſque eligendi Pontificis novi, diſtracti, rejecto tandem Cardinale Vidone, pro quo populo inviſo licet, factio Chiſia, Volans Gallica & Hiſpanica conſentientes diu fruſtra nitebantur; & conſpirantibus tribus factionibus Chiſia, Barbarina & Roſpiglioſa, quinquaginta & octo ſuffragiis Æmilius Altieri, Romanus, decrepitus ſenex, octogeſimum quippe ætatis annum jam agens, Papatum adeptus eſt: qui ſtatim electus Clementis X. nomen ſibi aptavit. Elephantinum huncce partum ſtatim atque enixi Cardinales ſunt, populo omnem de Papa novo ſpem jam abjicienti, his verbis Cardinalis Maldachinus electionem ex feneſtra proclamavit: *Annuntio vobis gaudium magnum; Papam habemus. Eminentiſſimus & Reverendiſſimus D. Æmilius, S. R. E. Presbyter Cardinalis Alterierius electus eſt in Summum Pontificem, qui ſibi nomen impoſuit Clemens X.*

Hungaricas & Eccleſias per ſatellites ſuos evertere laborat.

CCC. Neque tamen Clemens ille λεγόμενος clementem admodum ſe erga Eccleſiam Dei geſſit, quam per ſubornatos & ſatellites ſuos pervertere non minùs, quàm Inclementes omnes, laboravit. Teſtis inprimis eſt Eccleſia Hungarica, cujus immanis perſecutio unà cum Clemente Pontifice facto, Jeſuitis maximè annitentibus, æſtuare cœpit: de qua nonnihil diſſerere haud abs re fuerit, cùm ſi uſpiam alibi, hic certè fallaciæ cauſæ regnent, & Hungaricos motus, periculaque à Turcis Hungariæ, Chriſtiani orbis munimento validiſſimo, imminentia, perduellioni civium imputare Lojolitæ auſi fuerint, quæ inexpiabili Vatinianoque erga Religionem Evangelicam odio uni ſolique, adeoq; in ſolidum imputanda fuerant. Rem ad ovo, quatenus quidem ad notitiam noſtram pervenit; εἰς συλλήβδην recenſere conabimur.

CCCI. Di-

CCCI. Dira adversus Evangelicam religionem primitus professos decreta, suasu Cleri, Ludovicus Hungariæ Rex condiderat, quibus igni adjudicati sunt, quotquot religionem Pontificiam deseruissent; etiam inauditi indefensique, uti ex Ludovici II. Decretis A. M. D. XXIII. *art.* 54. & A. M. D. XXV. *art. ult.* colligitur. Sequente statim anno M. D. XXVI. Ludovicus ab Episcopis ad bellum Turcicum, non expectatis Germanorum, quæ in procinctu erant, auxiliaribus copiis, ineundum inductus, & Divinam ob sanguinarium decretum, attentatamque in conscientias tyrannidem, Nemesin expertus, in Mohacsiensibus campis à Turcis cæsus, sine mascula prole occubuit. Mox Regni Proceres alii quidem Johannem de Zapolya, Stephani Scepusiensis Filium, Transsylvaniæ Vayoadam; alii Ferdinandum I. Regem Pannoniæ elegerunt. Ferdinandus post mortem Johannis solus Regno potitus, tum quinque Hungariæ Superioris Civitatibus Liberis, Cassoviensi, Bartphensi, Eperiesiensi, Leuchoviensi, & Cibiniensi; oppidis item Sepusii tredecim; tum Hungariæ inferioris, Civitatibus Pusoniensi, Soproniensi, &c. ut de cæteris Regni Proceribus nihil dicam, liberum religionis exercitium concessit. Cùm verò varii nihilominus ob religionis libertatem motus Hungariam diu satis exercerent demum Seculi hujus anno sexto Pacificationi Viennensi Imperatorem Regemque Hungariæ Rodolphum inter & Stephanum Bothskai Kis-Maria insertus articulus primus ita habet: *Quantum ad negotium religionis attinet, non obstantibus, pro tempore, prioribus constitutionibus publicis, sed nec articulo postremo* A. M. D. C. IV. *deliberatum est, ut juxta Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis priorem Resolutionem, ad quam se Regnicolæ in sua Replicatione referunt, nimirum quòd omnes & singuli Status & Ordines intra ambitum solùm existentes, tam Magnates Nobiles, quàm Liberas Civitates & Oppida privilegiata im-*

Evangelicæ in Hungaria religionis fata sub Regibus Ludovico,

Johanne de Zapolya & Ferdinando I. obiter narrantur.

Pacificatio Viennensis & Rodolpho inita.

mediatè ad Coronam spectantia, item in Confiniis quoque Regni, Milites Hungaros in sua religione & confessione nusquam & nunquã turbabit, nec per alios turbari & impediri sinet; Verùm omnibus prædictis Statibus & Ordinibus liber religionis ipsorum usus & exercitium permittetur, absque tamen præjudicio Catholicæ Romanæ religionis, & ut Clerus, Templa, & Ecclesiæ Catholicorum intacta & illibata permaneant, atque ea, quæ hoc disturbiorum tempore utrinque occupata fuere, rursum eisdem restituantur. Post Imperator & Rex Matthias ita articulum hunc publico diplomate interpretatus est, ut verba illa, *absque tamen præjudicio Catholicæ Romanæ religionis*, bona fide adjecta esse, hoc scilicet sensu, *ut utraque pars in religione, ejus exercitio & Templis non turbetur*, declaraverit. A. M. D. C. VIII. eadem libertas non confirmata duntaxat, sed ad oppida etiam, villas rusticosque extensa est. Idem articulus tempore Coronationis Ferdinandi II. conditionibus Diplomatis Regii *num.* 6. *art.* 2. insertus, ac deinceps non semel, puta connitente Gabriele Bethlenio A. M. D. C. XVIII. *art.* 77. A. M. D. C. XXV. *art.* 22. A. M. D. C. XXX. *art.* 33. A. M. D. C. XXXV. *art.* 29. A. M. D. C. XXXVIII. *art.* 1. *cond.* 6. renovatus est. Sed & A. M. D. C. XLVII. *art.* 5. *condit.* 4. Imperator & Rex Ferdinandus III. occasione pacis cum Georgio Rackozio, Transylvaniæ Principe, initæ, sic mentem suam declaravit: *Quæstiones circa gravamina negotium religionis & occupationis Templorum concernentes, tam quæ in A. M. D. C. XXXVIII. suæ Majestati exhibita sunt, quàm post subsecuta, in futura primitus celebranda Diæta, propter Regni tranquilliorem permansionem, unionémque animorum, ut vel amicabili Dominorum Regnicolarum compositione sopiantur, vel authoritate suæ Majestatis complanentur cum satisfactione Evangelicorum. Ac pro quibus usus Templorum determinabitur, proventus Parochiarum quod ad eosdem pertineat, nec ultra occupationes Templorum fiant. Ea autem Templa, quæ disturbiorum tempore utrinque occupata fuerunt, statim post per-*

& ab Impp. Matthia,

Ferdinando II.

& III.

permutationem Diplomatum prædictis Evangelicis restituantur, pronti etiam Catholicis. Gravamina autem futuris quoque temporibus in eodem negotio Religionis emergentia, tam Catholicorum, quàm Evangelicæ religionis hominum: quàm etiam alia Gravamina Regnicolarum, tam Evangelicorum quàm Catholicorum, secundum 17. Conditiones sua Majestas singulis Diætis plenariè complanabit absque injuria Evangelicorum. Denique idem articulus per modernum quoque Imperatorem & Hungariæ Regem Leopoldum A. M. D. C. LV. tempore coronationis, & quidem in Pace non Hungariæ tantùm, sed totius etiam Imperii *art.* 11. *condit.* 6. confirmatus est. Diplomatis Regii sexta conditio his verbis concepta est. *Quod Religionis negotium inter universos Status & Ordines Hungariæ, militibus Hungaris, propter Regni tranquilliorẽ permansionem, juxta Constitutionem Viennensem, & articulos ante coronationem editos, maneat liberum, illæsum & illibatum, ita videlicet, ut Religionis exercitium tam Baronibus, Magnatibus & Nobilibus, quàm liberis etiam civitatibus, universisq; Statibus & Ordinibus Regni Hungariæ, nec non Oppidis & villis, illud sponte ac liberè acceptare volentibus, ubique liberũ relinquatur, nec quisquam cujuscunq; status & conditionis existens, in libero ejusdem usu ac exercitio Religionis à Serenitate sua & aliis quibusvis Dominis terrestribus, QUOVIS MODO, aut QUOVIS PRÆTEXTU impediatur.* Concluditur autem his verbis: *Nos itaq; prædicta universorũ Statuum & Ordinum inclyti Regni Hungariæ & partiũ ei subjectarum instantia, benignè admissi, pro benigna animi nostri propensione, ipsisque benignè gratificandi voluntate, præinsertos UNIVERSOS articulos, ac omnia & singula in iis contenta, rata, grata & accepta habentes, eisdem nostrum consensum benevolũ pariter & assensum præbuimus; ac illos, & quævis in iis contenta acceptavimus, promittentes & assecurantes Statũ & Ordines verbo nostro, quòd præmissa omnia, tam nos ipsi, quàm Reginimis nostri tempore observabimus, quàm per alios fideles subditos nostros, cujuscunque conditionis*

nec non Leopoldo confirmata.

tionis & ſtatus exiſtant, obſervari faciemus, uti vigore hujus noſtri diplomatis acceptamus, approbamus, ratificamus, confirmamus atque promittimus. In cujus fidem & teſtimonium literas has manu propria ſubſcripſimus, & ſigilli noſtri impreſſione muniri fecimus. In arce Regia Poſonienſi die XXV. Junii A. M.D.C.LV.

Libertas religionis exercitium, ab Hungariæ Regibus pactum, Georgius Barzon Varadienſis Epiſcopus, libello A. 1671. edito, oppugnat.

CCCII. Expreſſiſſima hæc liberi in Hungaria Religionis exercitii decreta quò minùs ἄσυλα & Sacroſancta manerent, efficere Clerus Pontificius, Epiſcopi & Jeſuitæ inprimis, Regnorum evertendorum architecti, potuerunt. Neque id ampliùs diſſimulare Clerus ipſe potuit. Nam ſub noviſſimæ perſecutionis initia A. M. D. C. LXXI. prodiit Viennæ Claſſico ſacri belli Sciopiano haud diſſimilis libellus, ſic inſcriptus: *Veritas toti mundo declarata, argumento triplici oſtendens, Sac. Cæſ. Regiámque Majeſtatem non obligari tolerare in Hungaria Lutheranam & Calvinianam ſectam. Quam Catholicæ Religionis zelo concinnavit G.B.E.V.P.S.S.C.R.M.C.C.* ſeu, uti ænigma facilè rerum hominúmque gnari extricârunt, *Georgius Barzon, Epiſcopus* (titularis) *Varadienſis, Presbyter Societatis, Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Conſiliarius.* Tractationi præmiſit S. Auguſtini in illud Pſal. 57. *Ad nihilum devenient tanquã aqua decurrens*; verba iſthæc: *Non nos terreant, Fratres, quidam fluvii, qui dicuntur torrentes. Decurrit aqua, ad tempus perſtrepit, mox ceſſabit. Diu ſtare nõ poſſunt. Multæ hæreſes jam emortuæ ſunt; cucurrerunt in rivis ſuis, quantum potuerunt; decurrerunt, ſicuti ſunt rivi, vix eorum memoria reperitur.* Ita non tam zelo pro Catholica religione, ſeu aris, quàm pro focis ſuis commotus, animum ſuum certa ſpe implevit, fore ſcilicet brevi, ut Jeſuitarum artibus Evangelica religio ex toto Hungariæ Regno eliminata plorare cogatur. Quos verò ille tot Regiis edictis promiſſiſque, omni exceptione majoribus, concutiendis arietes admovit? Triplex ſcilicet argumentum ceu æs triplex circa pectus malè munitum, quod ad incudem obiter vocatum Authoris perfidiam prodet.

CCCIII. *Pri-*

CCCIII. *Primum* igitur argumentum à tribùs Pacificationis Viennensis conditionibus, sub quibus liberum religionis exercitium pactum est, Barzonius ille arcessit. Concessum scilicet illud esse, *primò absque præjudicio Catholicæ Romanæ; quæ cùm sit impossibilis, pro non adjecta habenda sit: secundò, ut Clerus, Templa & Ecclesiæ Catholicorum Romanorum intacta & libera permaneant; quæ conditio violata ab iis sit, qui sub Bethlenio & Rakozio Templa hominésque Pontificios violârint: tertiò, ut occupata disturbiorum illorum tempore restituantur; quod nunquam Evangelici præstiterint.* Cujus argumenti vanitatem vel inde agnoscere licet, quòd, si conditio impossibilis pro non adjecta habetur, non iccirco pactum & promissio nutat, sed conditio ceu inutilis, salvo pacto, rescindi debet: quòd conditionem illam, *ut libertas concedatur absque præjudicio Catholicæ Religionis*, Imperator Matthias statim ita interpretatus est, ut aperte negaverit, ad evertendam libertatem religionis trahendam esse: quòd non obstantibus iis, quæ sub Bethlenio & Rackozio acta sunt, deinceps etiam Regiis Pacificationibus & diplomatis religionis libertas confirmata & obsignata est: quòd, si qui à clero Pontificio graviter irritati, defensionis & vindictæ modum antehac excesserunt, innocentes id luere non debuerint, cùm noxa sequatur caput: quòd denique pacta restitutio eorum, quæ *disturbiorum tempore occupata sunt*, non ad restitutionem Templorum pridem possessorum, sed eorum, quæ a Regem forsitan Hungariæ pertinentia à Stephano Botzkajo occupata sunt, obstrinxerit. Neque plus candoris vel soliditatis habet *secundum* argumentum, inde petitum, *quòd articuli, quibus libertas religionis promittitur, non sint conditi consensu & unanimi voto Statuum quatuor Regni, puta Prælatorum, Baronum, Magnatum & Nobilium, utpote ad quos antiquo jure pertinuerit, Rege consentiente & confirmante, leges condere. Contradixisse enim Prælatos omnes, Barones, Magnates* Triplex ejusdem argumentum ad partes vocatum.

& Nobiles Pontificios. Cùm igitur violentum nullum durabile sit, articulos illos abolendos meritò esse. Quod argumentum ad summam Regum Hungariæ, Imperatorum & Regum Rodolphi II. Matthiæ, Ferdinandi II. III. & Leopoldi, quorum consensu, authoritate & fidei juramento obstricto, articuli confirmati receptique sunt, ignominiam pertinet. Quasi vel non æquè illis, ac infulato huic Titulari, hoc est Scenico Episcopo, Hungariæ jura cognita fuerint, vel adversus eadem jura ea in re prævaricati fuerint. De cœtero constat satis, quemadmodum negotium hoc in Pacificatione saltem Lintzensi A. M. D. C. XLV. concluſa, & Georgio Rakozio exhibita, gestum fuerit. Ex primo Ordinis Ecclesiastici statu contradixerat omnino Archiepiscopus Strigonienſis, Georgius Lippai, eique Seculares nonnulli, Ladislaus Csakus, Franciſcus Revai, & Franciſcus Balassius astipulati sunt. At contradicenti fortissimè Comes Paulus Palfy. Curiæ Regiæ Judex, cœterique non Evangelici duntaxat, sed Pontificii etiam Proceres reclamârunt. Deinceps post graviſſimas cum Clero contentiones, Status Evangelici in eo esse cœperunt, ut per Georgium Barna ad Regem tota causa devolveretur. Tum igitur Archiepiscopus, eique adhærentes nonnulli alii, Evangelicorum Statuum supplicationem ad Regem impediverunt anteverteruntque ejusmodi responso: *Ne fortissimum hoc antemurale Christiani orbis cum universali ruina in manus Turcarum perveniret, faciléque universam Nationem deleri contingeret, ad ea evitanda primùm in A.* M. D. C. VI. *Pacificationis Viennensis Articulo* I. *libertatem religionis concedi oportuit; quæ quidem concessio priùs tantùm Statibus & Ordinibus, oppidis item privilegiatis & militibus facta in A.* M. D. C. VIII. *ad villas quoque & oppida extensa fuit. Porro eadem concessiones in A.* M. D. C. XVIII. *ampliatæ, postmodum verò A.* M. D. C. XXII. *art.* 6. *Diplomati Regio insertæ fuerunt, ac deinceps quibusvis ferè Comitiis addito articulo*

ticulo confirmatæ. Quibus non agnoscunt Catholici sese contravenisse, aut occasionem turbandæ quietis pacisque publicæ exhibuisse, neque concessiones semel factas extinguere aut abolere conatos; quin potiùs Articulis præsertim Pacificationis Viennensis, quæ fundamentum est ac robur totius status admisse religionis, prædictis articulis, atque adeò præsentis Diplomatis Regii art. 1. sese accommodare studuerunt. Sic Diploma tractatus Lintzensis à Statibus Regni universis, cum solenni hac clausula; *Contradictionibus Cleri, aliorúmque Secularium non obstantibus, imò iisdem in perpetuum nullum vigorem habentibus,* consentiente Rege, ratihabitum, articulisque A. M. D. C. XLVII. insertum est. Quòd si Titularis ille in manifesta luce adhuc dum cæcutit, Pacificationis Viennensis ab universis Statibus Ecclesiasticis & Politicis subscriptæ, clausulam, quæ sic sonat: *Nos itaque subscripti nunc invicem concordati nomine omnium Statuum & Ordinum inclyti Regni Hungariæ & Partium sibi annexarum, liberè & spontaneè, animóque bene deliberato spondemus, promittimus & recipimus,* &c. expendat, & perfidiæ suæ tela amentata agnoscat. *Tertium* argumentum manifestam Authoris ejusdem fraudem propalat. Inde enim petitum est, *quòd, si omnino tolerandi Evangelici in Hungaria essent, Calvinistæ tolerandi forent, quatenus Confessionem Helveticam; Lutherani verò, quatenus Augustanam profitentur: Atqui & Calvinistas ab Helvetica, & Lutheranos ab Augustana Confessione desciviſse; Et Calvinistas quidem ab Helvetica, quia cùm hæc cap. XI. profiteatur, se comprehensa symbolis ac sententiis quatuor primarum & præstantissimarum Synodorum, celebratarum Nicææ, Constantinopoli, Ephesi & Chalcedone, corde sincero credere; illi contra pertendant Primò; bigamum clericum esse posse, quod Nicænam Synodum vetuisse, Justinianus Novell. 123. c. 1. 12. 14. & Ambrosius Epist. 82. testentur; Secundò, Episcopum Romanum non esse Principem omnium Patriarcharum, quod ipsum tamen Concilium Nicænum Canone 39. ex Arabico per Pisanum conversò, nec non Chal-*

cedonenſis Concilii Patres Act. 3. in relatione Concilii, definiverint: Tertiò negant Sacerdotem in Euchariſtia offerre corpus Chriſti; quod ipſum quoque Canone 16. Concilii Nicæni diſinitum ſit: Quartò Orationes pro mortuis Canone 65. Arabico probatas, rejiciant: Quintò Epiſcopi Romani in Conciliis præſidentiam in Concilio Epheſino tamen exemplo confirmatam improbent: Sextò denique Monachatum Concilii Chalcedonenſis Act. 14. Can. 16. ſtabilitum damnent. Sed & Lutheranos defeciſſe ab Auguſtana Confeſſione, inde comprobat, *quòd ipſi Præfatione libri Concordiæ eam variatam poſteriorem rejiciant; contra invariatam autem profiteantur; Primò contra articulum 10. Chriſtum in Cœna Domini non eſſe ſub ſpeciebus panis & vini: Secundò contra Art. 21. Miſſam abolendam eſſe; Tertiò contra art. 1. Epiſcopos controverſiarum non eſſe judices.* Longæ ſunt ambages, injuriæ verò fraudeſque longiſſimæ! Taceo, quòd Diplomata, quibus liberum religionis exercitium Evangelicis in Hungaria conceditur, Helveticæ & Auguſtanæ Confeſſionis ne uno quidem apice meminerint, nedum Evangelicos ad alterutram reſtrinxerint. Qua verò fide ſcripſit Barzonius, Helveticam Confeſſionem *cap.* XI. comprehenſa ſymbolis ac ſententiis quatuor primarum & præſtantiſſimarum Synodorum, ſimpliciter ſcilicet & in univerſum recepiſſe, cùm tamen verba confeſſionis non de quibuslibet Synodorum illarum ſententiis, ſed de iis duntaxat, quæ *de incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti myſterio* loquuntur, id pronuntiaverit. Quid verò ad myſterium illud ſententiæ ex Conciliis à Barzonio citatæ? Ita notoriæ fraudis coram toto orbe ille reus eſt. Quid quòd ſimili etiam fraude non ex veris & γνησίοις, ſed ſuppoſititiis, Arabicis inprimis Concilii Nicæni, nec à Gelaſio, nec à Juſtello, nec à Petro de Marca, nec à quoquam Antiquitatum Eccleſiaſticarum perito agnitis, ſed à Melchitis & Neſtorianis, uti Doctiſſ. Beveregius *Annot. in Concil. Canones pag.* 212. probat, confictis canonibus, ſen-

ſententiarum ſuarum quiſquilias collegit: quòd inſuper Novellam 123. citat, quæ Concilii Nicæni ne quidem meminit, Imperatori Juſtiniano affingens, quod ex gloſſa neſcio qua arripuit: atque etiam Canonibus Concilii Epheſini ſupponit id, quod de Concilio Pontificius forte impoſtor aliquis ſcripſit? Par ratio eorum eſt, quæ Lutheranis objicit, utpote qui invariatæ Confeſſioni adhærentes, vel *Art.* 10. per *ſpecies* nuda accidentia deſignari: vel *Miſſæ* nomine ſacrificium incruentum venire: vel Epiſcopis in Confeſſione infallibile & ſupremum controverſiarum potiùs, quàm miniſteriale judicium tribui, conſtanter meritóque hactenus negârunt. Annon igitur in re ſeria graviſque momenti publici impoſtoris notam perſonatus ille Epiſcopus meruerit, periti rerum judicent.

CCCIV. Sicut verò Barzonius ille Hungaricarum Eccleſiarum privilegia teſtatiſſima in aperta luce, futiliſſimis ratiunculis, perfidiæ cleri horrendæ certiſſimis teſtibus, oppugnare non dubitavit: ita nunquam non Clerus in Hungaria Pontificius eò conſilia ſua apud Principes cæteros optimos direxit, ut Tranſactiones univerſæ verbis ſpecioſæ, re inanes, imò ſubdolæ deprehenderentur. Etenim nunquam ferè pactis potentiores ſteterunt. Hinc adeò Pacis A. M. D. C. VI. conditiones, Botskajo urgente, initæ mox ita violatæ impunè fractæque ſunt, ut A. M. D. C. XVIII. Bethlenius magno labore eaſdem redintegrare neceſſum habuerit. Redintegratas denuo ita Pontificius clerus laceſſivit infinitis modis temeravitque, ut A. M. D. C. XLVII. Georgius Rakotzius, Tranſſylvaniæ Princeps, ingenti labore reſtituere, nonaginta Templis, quæ vi erepta fuerant, recuperatis, coactus fuerit. Quanto igitur ſanguine Hungaris Evangelica libertas conſtiterit, judicabunt, quibus res geſtæ obiter compertæ ſunt. Verùm neque ſic alma pax & libertas Eccleſiæ in tuto navigavit. Denuo

Cleri Pontificii machinationes, à Botskajo, Bethlenio, Rackotzio repreſſæ.

Denas Ecclesiæ Hungaricæ a terrestribus Dominis persecutionem patiuntur.

quippe eversis, quæ Pacificatio reddiderat, Templis apertæ persecutiones ubique per Terrestres Dominos, quos adversus publica pacta consurgentes coerceri par erat, grassari cœperunt. Comes Franciscus Nadasti, Divinæ mox vindictæ virgulam passus, in Comitatu Castriferrei, Sopronienſi, Nitrenſi, ferro flammaque cuncta miscere: alter Paulus Esterhazius, à Pontifice Romano nuptias cum germani filia incestas indulgente, ad persequendos Evangelicos voto obstrictus, in Comitatibus Vesprimienſi, Potonienſi, nec non districtu lacus Torto, adversus Evangelicos carceribus, proscriptionibus diris, suppliciis sævire. Testes hodieque sunt Ecclesiæ olim florentissimæ, Gapenſis, Szencienſis, Cheitenſis, Chepregienſis, (quæ multorum fidelium in ipsis Templi penetralibus internecionem, aliorum ex turri præcipitationem perpessa est) innumeræque aliæ. Secuti Archiepiscopi & Episcopi, in suis quique ditionibus, in insula præsertim Challokötz, in cœteris etiam locis Barones Nobilesque ad summam crudelitatem nil facere reliqui.

Civitates mox etiam Regiæ & liberæ,

CCCV. Immunes tamen hactenus Regiæ, liberæque Civitates, à solo Rege dependentes, manserant. Inventa tamen easdem infestandi ratio est, quando occasione quorundam Procerum Pontificiorum, Nadasti, Serini, Frangipani, aliorum, Francisco Rackotzio adhærentium, quorum privata studia eò proterviæ delapsa sunt, ut armis Regiam Majestatem impetere non dubitaverint, A. M. D. C. LXX. miles Austriacus in Hungariam introductus, victricia ubique ferè arma circumtulit. Tum enim Archiepiscopi, Episcopi & Jesuitæ, in turbido piscaturi, militis illius opera ubique ferè Templa occupare, verbi Divini Ministros alios expellere, alios in carceres compingere, alios trucidare: plebes vi & mulctis ad amplectendas Cerimonias Pontificias cogere, Nobilibus aliisque Evan-

eversis earum Templis, vexatis expulsisque Pastoribus, invadunt.

gelicis

gelicis milites obtrudere, tributa imponere, atque his pluribusque violentiæ contra jus & fas attentatæ modis, fractos partibus suis adjungere ausi, Evangelicæ Religionis in Regno isthoc πανοπλεθρίαν moliti sunt. Militari brachio succincti, Georgius Betzeni, Archiepiscopus Colothensis, Jaurino, Comarino, Owarino, universaque regione circumjacente: Leopoldus à Colonitsch, Episcopus Neostadiensis, infernalis furia, Posonio: Johannes Pangratz, Episcopus Vaciensis, Tirnavia: alii Patakino, Rivalino, Tokajo, Berentzino, Modino, Tolyaino, Tarzalino, Lizkaino, Bopsino, Unguarino, Berexazino, Chremnitio, Neosolio, Epericsino, Regiomonto, &c. imò ex totius ferè Hungariæ superioris & inferioris omnibus ferè oppidis & villis verbi Divini Ministros, aliis supplicio mortis affectis, aliis carcerum squalore maceratis, aliis in tristissimum exilium abactis, exegerunt. Adversus Benizenses, Pakovienses, & Juralukenses diris modis sævitum, & post occisos plurimos, nonnullos etiam ad Templi valvas suspensos, civitates ipsæ igni incensæ, tantùm non solo adæquatæ sunt. Ecclesiæ Reformatæ Ecclesiensis Pastor Johannes Baki, unà cum vidua Laurentii Surii, Ecclesiæ quondam Comariensis Ministri, ille vivicombustio, hæc gladio Comarini vitam finierunt. Taceo innumeros hinc inde, Cassoviæ inprimis & Posonii, ex omni hominum statu, ætate, sexu, indicta causa, diversisque fatis, ad novissima supplicia raptos, exilióve multatos, quos inter Comes etiam Stephanus Cotskai, inclytorum Hungariæ vindicum nobilissima propago, & gente & mente inclytus, Claudiopoli in exilio mortem oppetiit.

CCCVI. Ne verò juris quodam prætextu crudelitas & calidissima callidissimaque evertendæ religionis consilia destituerentur, Posonii extraordinarium tribunal, judici- *Tribunal Posonienſe rebellionis prætextu Evangelii*

licos Magnates plures avertit,

dicibus constans partim Ecclesiasticis, partim Politicis, Pontificiis & juratis Evangelii hostibus omnibus, erigere, atque eò ad dicendam objectæ miro æstu perduellionis causam, spectatissimos quosque citare placuit. Initium factum est ab ovibus, Politicis, Magnatibus, aliisque, quos faciliùs perverti posse, persuasum hostes habuere. Qui innocentiæ suæ confisi vadimonium promptè obiverunt, illi plerique contra jura Regni, etiam non auditi, convicti, in carceres abrepti, arrestis detenti, impensis gravissimis exhausti, ad mutandam denique religionem, libertate promissa, invitati pellectique sunt. Quorum adversus apostasiam pectora satis munita deprehenderunt, iis prætextu fidelitatis obligandæ, oblati sunt libelli (reversionales dicti) quibus subsignatis protectionem Pastorum suorum ejurarent, promitterentque, non impedituros se, quò minùs sacrificuli Templa occupare & Pontificia iis sacra inferre possent, donec scilicet accedente illuminatione Spiritus S. & ipsi à sacrificulis meliora edocti, abdicata hæresi sua, Pontificias cerimonias amplecterentur. Ita Magnates, Nobiles, plebeji coram Phalaridis tauro illo comparentes innumeri, pars in carceribus, aliisque modis vita orbati, pars horrendum in modum exagitati divexatique, pars denique carnis imbecillitate subacti, fidei in gravissima illa tempestate naufragium passi, quam Christo & Evangelio ejus fidem debuerunt, reclamante conscientia, fregerunt.

Pastoribus quoque eodem prætextu evertendis alia quoque tribunalia Tyrnaviæ & Posonii constituta;

CCCVII. Sed gravior & flagrantior vis incubuit Ecclesiarum Pastoribus, in quorum, in irruptione stantium, salute cardinem verti incolumitatis tot Ecclesiarum, persecutores non ignoraverant. Qui proin rebellium investigandorum prætextu, judiciorum extraordinariorum facultatem nullo negotio impetrârunt. Tria igitur ejusmodi judicia constituere placuit, unum Tirnaviæ, cui se Poso-

nien-

nienſes: duo Poſonii, quibus ſe reliqui per Hungariam Miniſtri ſiſterent. Neque tamen primo ſtatim cœtu cunctos citare è re viſum, ſed paucos duntaxat, eoſque Auguſtanæ Confeſſioni addictos; ut ex paucorum ſucceſſu, quid de reliquis ſpei affulgeat, periculum facere integrum foret. Cúmque firmum ratúmque habuerint, rebellionis objectæ calumnia religionem univerſam abolere, mortis metu libellos ſubſignandos obtrudere extremis viribus conati ſunt. Summa libellorum capita erant: *ut Miniſtri Evangelici utriuſque Confeſſionis, Scholarum Rectores, Cantores, ſtudioſi & ædituí* (I.) *Aut miniſterium omne ſive eccleſiaſticum, ſive ſcholaſticum, ad evitandam ſententias judiciales, ſibi propter objectum rebellionis crimen imminentes, propria ſubſcriptione ſigillo munita penitus abdicent, neque partem ullam ſive clam ſive palam exercere ampliùs ſuſtineant, ac de cætero ceu fideles Regis ſubditi vitam quietam pacificámque in Regno tranſigant, capitis ſupplicio turbantibus vel leviſſimè indicto:* (II.) *Aut ſpontaneum exilium, ceu rei mortis, ſuſcipiant, obligata libello propria manu ſubſcripto, ſigillóque munito, fide, quòd nunquam in patriam reverſuri, neque etiam vel hæreditarias Regis Provincias, vel Imperiales, nedum hoſtiles ditiones adituri ſint:* (III.) *Aut, quod præ cæteris gratum ſibi acceptúmque futurum ſit, Religionem Romanam Catholicam amplectantur.* Et priora quidem duo palam in judiciis urgebantur. Tertium verò prora puppiſque conſiliorum omnium *κυβίως* intentum fuit.

libelliquæ præſcripti, quibus mortis periculum eluctaturi ſubſcribentes, miniſterii abdicationem, exilium ſponta neum, vel apoſtaſiam promitterent.

CCCVIII. Ita prima dies paucis nonnullis XXV. Sept. A. M. DCLXXIII. dicta, qua ſe Poſonii ſiſterent delegatis judicibus, impacti atrociſſimi criminis cauſam dicturi. Comparent Fratres triginta duo Auguſtanæ, & unicus Carponenſis Eccleſiæ Miniſter, Helveticæ Confeſſioni addicti, haud poſtremi nominis plerique. His à Fiſco Regio & Archiepiſcopo Strigonienſi Georgio Szelepzeni mira arte induſtriáque præmonitis, maturè conſu-

Citatio ad tribunal illud prima Paſtorum Auguſtanæ Confeſſionis, qui comparentes malè perſecutionis impetum ſuſtinerent.

litur, ne ſententiam mortis contra ſe pronuntiandam operiri; quàm ſaluti ſuæ libellis exhibitis conſulere malint. Ita mortis citatis, aſt inauditis, indefenſiſque indictæ metu perculſi, neque ſatis libellorum virus cum animo expendentes, nimia certè in primo iſthoc ferociſſimoque impetu infirmitate carnis, pars Eccleſiaſtico Scholaſticóque munere omni juxta præſcriptam libelli formam ſeſe abdicant: pars licet rebellionis rei nullo modo peracti, reatum tamen falsò confeſſi, exilium eligunt: unus etiam inſigni levitate religionem, & cum ea bonam mentem ejecrat.

citatio ſecunda univerſalis omnium per Hungariam Evangelicorum Miniſtrorum,

CCCIX. Cùm non malè ſe dediſſe citationis initia hoſtes animadvertiſſent, & plures jam metu potiùs, quàm criminis ullius conſcientia victi libellos obtuliſſent, inſtante Fiſco Regio, Nicolao Mailath, ad univerſalem omnium reliquorum per totam Hungariam, etiam tributariam, Eccleſiæ Scholæque Miniſtrorum, quorundam etiam ante ex Eccleſiis ſuis exturbatorum; nec non cantorum, ſtudioſorum, ædituorum, in menſem Februarium Anni ſequentis M. D. C. LXXIV. proceſſum eſt. Citatoriæ literæ Georgii Szelepzeni, Archiepiſcopi Strigonienſis, ecu vicariam Regis in Hungariæ Regno poteſtatem, defuncto pridem Regni Palatino, Ordinibus invitis obtinentis, manu ſubſcriptæ, ſigilloque munitæ fuerant. Citati alii quidem, in tributariis maximè Regni partibus, à Superioribus ſuis comparere diſertè prohibiti ſunt: alii adverſariorum fraudes ſæpius experti, atque etiamnum ſubodorati, nondum forte ita periclitantibus eccleſiis ſuis, fuga occultationeque ſaluti ſuæ conſuluerunt: alii Deo & cauſæ confiſi, non obſtante judicii forma planè ſuſpecta, utpote quæ non tam convincendis puniendiſque malignè intentati criminis reis, quàm evertendæ tot Eccleſiarum libertati, aucupandoque tot violentiis prætextui inſerviebat,

eaſi aliò ire prohibentur;

alii parent, gravibus rationibus inducti.

bat, Posonii coram judice infensissimo, juratissimoque se sistere statuerunt, partim quòd sub fictitio prætextu causam Dei & Christi verti penitiùs cognovissent, quam ab universis deseri Deo contumelioſum rebantur meritò; partim quòd instans à sacrificulis jamjam subrepere paratis, gravissimum Ecclesiarum periculum id efflagitâsset; partim ut toti mundo constaret de innocentia Pastorum, qui capitali crimine arcessiti, si non comparuissent, gravem haud dubiè patrati suspicionem incurrissent; partim quòd obedientiam Magistratui testificandam censuissent; partim denique quòd consiliis, precibus, obtestationibus Ecclesiarum, prudentiorumque judiciis se ad comparendum urgeri intellexissent. Memoratu haud indignum est, quòd procedente ea citatione Georgius Getseni, ab aulæ familiaribus interrogatus, quid sibi tot Pastorum, de quorum innocentia constet omnibus, citatio vellet? respondit: *Funiculum Evangelicis Hungaris texuimus, quem si collo eorum implicare poterimus, nunquam se deinceps in pedes eorundem religio eriget. Si verò id non effecerimus, nobis, non vobis, inutilem molestiam facessiverimus.*

CCCX. Comparuerunt igitur secunda citatione ist- *Numerus comparentium utriusque confessionis.*
hac non exiguo numero Pastores, aliique Ecclesiarum & Scholarum Ministri, ultra ducentos quinquaginta, quorum plerique Augustanæ Confessioni, quinquaginta septem verò Reformatæ addicti fuerunt. Singulorum illorum actiones, diversa fata, exitusque describere, instituta tractationis brevitas haud patitur. Summa tamen capita, quando res est omnis posteritatis memoria longè dignissima, obiter ut delibem; ante omnia ad tribunal seu *Excelsam*, uti vocabant, *Sedem*, provocatis ex tanto numero, sex tantùm, (ex quorum ore reliquos omnes, atque eos etiam, quorum ipsi nomina ignoraverant, & plerosque etiam adeò locis dissitos, ut se invicem pauci nove- *Actionis totius series exponitur.* *Accusationis capita.*

rint, judicare ſtatuerant) per Regium fiſcum actio ejuſmodi intentatur, *quòd ſcilicet poſtpoſito Dei hominúmque timore totum Hungariæ Statum Romano-Catholicum, ipſúmque adeò Regem idololatriæ inſimulare, contra B. Virginem Mariam, Sanctos demortuos, eorúmque & Chriſti imagines pro concionibus ad populum habitis graviſſimè debacchari, Venerabile Sacramentum conculcare, ſceleratis rebellibus, Suæ Majeſtatis hoſtibus, conſenſu, ope & commeatu ſuccurrere, eorum adventu gaudere, Turcis ad occupandum Hungariæ Regnum viam aperire non reformidaſſent, criminiſque adeò læſæ Divinæ & humanæ Majeſtatis capitiſque & bonorum omnium amittendorum reos ſe feciſſent.* Hic reorum quiſque pro ſe pertendere, ut accuſatio, quoad ea, quæ religioni Evangelicæ in reliquo orbe Chriſtiano receptæ communia non ſunt, homines notet, crimina argumento probet, teſtibus confirmet. Palam enim ex accuſationis pleriſque capitibus fieri, non tam rebellionem, cujus cauſa citati ſint, ſpectari, quàm religionem peti. Longum verò eſſet Actoris & judicum adverſus reos ſe defendentes maſculè, in obtrudendis procuratoribus, ferendis præjudiciis, declinando legitimæ probationis onere, ſuadendo per ſubornatos Forgatſium, alioſque ante latam ſententiam, ad evitandum ſupplicium, quod effugituri nunquam ſint, ſubſcriptione libellorum, & ſpontanei exilii, traditioniſque Baſilicarum electione, ſtrophas pertexere. Certè ficto immanis criminis perduellionis adverſus Regem prætextu cauſam Chriſti & Evangelii ejus oppugnatam eſſe, argumenta planè φερόνυμα, arguunt; veluti quòd jam ante ſine ullo rebellionis prætextu plures Eccleſiis ſuis moti ſunt: quòd ne unius quidem Paſtoris comparentis rebellio idoneo ſive teſte unico ſive teſtimonio probari potuit: quòd Paſtorum Evangelicorum, ſiquidem rebellionis complices fuiſſent, vitæ Judices Pontificii non magis utique quàm Magnatibus Pontificiis parcituri, neque rei

Accuſatorum Judicúmque ſtrophæ.

Perduellionis culpa accuſati liberantur prægnantibus argumentis.

ſcelus adeò horrendum Regi Regnoque pernicioſiſſimum, exilio vel muneris abdicatione ſpontanea luitura fuerint: quòd Pontificii ſaniores in Hungaria, nominatim etiam Forgatſius Præſes Judicii, & Zitzius ejuſdem Aſſeſſor, innocentiæ eorum quoad rebellionem teſtimonium perhibuerunt, non aliud quàm contumaciam in ſubſignandis libellis iiſdem exprobrantes, & ſolam hanc carcerum vexationumque cauſam allegantes: quòd Rex Hungariam univerſam ad unitatem fidei reducere, & hæreſeos peſtem extirpare ſtatuerit: quòd jam ante Barzonius edito libello cleri Hungarici propoſitum aperuerit, priuſquam in Miniſtris ullam rebellionis noxam, vel ejuſdem ſpeciem invenire hoſtes potuere: quòd Judices Delegati omnes Pontificii, partium ſtudio ducti, Romanoque Pontifici ſingulariter obnoxii fuerunt. Qui enim aderant Politici, Pontificii erant omnes, cleri præſentis mancipia *νυρόσπασα* ne hiſcere quidem adverſus Purpuratos auſi. Forgathſius certè Rima-Szombathenſibus, pro Paſtoribus ſuis intercedentibus, ſic reſpondit: *Nolite, per Deum, me moleſtare, quia, ſic me Deus adjuvet, ne ipſe quidem ſecurus ſum. Si vel hiſcam, rebellem me dicent, & in carcerem abripient. Igitur boni Paſtores ſubſcribant, & vias ſuas abeant.* Eccleſiaſtici verò erant Archiepiſcopus Szlepzenius, nec non Epiſcopi Hungariæ præcipui, qui Romano Pontifici æquè ac alii Epiſcopi, juxta Pontificale Romanum Pii V., ſic inter alia conceptis verbis jurarunt: *Hæreticos etiam, omnéſque rebelles Pontifici, extremè me perſecuturum, ac infeſtaturum, juro.* Denique non rebellionem, ſed religionem crimini à Judicibus illis datam eſſe, clariſſimo indicio eſt, quod conſiliorum omnium principium & finis non fuit niſi ſubſcriptio libellorum, quibus ſe tradituros eccleſias, vel exulaturos reciperent. Quibus aliiſque etiam argumentis prægnantiſſimis freti illuſtris Præpotentium Unitarum in Belgio

Provinciarum ad Aulam Cæsaream Legatus, Gerhardus Hammel Bruininx, libello Earundem Provinciarum nomine Cæsareæ Majestati A. M. D. C. LXXV. oblato, inter alia demonstravit, *Posonienſis Judicii Proceſſum non Rebellionis, ſed Religionis Evangelicæ perſequendæ cauſa inſtitutum fuiſſe, atque ſub-et obreptionibus optimum falli Principem; Non convictos, verùm innocentes eſſe Prædicantes Evangelicos, quotquot A. M. D. C. LXXIV. ad purgandam tuendámque innocentiam citationi parendo, in Poſonienſi judicio comparuerunt; ac proinde iniquiſſimè ad Reverſalium ſubſcriptionem Prædicantes urgeri.* Neque aliam ob cauſam in Comitiis Sopronienſibus à XXVIII. Maji ad XXIII. Dec. A. M. D. C. LXXXI. celebratis Judicia illa Extraordinaria adverſus Evangelicarum Eccleſiarum Miniſtros inde ab A. M. D. C. LXX. Tirnaviæ & Poſonii celebrata, à Statibus Regni revocata, libelliſque etiam, quos *Reverſionales* nuncupabant, in iiſdem judiciis extorti, in perpetuum aboliti ſunt.

Accuſati innocentes damnantur,

CCCXI. Adverſus innocentes Paſtores & inauditos etiam pleroſque poſt libellos diu ſatis, mira minarum promiſſionumque (nam ſubſcripturis in exilium ſingulis à Colonitzio ex Hungarica Camera quinquaginta ſloreni, viatici loco promiſſi ſunt,) mixtura, fruſtra obtruſos; feralis ſententia mortis diro carmine d. IV. Aprilis A. M. D. C. LXXIV. & triduo poſt eadem adverſus Rectores Scholarum lata, & à damnatis omnibus imperterrito lætoque animo, paratis hactenus propter Chriſtum vita fortuniſque omnibus exui, excepta eſt. Atque utinam, qui tanto animi præſentiſſimi robore ſententiam mortis exceperunt, omnes temporis mora à Judicibus de induſtria eum in finem delecta, conſtantiam ſuam frangi, ſeque, metu mortis paulatim præcordia ſubeunte, ad Judicum nutum inflecti, paſſi non fuiſſent! Glorioſiùs certè de hoſtibus ſuis triumphâſſent omnes. Sed en Judicum conſiliis ſuis de evertenda

da religione unicè initiſtentium technas! Poſt ſententiam mortis latam Regius Procurator ab Archiepiſcopo Delegato Judice demum ſubmonitus, ab Excelſa Sede impetrat, ut damnatos ad tempus executionis uſque carceribus mancipare liceat. Cumque neque hoc terrore damnati moverentur quicquam, in liberam laxamque cuſtodiam, ex qua non invitis Judicibus quiſque, dummodo Chriſti cauſam prodere animus eſſet, fugam capeſſere poterat, traditi, in eadem omnes, (exceptis Papenſi, Fileckienſi, Veſprimienſi, Levenſique Paſtoribus Præſidiariis Reformatis, ad terrendos cæteros die v. Maji, adeoque quinta demum à damnatione hebdomada, ferro apud domum Leopoldi Colonitzii vinctis, & in arcem Poſonienſem abductis) octo hebdomadas integras exegerant. Quo temporis intervallo exquiſitiſſimas quaſque artes denuo Judices ipſi, inprimis Archiepiſcopus Szeepzenius, & immanis illa Tigris Colonitſchius, pervertendis & ad ſubſcriptionem libellorum, quam ſolam redimendæ vitæ, & pretii etiam impetrandi conditionem præfigebant, ſubigendis explicuerant. Modò ex libera cuſtodia excedere, fugam arripere juſſi: modò verberibus ad ſanguinem uſque, ipſius etiam Colonitſchii manu, cæſi: modò novis inquiſitionibus vexati: modò triremium propoſito metu ad facienda deſiderata invitati ſunt. Forti animo tentationes omnes ſuperârunt hactenus. Ad extremum die xxv. Maji Fratres Auguſtanos à Reformatis ſeparari; & illos quidem ad aulam Archiepiſcopalem ſevocari placuit. Hoc demum artificio nonnihil perſecutores efficiunt. Nam ſeparatis ita Auguſtanis ab Archiepiſcopo, Colonitſchio & Hoffkirchero, nullum non ad labefactandam eorum conſtantiam lapidem moventibus, optio tandem datur vel ſubſcribendi, ſive ad abdicationem muneris ſpontaneam, ſive ad exilium, ſive ad amplectenda Pontificia ſacra,

& in liberæ cuſtodiæ, pauciis exceptis, detinentur.

variis artibus ad ſubſcriptionem libellorum pellecti.

Subſcribentibus Auguſtanis fratribus non patuit.

cra, libellis; vel carceres ſubeundi. Subſcriptionem eligunt non pauci, carnis infirmitate victi: carceres reliqui numero quadraginta ſex, unà cum duobus Reformatis, qui eventum ſpeculaturi ſe Auguſtanis miſcuerant. Illi ſinguli cum mercede quinquaginta florenorum dimiſſi: hi in carceres ablegati; inde poſt horas aliquot protracti, & circa tertiam ejus diei alii navibus in Danubio, alii curribus impoſiti, ex urbe ſuburbiiſque in diverſa Regni fortalitia vecti, novendecim, quibus Reformatus unus acceſſit, Comarinum: octo Sarwarinum: octo Berenthſchinum: octodecim, quibus itidem Reformatus unus acceſſit, Leopoldopolin deportati, ferro conſtricti omnes, & fœdiſſimis carceribus incluſi ſunt. Et poſtremis quidem octodecim additus lictor unâ cum reſtibus, proximè patibulum in campo ſuſpendium minatus, nihil terrore iſthoc apud obfirmatos, & pro Chriſto mortem quamvis oppetere paratos, promovit. Qui Poſonii ſupererant Reformati, ſeparatorum à ſe Fratrum aliorum quidem inconſtantiam ſummo cum dolore, aliorum verò conſtantiam pari cum lætitia ſpectantes, ſe Deo devovebant totos, eadem gratia præclarum agonem ad ultimum ſpiritum uſque certaturi. Vocatis igitur ad eandem Archiepiſcopi aulam Thomæ Palfy, Epiſcopi Nitrienſis, Regiæ Aulæ Cancellarii, Epiſtola prælegitur, cujus ſumma erat, *Majeſtatis Regiæ de Prædicantibus contumacibus, eò quod Poſonii conventicula celebrent, & forte etiam ſacramenta adminiſtrent, atque adverſus tot Epiſcoporum monita præfractum obſtinatúmque animum prodant*, (en decreti cauſas!) *ultimam ſententiam eſſe, ut in varia fortalitia diſtributi mortificentur.* Tum Archiepiſcopus ſimulata de Colonitſchii, quem *ruſi militis* convitio aſpergere ſolebat, crudelitate & ſanguinariis, quæ continuè adverſus Paſtores agitet, conſiliis querimonia eoſdem demulcens, iterum iterumque ſubſcriptionem ſuadet, ceu re-

reliquiin carceres varios diſtribuuntur.

Reformati, duobus exceptis, omnes ſubſcriptionem conſtanter abnuentes,

remedium unicum, quo non tam ſuo, quàm efferato Colonitſchii animo ſatisfieri, ejusque tyrannica libido reprimi poſſit. Sed obſurduerant pridem ad Sirenes haſce caſtiſſimæ ſervorum Chriſti aures. Denuo igitur iisdem, qui ſupra, in Archiepiſcopi aula coactis, Colonitſchius, Hoffkircherus, Lapſankius, unâ cum Archiepiſcopo diriſſima quæque interminati, inter alia Regiæ Majeſtati ſtare ſententiam immotam, atque à ſe nunc Ejus nomine promulgari, *ne liberum Religionis Evangelicæ exercitiũ in Regno Hungariæ amplius exerceatur*, aſſerunt. Excipientibus Paſtoribus, *ſe non intelligere, quemadmodum Rex nondum à ſacramento juramenti, quod Regni Statibus præſtiterit, ſolutus, ſententiam ejusmodi per Miniſtros ſuos promulgare voluerit*, iracundi, *non hic locum eſſe diſputandi*, regerunt. Sine mora Miniſtris quadraginta & uni, Reformatis omnibus (reliqui enim ſedecim ex numero univerſo quinquaginta ſeptem, Poſonii comparentium, partim jam in carceres detruſi erant, partim ſe maturè ante latam ſententiam, non ſubſcriptis libellis ullis, ſe ſubducentes ad Eccleſias ſuas, defenſi à terreſtribus dominis, redierant, duobus duntaxat ex omni Reformatorum choro, Paſtore uno, & Ludimagiſtro altero, à terreſtri ſuo Domino, Judicii Aſſeſſore ad muneris ſui abdicationem ſeductis;) in vincula raptis obnuntiatum, *ad triremes illis eundum, ubi ſenes etiam addiſcere linguam Italicam debeant, futurumq; ſit, ut lac etiam maternum illis amareſcat*; Archiepiſcopo ipſo animam ſuam Diabolis diſcerpendam devovente, ſi ulli, etiam religionis mutationem poſthac promiſſuro, unquam liberatio inde obtigerit. Ex eo tempore non amplius ſubſcriptio libellorum, ſed mutatio religionis unicè urgebatur. Et ex carcere producti eodem die viginti, curribus tectis impoſiti, proſequentibus furioſis militibus, aliò deportati ſunt; Sarwarinum ſeptem; Kapuwarinum totidem, Eberhardinum caſtellum ſex; ubi

in vincula itidem rapti,

atque inde producti, diverſa in Hungariæ munimenta relegati ſunt.

catenis oneroſiſſimis conſtricti, in carceréſque teterrimos conjecti, omne ludibriorum & calamitatum genus, inter efferatos in extremam rabiem hoſtes, Jeſuitas cumprimis certatim affluentes, & ad apoſtaſiam captivos ſolicitantes, forti animo inter preces aſſiduas, hymnóſque ceu lætum Pæana, tolerârunt. Reliqui viginti & unus elapſa hebdomade eodem carcere Poſonienſe ſoluti, curribus, militum inſolentiſſimorum catervis ſtipati, & veſtimentis honeſtioribus, aliiſque, quæ reſidua ſecum ferebant, Colonitſchii juſſu ſtipati, Leopoldopolin avecti, atque ibi in carceres iterum obſcuros profundiſſimóſque abjecti ſunt.

Vexatio horrenda fratrum Berentſchinum, aſportatorũ.

CCCXII. Ita in diverſorum locorum diriſſima captivitate infandum in modum vexati cruciatíque, documentum dederunt, quid expectari à Romanis illis Draconibus, (Pontificium Clerum intelligo) ſicubi iis ſuæ ſatis vires placent, debeat. Pauca recenſeri haud abs re fuerit. Qui Poſonio *Berenthſchinum* aſportati, atque ibi bini atque bini ſub jugo, boum inſtar, conſtricti, in arcem deducti, & carcere ejuſdem abſconditi fuerant; quatuor Reformati, (atque inter eos unus præcipuæ dignitatis & authoritatis) & Auguſtanus unus tam ſtrictis compedibus, vectes ferreos & quadrangulos acuminatos, tranſverſim utroſque pedes lancinantes, habentibus conſtricti ſunt, ut neque incedere, neque ab attritu earum, ferro tranſverſim inter utroſque pedes immiſſo, calceos omnémque veſtem pedibus ſuperinductam corrodente, pedes defendere poſſent. Carcer ipſe, in quem abſtruſi fuerant, tenebricoſus, excrementis fœdiſſimè ſcatens, extrema ſupplicia paſſuris deſtinatus, qui per anguſtum foramen ſubiri niſi à genibus palmíſque innixis non poterat, inſectorum inſuper tanta copia refertus erat, ut eorum morſibus, aliiſque incommodis infeſtati, noctes pleraſque inſomnes captivi ducere coacti fuerint. Cúmque Præfectus ipſe Arcis Colonitſchio

ſchio ſignificaret, captivos ob debilitatem corporum tolerandis malis iſtis impares eſſe, reſpondit ille: *Parùm referre, tumulumq́; forte in agro toto repertum iri, in quo miſeriis illis confecti ſepeliantur.* Prohibiti inſuper ſub pœna centum & ampliùs baculorum, nec non Turcicorum verberum captivi ſunt, ne de ſua captivitate quicquam cuiquam communicent. Jeſuita neſcio quo urgente, rigidiſſima hyeme, captivi ligna in uſum præſidii allata, in ſuperioris arcis aream deportare, & aquam ex profundiſſimo puteo exhaurire coacti ſunt. *Comarinum* adducti viginti, Reformatus unus & Auguſtani novendecim, poſtquam eodem cum Turcis carcere clauſi, compertoque, à Reformato confeſſore magnanimo non parùm reliquos confirmari, ita ſeparati ſunt, ut Reformatus Turcicis compedibus illigatus, à reliquorum conſortio divulſus, in carcere peculiari, eòque fœdiſſimo ſolus deliteſcere quinque menſes integros coactus fuerit: reliqui vero exceptis duobus, omnes, Sclavonicæ gentis, tœdio ſqualoris carcerum vexationumque victi, ſubſcriptionem de abdicandis ſponte muneribus ſuis, fruſtra obtulerunt. Præfecto enim apud Colonitzium intercedente, ut ea conditione liberentur, reſponſum eſt, *ſerò nimis, finito jam gratiæ tempore, libellos offerri. Neque alia jam conditione liberari eos poſſe, quàm ſi religione ſolenniter ejurata, Pontificia ſacra amplecterentur.* Sic malè conſulti, poſt quatuor ferè menſium patientiam, horribili apoſtaſia, jurantes in verba inſolentiſſima novæ fidei noviſſimis Hungariæ Catholicis præſcriptæ, carcerum moleſtias, mortisque metum redemerunt, & impietatis ſuæ plus quàm Bileamicæ mercedem, alii quinquaginta, alii pauciores florenos, prout dignitas vel meritum perſonæ poſtulare viſum eſt, retulerunt. Sed paulo poſt, viſa Leopoldopoli reliquorum conſtantia, conſcientiæ furiis ita agitati ſunt, ut eorum nonnulli diei nativitatis ſuæ maledixerint. Qui

Comarinum.

verò Comarini ſupererant tres confeſſores conſtantiſſimi, ad ſordidiſſimos quoſque labores, quibus Turcas & Zigaros captivos ibi adſtringi mos eſt, ab ortu Solis ad occaſum uſque, nullo æſtus, frigoris, hiemis, æſtatis diſcrimine, exantlandos coacti, Deo illibatam fidem conſtanter ſervârunt. *Eberhardinum,* In carcere *Eberhardino* Archiepiſcopus jam octogenarius propriis manibus, malleorum ſubſidio, ita captivos contudit, ut membra etiam nonnullorum luxata officio defungi ampliùs nequiverint: eoſdem convivis ſuis illudendos, exagitandos expoſuit, tandémque in eorum conſpectu ad labores ſordidiſſimos relegavit, & ſe aliiſque præſentibus, riſu contumeliiſque omne genus eos proſequentibus, ad ſanguinem uſque deſudare ſubegit. Horrendum cum primis in modum divexati ſunt ii, quæ *Leopoldopoli* in carceribus diriſſimis attinebantur, numero triginta novem, Auguſtani ſeptendecim, & Reformati viginti duo: ex quorum cenſu Auguſtáni tres & Reformatus unus (reſipiſcens tamen ilico) unius & alterius diei inedia, laboribus, compedibus fracti defecerunt. Reliquos Jeſuita Nicolaus Kellio, quo homine monſtrum crudelius vix Sol vidit, his verbis ſalutavit: *Ego ratione tum officii, tum ſpecialis mandati vos viſito, ſimúlque vobis denuntio, graviſſima vobis, niſi juſſa feceritis, imminere. Pane nigerrimo militari & aqua, ferreis compédibus vincti, omnibúſque miſeriis ſubjecti, vitam morte triſtiorem tolerabitis.* Tali Evangelio convertere miſeros primo impetu ſatagebat. Quos ubi ad obnuntiationem ejuſmodi imperterritos videt, ſine mora compedibus præſens ſenes juvenéſque, firmos infirmoſque juxta conſtringi Turcico more, curat. De innocentia ſua proteſtantibus reſpondit: *Equidem duplicis rebellionis eccleſiaſticæ adverſus Eccleſiam, & Politicæ adverſus Regem, crimine laboratis. Quòd ſi maximè politicè rebelles non eſſetis, uti credo, plures veſtros de rebellione ne cogitâſſe quidem: tamen ob rebellio-*

Eberhardinum,

& Leopoldopolim aſſportatorum.

nem

nem ecclesiasticam omne genus pœnarum commeruistis. Labores plus quàm serviles & nunquam, subinde ne diebus quidem Dominicis interruptos, obscœnissima quæque loca intensissimo æstu expurgandi, carceres aggerésque effodiendi, fortalitii aream, uligine madidam, lapidibus & arenis obducendi, aggeres circa muros congerendi, nives densas ventilabris avehendi, profligatissimorum denique mancipiorum occupationibus suetis defungendi, ita exactores furibundi milites, mercede ad sæviendum conducti, summo ἐργοδιώκτῃ Kellione, perpetuis verberibus, adhibitis etiam hastis, sclopetis, & restibus aqua madefactis, induratis, & in nodos colligatis; conculcatione per pedes, capillorum evulsione, aliisque diriissimis sævitiæ modis exasperârunt, ut simile quid vix ulla historiarum monumenta adversus vilissima mundi καθάρματα patratum commemorent. Cùm carcer effodiendus esset, his verbis haud postremus inter Pastores, Vir præcipua authoritate spectabilis, apud Jesuitas præsentes operis protestabatur: *Coram Deo, Angelis & hominibus protestamur, quòd crudeliùs longè nobiscum agatis, quàm olim cum Apostolis crudelissimi persecutores egerunt. Apostoli enim fuerunt in carcere: sed carcerem sibi effodere nunquam coacti sunt. Nos Apostolorum discipuli non solùm in carcere sumus, sed etiam inaudito exemplo carcerem nobis effodere cogimur. Quamobrem ut vos, ceu authores crudelitatis tantæ, inexcusabiles reddamus, en primus ego clavum infigam.* Risu profuso hæc Jesuitæ excipientes, respondêrunt: *Laborabitis ergò tantò alacriùs, quia causas impulsivas tam graves habetis.* Labores istos durissimos & pœne intolerabiles subeuntibus, panis nigri exiguum demensum, tertio quoque die, ubi optimè cum iis actum est, libum quatuor librarum præbitum est; noctu verò in carcere degentibus nunquam aquæ tanta copia facta, ut sitim ex diurnis laboribus contractam levare possent. Interdictum insuper omnibus, ne iis

interdiu extra carcerem occupatis, vel in carcere etiam agitantibus, sive clam, sive palam vel minimus cibus potusque offerretur. Quod interdictum violantes ex συμπαθείας æstu quodam, tum vir cæpas misero offerens, unà cum accipiente, inflictis verberibus pluribus gravissimisque, tum mulierecula carnis & panis nonnihil ἐν παρόδῳ porrigens, à Jesuitis deprehensa, collum manusque numellis meretricum inclusa, & publicè per compita, intensissimo frigore circumducta, nefas expiârunt. Vestimenta & calceamenta semel attrita non reparabantur à quoquam, ita ut nudis pedes, seminudisque reliquum corpus, in conspectu omnium mandatis laboribus defungendum fuerit. In carceribus angustissimis, pluviis nivibusque perviis, inter homines maleficos ob capitalia delicta captos, maledictis continuis sacro cultu defungentibus obstrepentes, non rarò cum serpentibus & bufonibus conflictandum fuerat: à reliquis verò insectis identidem, quies somnusque turbati. Etiam in carceribus verbera horrenda ictusque inflicti non rarò, ob causas leviſſimas. Captivus enim, Vir egregius doctissimusque, ex carcere ad amicum de calamitatibus suis nonnihil scripsisse compertus, hanc, præsente & dictante Jesuita Kellione, pœnam subiit, ut in terram projectus, à novem militibus percutientibus, baculis spissis & nodosis ita cæsus, & Præfecti calcibus horribiliter ita imperitus conculcatusque fuerit, ut pro mortuo sublatus, ac mox respirans in novum carcerem solus, & ense stricto custoditus, sine ulla corporis sanguine fœdati dilaniatique cura, conjectus fuerit.

Violentia in cogendis ad cultum Panacei Numinis adhibita.

CCCXIII. Innumeræ certè concatenatæque calamitates fuerunt, quas captivi, incredibili robore ex alto instructi, fortissimè sustinuerunt; quarumque apud posteritatem fides propemodum laborabit. Singulas verò cùm prosequi, institutæ brevitatis ratione cohibitis non li-

liceat: omittere tamen id unum adhuc, quod impietatis, nisi fallor, & crudelitatis numeros omnes implet, non possumus. Cùm nec authoritate sua, nec suasionum illecebris ullis; nec promissorum melle, nec communicationum cruciatuúmque omnium felle id hostes impetrare à confessoribus constantissimis possent, ut vel sponte muneribus suis abirent, vel exilium deligerent, vel religionem mutarent; aliam quercum excutiendam rati, captivos ad Templa aliáve loca, quibus Panaceum Numen vel offerebatur à sacrificulis, vel adorandum ostentabatur, violenter pertraxerunt. Vidisses ibi contentionem furiosam impellentium cogentiúmque, & ex adverso certamina. Confessorum *μέχρι αἵματος ad sanguinem usque* reluctantium! Singulis ferè diebus Solis, festis, & jejuniorum temporibus, Kellio per armatos milites, veluti prœlium inituros, captivos seu extra carceres laborantes seu in carceribus delitescentes adoriri solitus, in Templi aream compellere conatus est. Resistentes omnibus viribus, ex carceribus raptatos bipennium & sclopetorum ictibus plagísque horrendis, tanto quandoque impetu, ut uno impulsu ad secundam usque, quæ atrii carceris erat, januam jactarentur, protrusos eò redegerunt, ut humum prostrati terræ se affigerent. Mox igitur capillis erectos stantésque sclopetorum stimulis lateri dorsoque infixis, compungebant, propellebant, raptabant iterum, ita ut totum ist-hoc Templum versus tragicum iter non aliud, quàm continua quædam cadentium, ægrè surgentium, ac denuò in terram propulsorum miserabilis jactatio & provolutio fuerit. Demum feralium istorum raptuum pertœsi, consilio inito captivi consentiunt, se deinceps jussos, non expectata amplius jactatione, Templum intraturos, concionesaudituros, preces pias ad Deum fusuros, ea tamen lege ut mortem potiùs præsentissimam subire, quàm vel

mi-

minimam partem cultus illiciti obire malint. Ita atrium Templi ingressi, blasphemas Jesuitarum conciones audiunt, & hostibus ad altare usque eos trahere, atque ad cultum Dei Maozim cogere molientibus, & tantùm non ejus rei causa in atrio Templi bellum cum iis gerentibus, adeò fortiter, mortem etiam oppetere parati, resistunt, ut violenta hostium molimina universa irrita ceciderint. In festo Ignatii, ut casus tragicos plures, qui in numerato sunt, recensere omittam, summo manè captivi ad labores sordidos expulsi, instante Missa, interruptis laboribus Templum adire jubentur. Obfirmant illi animum eo potissimùm die, quo se ad vetitum cultum adactum iri majori contentione, metuebant meritò; Templumque se ingressuros simpliciter negant. Obloquitur Kellio: *Itáne boni Pastores vim metuitis? Atqui cùm dæmonium habeatis, hoc, non alio modo, expelli illud debet.* Accersuntur milites, qui propere alios baculis feriunt, alios sclopetis urgent, alios strictis ensibus, bipennibus alios propellunt, & instrumenta ejusmodi in dorsis obnitentium frangunt, tandemque fessi, & crudelitatis sub dio, inspectante hominum multitudine ingenti, patrati pertœsi, absistentes ulteriori ferocia, Jesuitas destituunt. Tum Kellio, in furorem conversus, duos venerandos senes corripi jubet, qui à sacrificulo subornato verberibus plagisque contusi, & semimortui, nullis ad resistendum viribus residuis, unus ad atrium Templi, alter verò ad altare usque rapti, pedibus baculisque promiscuæ multitudinis calcandi proterendique objiciuntur, qui humi, dum Missa celebrabatur, jacentes, & pœne exanimes, finita Missa à reliquis captivis in carcerem deportati, nunquam posthac valetudinem recuperârunt, continuisque artuum doloribus fracti, pias animas, alter Neapoli, Curiæ Rhetorum alter, Deo Redemptori suo reddiderunt. Præterea, ne unquam ansa sæ-

vien-

viendi deesset, sacrificuli cum Sacramento ad ægros pergentes, ea plerunque loca, quibus laboribus suis insudantes captivi deprehenderentur, transibant. Atque tum iterum adversus eos cultum Panaceo Numini negantes brutis verberibus, imò ardentibus quandoque etiam facibus sævitum, neque cessatum ante est, quàm bipennes, enses, sclopeti confracti, & captivi, ceu animalia mactationi destinata, in terram prostrati, cernuique, in sanguine suo volutati misere sunt; sacrificio incruento, quod Kellioni unus sanguine madens nuntiari petiit, in cruentum conversio; & Pilatis illis sacrificia sua innocentum sanguine permiscentibus, cruentantibusque. Sic singulos, quibus ad laborandum protracti sunt, dies supremos sibi illuxisse rati, reditum in carceres pro beneficio ingenti deputabant; neque precarium inter tot mala spiritum traxerant, nisi in infirmitate illorum Divina potentia perfici, & velut triumphare coram toto mundo gestivisset.

CCCXIV. Quis verò talia fando audivit unquam? Caret exemplis diritatis immanitatisque tantæ omnis retrò antiquitas, in qua persecutores etiam sævissimos, veri etiam Dei prorsus expertes, flagitiosæ ejusmodi crudelitatis puduisset. Et puduit tandem sævitiæ ipsum etiam Kellionem, postquam ejus crudelitas calamitate innocentum utcunque satiata est, atque si non vindictam præsentem Dei, at infamiam certè apud homines, quibus paulatim facinora hæc innotuerant, extimescere cœpit. Tum enim ad stropham παναργία Jesuitica dignam se convertens, tot malefactis simulata quædam beneficia miscuit. Nam & amicos quosdam captivorum aliquando admisit, & munera nonnulla illis consecrata administravit in speciem; at pessima revera fide, partem majorem militibus aliisque diripiendam relinquens, uti postea captivis compertum est. Ut igitur apud exteros fucum quendam cru-

Astutia Kellionis, testificationem humanitatis suæ in levibus nonnullis captivis præstitæ, ab iisdem extorquenda.

delitati ſuæ obduceret, à captivis die xv. Febr. A. M.D.C. LXXV. confeſſionem beneficiorum illorum propria ſingulorum manu ſignatam petiit. Suboluit ſatis captivis, quò tentatio illa tenderet. Neque tamen poſt longam gravemque cum Jeſuita diſceptationem, re maturè deliberata, teſtimonium ejusmodi denegandum plerique ſaltem duxerunt, veriti ſcilicet, ne in re licita repulſam ferens ſæviret atrociùs, cùm atrociter adeò ſævierit hactenus adverſus detrectantes obſequium in rebus illicitis. Apochas igitur manu propria ſignatas exhibent, quibus teſtantur, *gratos ſe agnoſcere, quòd R. P. Kellio pecuniolam à ſuis ſubmiſſam adminiſtraverit: quandoque etiam cibos à benevolis ſuppeditatos diſpenſaverit, denique adventantes propinquos ſubinde ad colloquia ſua admiſerit*, circumſtantiis temporis perſonarumque additis. Acceptis ejuſmodi diſtinctis apochis in ſinu gaudens impoſtor, non tantùm eas pro lubitu interpolavit, ſed ſtatim etiam divulgavit, ſimul fidem detractaturus famæ, quæ ejus barbaram crudelitatem, & ſervorum Chriſti horrendas calamitates in mundo propalaverat: ſimul gratiæ & commiſerationis apud Regem & bonos omnes fontem vaferrima iſthac techna obſtructurus. Certè vix facta ipſi apocharum ejuſmodi copia eſt, cùm ad priſtinam crudelitatem reverſus, atrociùs, quàm unquam antehac, miſeros affligere perrexit.

Damnatio nova Paſtorum, & raptatio crudelißima ad triremes.

CCCXV. Nec dùm tamen perſecutionis adverſus tot Eccleſiarum Paſtores, imò in eorum perſonis adverſus univerſam Eccleſiam Hungariæ Evangelicam, æſtus detumuit, quinimò efferbuit in dies magis. Cùm enim hoſtes parùm adhuc apud conſtantiſſimos Chriſti Confeſſores diverſis cruciatuum calamitatumque generibus ſe profeciſſe ſentirent, jam eos æternis triremium Hiſpanicarum, quarum toties terrore miſeros perculerant, carceribus mancipare ſtatuunt. Tantaque Clerum Hungaricum improbi-

bitas & audacia transversum abripuit, ut horrendam illam ad triremes damnationem deportationemque non tantùm Rege inscio, sed contra mandatum etiam Regium susceperint. Etenim captivorum Patroni jam à Clementissimo Rege mandatum ad Colonitzium obtinuerant, quo is captivos dimittere jussus est. Mandatum isthoc Thomas Palfy, Episcopus Nitriensis, Cancellarius Regni, Judicii Posoniensis Assessor, Colonitzio exhibere jussus, ita adulteravit, ut in tergo ejus adscriptis verbis, *ut orare* (scilicet in triremibus discant) insinuaverit, mentem Regis esse, ut ad triremes captivi ablegentur, cùm tamen omnia & singula mandati illius Regii verba nonnisi gratiam liberationemque spiraverint. Colonitzius, qui non semel antehac Posonii Pastoribus in faciem dixerat: *Vos multum Regis vestræ clementiæ confiditis, sed nihil vobis ea proderit. Si enim vel decies clementissima de vobis mandata exhibuerit, ego centies eadem mutabo*; accepto mandato Regio, non dimissionem, sed ablegationem ad triremes eo contineri pertendebat. Cumque eo ipso tempore cohortes aliquot in Hungaria Austriaque conscriptæ, in subsidium Regis Hispaniæ adversus Messinenses mittendæ, in procinctu itineris stetissent, occasione ea usus, die XVIII. Martii A.M.D.C.LXXV. triginta sex (duo enim ob infirmitatem ex vexationibus contractam redditi inhabiles ad iter, relicti sunt) ex mediis laboribus sub vesperam abreptos, & per occultum foramen quoddam Arcis Leopoldopolitanæ eductos, militiæ Austriacæ ductori Neapolin deportandos, ibique certo pretio vendendos, atque in triremium servitutem redigendos tradidit. Ita stipati cohortibus equitum quadringentorum circiter, totidemque peditum, curribus impositi, per avia & ambages præter urbes & oppida Hungariæ, Moraviam versus, circumvecti, Sotviennæ tandem cum captivis quinque Berentschino allatis in amplexus

mutuos lamentabiliter ruentes, tot miserias patienter toleratas sibi gratulantes, & ad constantiam invictam invicem animantes, conjunguntur. Reliquum iter pedites, compedibus gravissimis utroque singuli pede onusti, inter furiosos milites, perpetuis verberibus, ensium & sclopetorum ictibus eos, sine ætatis, virium, viarum cultarum incultarumque & asperarum discrimine ullo, ad promovendum iter impellentes, maledictisque continuis eos obruentes lancinantesque, & obviorum quorumque horrenbis ludibriis exponentes, ad oram usque Maris Adriatici emetiuntur. Tanta fuit asperitas itineris, tanta miserabile isthoc agmen cingentium & abigentium crudelitas, ut captivi hiantia pedum nudatorum vulnera circumferentes, ubique vestigia sanguine suo cruentaverint. Ut pedes exulceratos & intumescentes Tergesti curare ipsi utcunque possent, coacti sunt ipsi saxorum & cultellorum adminiculo suos invicem compedes perfringere, quod sine cruentis vulneribus, & distractis carnium frustulis fieri non potuit. Deprædatio ibidem miserorum, qui nonnisi laceras vestes, & forte absconditas pecuniolas, ægrè hactenus à ruina defensas habebant, adeò exquisita fuit, ut truculentissimi milites scrutandis partibus, quas natura erubescit, non pepercerint. Demum naturæ & gentis illius ornamentis, capillis barbisque & mystacibus violenter privati, fœdissimeque tonsi, triste atque lachrymabile spectaculum præbuerunt, adeò deformatis illis, ut se invicem nisi ex lingua novaque velut consuetudine noscere amplius non possent. Accessit dira fames, ægrè impetrantibus miseris, quantum ad trahendum precarium spiritum, nedum ad iter adeò exercitum, totque militum plus quàm Scythica & barbarica ferocitate adversus juvenes senesve, firmos & infirmos grassantium, vexationibus infestum conficiendum, satis esset. Singulorum die-

rum

rum ſtipendium tres teruncii erant; ſubinde etiam nihil omnino datum. Noctu pecorum inſtar in ſtabula aliaque loca ſordida coactis, vix quietem ullam ob cruciantia pedum, totiusque corporis vulnera capeſſere licuit. Duo non poſtremi, pietate & doctrina inſignes, tot vexationibus illis confecti in itinere mortui, & canum inſtar, ſeminudi inſepultique, abjecti ſunt. Prior ſenex cùm pergere ampliùs non poſſet, incudis inſtar, horrendis verberibus cæſus & contuſus, moribundus à captivis duobus iter cum eo continuantibus, & altera manu ferrum, altera ægrum ſuſtinentibus, utrinque à latere ſuffultus, & à lapſu aliquandiu prohibitus, in præcipiti loco, neutro auxiliatorum ſuſtinere valente, in terram prolapſus expiravit. Alter plauſtro injectus, & mortuus ex eodem ſine mora abjectus eſt. Acceſſerat pœne tertius, vir ſpectatiſſimus, & captivorum princeps, qui aſello impoſitus, cùm ob tardiorem ejus greſſum ſubſequi reliquos non valeret, plagis adeò prægnantibus mactatus eſt, ut ex confractis naribus copioſiſſimo ſanguine profuſo, toto corpore madens, parùm à mortuo abfuerit. Acceſſit ad crudelitatis cumulum, quòd captivi iidem jumentis ob defatigationem nimiam progredi non valentibus, impoſiti, jumentorum loco cæſi, & ſic ad propellenda jumenta adacti ſunt. Sex itidem fratres malis his prorſus enervati fractique, in carcere Theatino relicti ſunt; ex quorum numero quatuor pias animas in eodem exhalârunt; duo reliqui poſt diram famem, aliaque mala tolerata, ſub ipſum liberationis tempus Neapolin deportati ſunt. Quis verò talia, & plura etiam non minùs atrocia fando

Myrmidonum, Pelopúmve, & duri miles Ulyſſis
Temperet à lachrymis?

CCCXVI. Antea verò quàm triremium præfectis manciparentur, tentationem novam, ad incitas jam ferè *Tentationes earundem, ut*

militia nomen dent, fortiter excussa.

redacti, subeunt. Ductor copiarum, cui à Colonitzio commendati fuerant, significaverat, *Regem Colonitzio de captivis statuendi quidlibet plenum arbitrium concessisse. Hunc verò copiarum colonello sub gravi omittendorum honorum fortunarumq; omnium pœna injunxisse, ut in ea loca eos deducat, ex quibus nullus unquam liberari, nedum in Hungariam redire possit. Hæc autem malà uno modo evitari posse, si nomina sua militiæ Hispanicæ dare vellent.* Hoc demum modo miseros, tot jam exantlatis calamitatibus, penitus extingui, & æterna oblivione sepeliri, vel certè majori vi ad Papatum cogi posse, Colonitzius, ex cujus præscripto cuncta gerebantur, arbitratus est. Sed captivi tot malis obruti licet, & majoribus mox obruendi, cordatè responderunt, in militiam ejusmodi, utpote à munere & vocatione, quin & virium suarum facultate prorsus alienam, nec ullo modo futuram Regi suo vel utilem vel honorificam, se consentire neutiquam posse. *Captivi vestri*, inquiebant, *sumus. Statuendi de nobis quidvis plena vobis potestas est. Statuite pro lubitu. Militiæ vestræ nomen dabimus nulli.* Sic repugnantes excipiunt verbera, correptusque unus ex robustioribus militaribus vestibus invitus induitur, qui mox easdem exuens, ab ipso Capitaneo calcibus feritur, pedibus truditur, fustibus pulsatur, militibusque exquisitissimis modis divexandus objicitur. In stabulum verò relegati omnes tridui integri spatio cibi potúsve usura omni privantur, & tantùm non inedia enecantur. Theatæ primùm colonellus in conspectum eorum prodiens interrogat: *Vultis esse catholici? Dabitur sic optio vobis eligendi statum seu ecclesiasticum, seu secularem, seu militarem.* Tacentibus omnibus, verberum metu, pergit: *Nondum meliores ergo estis? Propediem triremes vos, quid sit fides Catholica, docebunt.* Tum juvenis, parcens senioribus, reliquorum loco respondit, & symbolo Athanasiano allegato, quæ sit fides Catholica, explicavit. Risu ex-

ce-

ceptus à Jesuita astante, denuo interrogatus est: *Quid verò de Papa sentitis?* Respondit idem: *De eo sæpius mentem nostram explicavimus, nihil inpræsentiarum addituri, quia ferro pedibus constrictorum linguam etiam constrictam esse oportet.* Propulsi igitur ampliùs, die VII. Maji Neapoli ex numero quadraginta & unius, residui triginta (nam duo in itinere mortui cœlestem patriam cum imminentibus horribilibus triremibus commutárunt, sex ob infirmitatem Theatræ relicti fuerant, tres commoditate oblata, Caprocottam inter & Capuam aufugerant) semimortui, utpote quorum vix ossa cutis ampliùs sustinebat, appellunt, ubi sequenti die pretio quinquaginta scutatorum in singulorum capita erogato, ad triremes venduntur; mox denuo tonsi palatia Officialium Maritimorum, bini atque bini catenis constricti subeunt, & libro captivorum, seu Mortis potiùs certis in corpore, capite potissimùm notis compuncti, neque expressa, uti aliàs fieri solet, captivitatis triremium causa, inscribuntur, in variasque triremes distribuuntur. Cumque tardiùs venditionis pretium solveretur, Germanicæ militiæ Duces die XX. Julii sanguinolentum consilium iniverant captivorum simul omnium repetendorum, & sclopetis configendorum. Repetierantque & confixerant miserè, nisi à Pro-Rege Neapolitano, Petro Alvarezio prohibiti, ne meditatum scelus exequerentur, fuissent. Nihil hic de horrendis, quas in triremibus per novem menses integros, graviores etiam iis, quas Turcæ, Æthiopes, Mauri bello capti, nec non malefici notorii, legitime convicti, & capite damnati in iisdem triremibus subire solent; fortissimo & constantissimo animo sustinuerunt, calamitatibus & miseriis, quibus fracti quatuor sub ipso triremium jugo expirárunt: nihil de Divinis, quibus se affici senserunt consolationibus: nihil de Evergetarum nonnullorum, quos inter unus, cujus nomen in Cœ-

Venditio eorum ad triremes,

vexatio horrenda in iis,

lo

lo ſcriptum, chartis hiſce illinere ſupersedemus, principem locum obtinebat, charitate erga captivos incredibili : nihil denique de Divina verè, & miraculo proxima eorundem ex fovea leonum, fornace Babylonica, & utero ceti per incomparabilem Heroem, Michaelem de Ruyter, alterum Belgii invictum Periclen, ſeu malumus dicere, Gedeonem, vindicatorum, liberatione dicam. Talia enim ſingula hæc ſunt, ut paucis dici nequeant ; digniſſima etiam, quæ ſpiſſiori quondam volumine conſignata, ad ſeram poſteritatem, perſecutionis inauditæ, & patientiæ plus quàm adamantinæ exempla cum ſacro horrore quodam admiraturam, transmittantur.

& ex iisdem Divina liberatio.

CCCXVII. Atque hæc ſeries eſt afflictionum, hic eventus confeſſorum ſanctiſſimorum, Poſonio Berentzinum, Comarinum, Eberhardinum, Leopoldin, ac tandem Neapolin ad infames triremes deportatorum. Neque verò mitioribus fatis reliqui viginti, tredecim ſcilicet Reformati, & Auguſtani ſeptem, in carceribus Sarwar, Kapuwar, Tergeſti Iſtriæ, & Buccaris Dalmatiæ nefanda & pluſquam Scythica crudelitate preſſi, & nonnulli etiam ſive morte tragica corporali, ſive ſpirituali etiam, per triſte naufragium fidei, oppreſſi, urgebantur. Et Poſonienſi quidem carcere extracti, poſtquam imperatam à Colonitzio ſubſcriptionem abnuerunt, conſtringendi ſtatim reſtibus, ipſomet Colonitzio numerata pecunia eas comparante, educti, & pars Sarwarinum, pars Kapuwarinum rapti, ibidemque Turcicis compedibus conſtricti, in carceres ſtercoreos, ſoricibus, ranis, bufonibus, ſerpentibus ſcatentes, detruſi, fame, ſiti, frigore, laboribus duriſſimis, indigniſſimis, ſordidiſſimis, contumeliisque nefariis ita diſcruciati ſunt, ut & ſuperiorum & horum confeſſorum afflictiones ab uno eodemque Phalaride dictatas eſſe, liquidò cognoſci potuerit. Inde d. 1. Julii A. M. D. C. LXXV. pro-

Hiſtoria reliquorum Paſtorum viginti, in carceribus Sarwar, Kapuwar, Tergeſti & Buccaris inauditis modis vexatorum.

producti triremiumque, dummodo emptores inveniri potuissent, (nam & Veneti, & novus Pro-Rex Neapolitanus, cui prædecessoris emptio displicuit, compellati, diserte negârunt, se tot jam miseriis confectos & forte innocentes mercari velle) servituti destinati, postquam quatuor mille, adeoque pro singulis ducentos florenos, ea lege oblatos, ut libellis subscriberent, respuissent; ductore Gabriele Kover, Colonitziani furoris satellite, campanarum, quocunque venissent, pulsu, ceu Dæmoniaci, uti latrones illi proclamaverant, excepti, ludibrioque habiti; Tergestem, in litore Maris Adriatici situm, adducti, atque ibi primò haris & stabulis inclusi sunt. Ibi propter unius fugam, cæteris insciis arreptam, innumeris plagis excarnificantur, barbisque & mystacibus, quin & pilis omnibus violenter, non sine menti læsione, evulsis, privantur cuncti; & fugitivus ex fuga reductus, cùm exquisitis quæstionibus & tormentis subditus, ut reliquos fugæ conscios fuisse confiteretur, induci non potuisset, ipsorum fratrum captivorum verberibus ita objicitur, ut carnificum instar singulis diebus bis fratrem suum, passionum hactenus consortem, percutere, multarum atrociumque plagarum renuentibus inflictarum metu, coacti fuerint. Non satis erat harpyis istis, miseros turpiter spoliare omnibus, & seminudos, unico longiori indusio è tela crassissima præparato tectos, relinquere. Etiam alios eorum causa expilandi libido eos incessit. Pactum enim cum captivis iniverant, quo quinque illorum mille & centum, quindecim verò mille quingentorum Imperialium lytro soluto, se liberaturos receperant. Mittitur captivorum unus Viennam, comitibus nonnullis, qui pro liberandis juxta pactum captivis quinque lytron, mille & centum Imperialium ab amicis impetrat, solvitque. Neque tamen nisi unus ille, qui missus, ab amicis ut non Tergestum, sed in

Hungariam reverteretur, monitus eſt, non tam volentibus hoſtibus, quàm conſulentibus amicis, liberatur. Reliqui etiam ſoluto pretio in carcere plorant. Miſſus etiam captivorum alius eſt Venetias, qui opera Viri Clariſſimi, & de captivis meritiſſimi Nicolai Zaffii τῦ μακαρίτυ, dimidiam lytri partem acquirit, eamque ſpe certa reſiduæ partis mox ab amicis impetrandæ, Duci offert. Ipſe quidem miſſus, at ſolus liberatur; reliqui verò in carcere, perinde ac ſi nihil omnino ſolutum eſſet, attinentur, diriusque etiam exercentur. Tergeſto menſe Octobri anni ejuſdem, militibus Croatis cincti, per prærupta ſaxa, nudis pedibus, diu noctuque inter continua à tergo & lateribus verbera & ictus, non tam erecti ambulantes, quàm humi proſtrati, manibus pedibusque reptantes, Buccarim, Dalmatiæ caſtellum, ad mare Adriaticum ſitum, inde jugo trium emium Melitenſium mox ſubjiciendi, avehuntur, ibique Andreæ Godermanno, homini truculentiſſimo omnium, mancipati, in carcerem ſordidiſſimum, utpote qui non tam carcer erat, quàm contigui carceris cloaca, ſtercoribus humanis inde à quinquaginta annis nunquam expurgatis, ex quibus etiam panem injectum, & fœtore eorum jam infectum tollere, & comedere coacti ſunt, referta, compinguntur. Tam fœdæ cuſtodiæ traditi, ſine mora tredecim numellis ferreis, quibus ob latitudinem mentum ſurſum ſublatum inclinare prohibebantur, per catenas duriſſimas, quibus vel onerati currus in præcipitio ſuſtentari poterant, ordine conſtricti, & miſeris modis colligati; reliqui verò cippis ligneis, & manicis ferreis ſupini coarctati, & per triginta novem dies integros in miſerabili hoc ſtatu detenti ſunt. Atque ita concatenati, horribile ſpectaculum, nonnunquam extra carcerem educti, ludibrioque protervorum quorumque expoſiti ſunt, occaſionem ſic captantibus nonnullis, Monachis inprimis, apo-

apoſtaſiam, ob mala tum præſentia, tum imminentia ſuadendi. Neque omnino irritæ ſuaſiones ceciderant. Nam decem numero, ſeptem Auguſtani & tres Reformati perſuaſi, totque inauditis calamitatibus fracti die XXII. Dec. nomina libellis dederunt, & liberatione nihilominus procraſtinata, ſequentis inſuper anni, menſis Februarii die XIX. triſtiſſimum fidei naufragium paſſi, vinculis equidem corporis ſeſe exſolverunt, at gravioribus longè animæ intricârunt. Ex ſuperſtitum conſtantiſſimorum numero, duo, ſeptimo Decembris, hora octava eadem, conſummato militiæ & patientiæ ſuæ curſu, piè in Domino obdormiverunt, & à captivis reliquis, effoſſo propriis eorum manibus in litore maris ſepulchro, & decantato ad tumulum Pſalmi LXXXVIII. threno, humati ſunt. Die XIII. Febr. A. M.D.C.LXXVI. ſuperſtites ſex denuo in prius illud ſordidiſſimum & obſcuriſſimum ergaſtulum, ex quo, ob præſentiſſimæ mortis periculum (longioribus ſcilicet miſeriis eos macerare placuit) aliquandiu relaxati fuerant, detruſi ſunt, tanta cum ſævitia, ut captivorum ſuperſtitum unus, morti proximus, ſolis ſuſpiriis, cùm ne verbum quidem proloqui ampliùs poſſet, ex imo pectore gemebundam animam trahens, violentis lictorum manibus correptus, per diſtortos gradus ſaxa & ligna, anguſtumque carceris foramen ita raptatus fuerit, ut ex nudo moriturientis corpore cutis & carnis fruſta, copioſo cum ſanguine, detrita lapidibus hæſerint; qui paulò poſt in carcere fœtidiſſimo piè defunctus, omni ſepultura caruit. Reliquis quinque in cloaca illa denuò uti priùs, compeditis, & cum intolerabili fœtore, inſectis, fame, ſiti certantibus, obnuntiatur rigidè, fore ut in ſterquiliniis iſtis miſerè ita concatenati computreſcant, niſi tandem apoſtatarum exemplo Evangelicam religionem ejurent. Reſpondentibus confeſſoribus, ſe pro Chriſto libenter ſubituros, quic-

quorum pars Buccari perſecutioni ſuccumbit,

pars ad extremum uſque eandem ſuſtinet,

quid impositum fuerit, panis hactenus insuetus commutatur in panem ex milio & furfure coctum, eumque modicum, quem à pueruli per angustum carceris foramen injectum, pedibus manibusque proreptantes, denuo ex stercoribus aliisque immunditiis tollere necessum habuerunt. Additum parumper aquæ, sed turbidæ; quandoque etiam nihil; ita ut panem durissimum, quo comedi posset, urina sua macerare coacti fuerint. In statu isthoc, continuisque tenebris, manserunt dies octoginta, ita interea toto corpore corrupti, ut jam vix loqui, vel loquentes invicem intelligere potuerint: sanguis & aqua continuo ex ore eorum, nihil etiam comedentium vel bibentium, quodque amplius claudere non poterant; copiosè profluxerit; gingivæ & fauces putredinem totæ contraxerint; dentes non sentientibus cum sputo exciderint; denique os maxillare & linguæ vitiosis humoribus tantum non consumptæ fuerint. Protestantibus contra inauditam tyrannidem captivis, quantum fari poterant, de sua innocentia & Christi causa, Vice-Præfectus Stanko respondit: *Facetis equidem in umbra mortis, doleoq; ego vicem vestram. Sed velinvitus hæc facio, quia sub pœna capitis, ut facerem, à Godermanno mihi injunctum est: huic vero sub eadem capitis pœna mandatum à Colonitzio est, ut his potissimùm modis vos excruciet.* Dum verò in medio omnis munditiei profundè demersi, miserèque concatenati, in sanguine suo, sputo & fimo volutabantur, non amplius se in hanc vel illam partem inclinare, vel capita extollere valentes; atque ita mortis hora non procul abesse visa est: nuntium liberationis, intercessione Ill. Legati Belgici impetratæ allatum est; quod tantùm non agonizantibus parùm profuturum credebatur. Ex carcere nihilominus, compedibus & numellis soluti, à sanguine inquinamentisque purgati, à militibus, cùm ob infirmitatem incedere non possent, in honestius domicilium

& vilina jam mori liberatur.

lium deportantur, lectisque puris linteaminibus stratis impositi, Sospitatori suo, cadavera potiùs quàm homines die 11. Maji M.D.C.LXXVI. traduntur. Cumque post quindecim dierum inediam, cibi offerrentur, ob exulceratas fauces vesci iis, nisi ingestis leniter, non poterant; jusculi vel vini guttis injectis ita fauces urentibus, ut ægerrimè cibum potumque admiserint. Exquisitissimâ acerbissimaque medicinâ illis à Medicis Pontificiis Johanne Nonno Anconitano, & Francisco Rinaldi, qui propria etiam manu, jurejurando interposito, testati sunt, *ità labefactatos, viribus destitutos, ob salsos acresq; humores in fœtidissimo carcere ex capite descendentes, caloremq; internum conficientes, in ore, palato, lingua, faucibus exulceratos liberatos se inveniisse, ut morituros potius quàm convalituros crediderint*; adhibitâ, quatuor per Dei gratiam, stigmata sua, etiam à me non sine horrore vitâ, in exilio circumferentes, convaluerant: quintus verò die XXIV. Maji Venetiis ob deploratam valetudinem, mortalitatis legem implevit.

CCCXVIII. Frustra verò inauditam, omnique divitate immaniorem tyrannidem suam coram mundo utcunque tegi posse, Colonitzius, & furoris ejusdem susceptores pessimi Jesuitæ, sperârunt. Percrebuit maturè satis in universo orbe, & architectis suis non apud Evangelicos duntaxat, sed ipsos etiam melioris notæ Pontificios infamiam incredibilem conciliavit. Hanc verò infamiæ notam ut abstergerent, simulque cornicum oculos configerent, ferocissimi omnium tyranni illi, Tyrnaviæ imprimi curant libellum famosum, cum inscriptione ejusmodi: *Succinctus & verax Judicialis Extractus, quo clarissimè demonstratur, Pastores Hungariæ Acatholicos non ob religionem, sed ob rebellionem depositos Regnoq; ejectos; singulosq; eos judicialiter convictos, justeq; damnatos esse; Delegato Regio Judicio Posonienſi accensus, & per ejusdem Secretariũ, qui ratione officii rebus omnibus interfuit,*

Examen Extractus Judicialis Tyrnaviæ editi, quo author demonstrare conatur, Pastores non ob religionem, sed ob rebellionem horrendam adhuc tempestatem subiviſſe.

omniaq; calamo fideliter tradidit, consignatus. Erat equidem in Judicio Posonienſi Secretarius Regiæ Tabulæ Johannes Labſantzky. Forte etiam fœtui huic edendo obſtetricatus eſt. Sed Jeſuitas, Kellionem inprimis, ejus authores fuiſſe, veriſimile prorſus eſt. Larvam mox ſcripto illi detraxit captivorum unus, qui ad triremes ductus fuga ſaluti ſuæ conſuluit, edita *funda Davidis contra Goliathum*, qua triginta craſſiſſimorum mendaciorum reum perſonatum illum Labſantzky, ſolidiſſimè peregit. Excepit paulò poſt *Apologia Miniſtrorum Evangelicorum Hungariæ, ad innocentiam ſuam orbi Chriſtiano declarandam, oppoſita Judicio Tribunalis Poſonienſis, à quo perduellionis crimine contra Regiam Majeſtatem iniquiſſimè accuſati & condemnati, non modo toto Regno proſcripti ſunt, ſed exemplo à pietate & manſuetudine Chriſtiana prorſus alieno, magnam partem ad triremes Hiſpanicas damnati.* Operæ pretium autem fuerit, perſonati illius Labzanky argumenta, quibus Paſtores rebellionis legitimè convictos damnatosque eſſe, probare ſuſtinuit, ad incudem revocare, eademque opera Paſtorum innocentiam ad liquidum perducere. Et *primò* quidem occaſionem rebellandi ſumpſiſſe Paſtores arguit inde, quòd ſtipendia à Rackozio in ejusdem ditione, Saros-Patakienſi maximè, ſibi ſubtracta animo ægerrimo tulerint, imò Paſtorum nonnemo, compoſitione à Zerinio Rakozii Socero tentata dixerit: *Hodie Rakozius latus ſuum vicies mille acinacibus cinxit.* Reſponderunt Paſtores fusè ad iſthoc ἔγκλημα. Summa huc redit: Cautum cùm fuerit Regio diplomate, ne proventus reales ad Scholas & Parochias Evangelicorum, ab antiqua fundatione per Patronos Evangelicos facta, pertinentes à quoquam occupari poſſit, Franciſcum Rakozium apoſtatam, unâ cum matre violenter illos occupâſſe, ea occaſione Rakozianos inter & Proceres Evangelicos ſubortam controverſiam eſſe; quam cùm Rex componere nec potuerit, nec voluerit,

rit, Zerinius Rakozii Socer authoritate ſua, juxta tenorem articulorum Poſonienſium, interpoſita, ſopiverit. Porro Paſtores injuria affectos, jure ſuo controverſiam moviſſe non Regi, contra quem fiat rebellio, ſed Rakozio raptori: turbas eo nomine moviſſe nullas, Patronis Evangelicis jura eorum defendentibus: poſt tranſactionem nihil unquam cum Zerinio vel Nadaſtio, Evangelii perſecutoribus acerrimis, commercii iis fuiſſe: Paſtorum illum *nonneminem* fuiſſe *neminem*: ſi enim *nonnemo* fuiſſet, nomen ejus editurum fuiſſe perſonatum illum haud dubiè, non parcentem aliâs nominibus: denique id omne pertinuiſſe ad Paſtores Hungariæ non omnes, ſed paucos, & quidem ad tales, qui pridem ante citationem violenter expulſi ſint, nemine eorum Poſonium citato, vel ibi comparente unquam. Sic deſperatæ cauſæ indicium initio ſtatim turpiſſimè Extractum illum prodidiſſe, liquet. *Secundò* allegat perſonatus literas hieroglyphicas Stephani Wittnyedy, Nadaſtii Secretarii eo tempore defuncti, easque geminas, priores ad Ambroſium Kőzerum, poſteriores ad Nicolaum Bethlen exaratas, & à miniſtro Rebellis cujusdam, Paſtoris Hungarici filio, pretio mille Imperialium conducto, ex Tranſylvania allatas, quarum tenor fuerit, ſe Paſtores in utraque Hungaria ad movendos auditorum ad conciendam rebellionem animos ritè præparâſſe. Atque in his literis Poſonienſes judices judicii ſui proram puppimque collocaverant. Tametſi verò Judices illi literarum illarum γνησιότητα ſimpliciter credi (quod à judice juſto alieniſſimum eſt) præceperant: adulterinas tamen fuiſſe, non Paſtores duntaxat Poſonii coram tribunali comparentes, ſuſpicati ſunt meritò, ſed poſtea etiam planè pleneque compertum eſt, poſtquam Nicolaus Bethlen in Tranſylvania Sedis Siculicalis Uduarhelyenſis ſupremus Capitaneus, ad quem poſteriores ſcriptæ ferebantur, ſuper-

perstes adhuc, eas penitius excussit, & supposititias esse, irrefragibilibus argumentis, publico scripto asseruit. Sed fuerint etiam literæ illæ, verè à Witnyedio scriptæ. Itane verò ad unius, & quidem jam tum demortui testis testimonium, tot homines Posonii comparentes, quorum ne unus quidem in testimonio illo nomine suo expressius fuit, rebellionis crimine arcessi, nedum condemnari potuerunt? Atqui tum Divina lex unius testis testimonium Deut. XIX. 15. diserte rejicit, duorumque vel trium testium os exigit: tum civilis etiam hominis mortui allegationem, adeoque testimonium adversus viventem ratum haberi, 2. *Part. tit.* 23. vetat. *Tertiò* crimina horrenda Pastorum, velut quòd fuerint incendiarii, cædium patratores, stercora sua Pontificiorum infantibus devoranda dederint, Sacerdotes Turcis vendiderint, iisdem munimenta præcipua tradere conati fuerint, aliaque nefanda, personatus allegat. Sed Diabolicis mendaciis innocentium famam ab eo profectam esse, satis constat. *Aliud enim certè*, Cicerone sapienter observante, *est maledicere, aliud accusare*, nedum condemnare. *Maledictio nihil habet propositi, præter contumeliam. Accusatio verò crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teste confirmet.* Tu verò, personate, accusator fratrum, quos homines notâsti, quo argumento probâsti, quo teste confirmâsti? Quin potiùs centumcubitalia, à Diabolo in inferno cusa esse, quæ protulisti, mendacia, accusati pertendunt. Si accusasse sufficit, quis innocens erit? *Quartò* fugisse Pastores, alios in Transylvaniam, in Turciam alios, cùm Coppius in Superiore Hungaria acie cum rebellibus confligens, superior evasit, personatus ait, atque inde rebelles fuisse infert. Egregia, si qua alia, prolatio! Rebellis igitur David, qui furorem sanguinarii Saulis evitaturus ad Regem Achis aufugit: rebellis ipse Christus (absit dicto blasphemia) qui audiens,

cap-

captivitatem Johannis, ex Judæa in Galilæam fugit, fuerit. Tot Apostolos, Sanctosque Patres omitto. Si qui igitur Pastorum fugerunt, non id sceleris conscientia, sed persecutorum immanitate adacti fecerunt, ante omnem quippe citationem, & contra omnia jura, sedibus suis exturbati, bonis privati, solum vertere coacti majorem apud ethnicos, quàm apud professos Christianos catholicos humanitatem experti. An verò illi, adversus quos ferro flammaque sævitum est, expectare citationem, hoc est, oves fugatæ & dissipatæ, luporum citantium judicium ultro subire debuerunt? Alii etiam, ne citationi parerent, à potestate legitima prohibiti sunt: alios vestigia nimis proh dolor! sanguinolenta terruerunt. Sed fuerit levis causa fugientium: quid verò id omne faciet adversus eos, qui non fugerunt, sed comparuerunt, non aliam ob causam, quàm quia comparuerunt, crudeliter oppressi? Sed Achilles personati est, quòd tot Pastores libellis subscribentes ultro rebellionis crimen confessi fuerint. Atqui ut præjudicium nonnullum *devoti meticulosi* illi, qui metu nimio subacti nomina sua libellis subsignârunt, bonæ causæ creaverint; at reos fuisse eosdem rebellionis, neutiquam consequitur. Neque enim aliis argumentis vel testimoniis rebellionis rei peracti sunt, quàm quibus eos etiam, qui ad finem usque constantes permanserunt, ejusdem criminis convincere hostes tentaverant. Cùm verò invalida prorsus hæc fuisse, hactenus ostensum sit, invalida quoque illa fuisse, conficitur meritò. Non igitur rebelles fuerunt Libellatici illi, seu, uti vocantur, Reversionalistæ, sed meticulosi; externo hominum persecutorum, non interno conscientiæ ob crimen objectum accusantis, terrore perculsi; tam leves plerique, ut nec dum auditis contra se accusationibus ex præscripto cleri quidvis subscripserint; inprimis cùm subscribentibus etiam merces, præsentaneæ pecuniæ pa-

ratæ fuerint. Accedit, quòd venenatæ formulæ libelli, quam Extractus recitat, quenquam comparentium subscripsisse, scelestè personatus in aperta luce mentiri ausus est. Omnes equidem libellatici quodammodo adversariis criminandi ansam dederunt. Er formulæ libellorum in prima citatione oblatorum duriores sanè fuerunt. At in posteriori citatione formulæ inserta plerunque à subscribentibus sunt verba: *quamvis non simus rebellioſæ complicitatis nobis conſcii.* Qua denique conscientia saltem Reformatis in Hungaria Pastoribus libellaticos ejusmodi personatus objecit? In tanto enim libellaticorum ducentorum triginta sex, quos ille allegat, numero, non ultra duos Reformatos reperire est, qui sive in priore, sive in posteriore termino citationis, munus suum se abdicaturos subscripserint. Constantioribus quinetiam Augustanis inconstantes jure præjudicare non potuerunt. Si qui enim inconstantium adversus constantes testimonium perhibuissent, in Judicio haud dubiè allegatum, iisdemque objectum fuisset. Cùm igitur jam supra idoneis argumentis Pastorum innocentiam comprobaverimus; atque etiamnum personatus ille adversus innocentiam eandem imbellibus calumniarum potiùs, ex puteo abyssi *extractarum*, quàm probationum telis pugnaverit: Pastores eosdem non perduellionis ullius meritò, sed puro puto religionis odio, non aliam scilicet ob causam, quàm quia exemplo Divi Ambrosii, Mediolanensis Episcopi, sicut ille Basilicas furioso Auxentio sic hi Ecclesias, Basilicas suas, ob solius Dei timorem, furiosissimo Colonitzio tradere recusârunt; atrocissimam tempestatem isthanc subvisse, concludimus.

Concluditur hiſtoria perſecutionis Hungaricæ.

CCCXIX. Longiùs, fateor, Hungaricæ persecutionis historiæ, salutarium documentorum feracissimæ, & patientiæ constantiæque, si quando similis tempestas fideles Dei servos premet, (quid enim inveteratis odiis, &

cre-

crescente in dies hostium Ecclesiæ sævitia, mitius nobis promittere ausimus?) acerrimum stimulum infixuræ pertexendæ, æstus quidam calamum huncce provexit, quòd interesse posteritatis, ne tristes memorabilesque imprimis ejusmodi ecclesiæ casus ignoret, dubitaverim omnino nullus. In viam ut revertamur, eodem Clemente Pontifice, in ipso Papatu veritas circa B. Virginis Mariæ & imaginum cultum nonnihil erumpere visa, at mox in herba iterum suffocata est.

CCCXX. Etenim quoad B. Mariæ cultum, Lovanii quarta vice edita sunt *Monita salutaria B.V. Mariæ ad cultores suos indiscretos.* Juxta leges Ecclesiæ Pontificiæ primùm A. M.D.C.LXXIII. prodierant munita facultate & approbatione Censoris Ordinarii, J. Gillemans, S. Theol. L. Ecclesiæ Cathedralis Gandavensis Canonici & Archipresbyteri. Cumque in manus cecidissent quorundam, qui, verba Authoris referam, *Monita illa vel non intelligentes, vel nolentes intelligere, in pravum sensum, imò & hæreticum, prorsus contra mentem Authoris & animum conati sunt torquere, atque ita vulgò suspecta & exosa reddere,* pro illorum defensione subsidiariis copiis & approbationibus utendum ratus, quartæ editioni præfixit approbationem P. de Walenburg, Episcopi Mysiensis, & Suffraganei Colonienſis; Pauli Aussemii Vicarii in Spiritualibus, Generalis ejusdem Archidiœcesis; Francisci Francken, S. Theol. D. & ad SS. Apostolos Decani; Henrici Patricii, SS. Theol. D. & Prof. Colonienſis; & Johannis Polch, Pastoris ad S. Cunibertum. Tametsi verò in Monitis illis non omnem prorsus illegitimum sui cultum B. Virgo, quæ inducitur, Maria prohibet: improbat tamen, rejicitque S. Scripturæ testimoniis perpetuis unicè freta, plurimos colendæ Θεοτόκου modos, qui partim olim à Mariolatris præscripti, partim hodieque in praxi publica passim recepti sunt; ita ut tum vete-

Veritas in Papatu hoc tempore erumpens, atque mox sopita iterum, circa cultum B. Virginis Mariæ.

res illos novosque Mariolatras, quos *indiscretos sui cultores* Maria vocat; partim praxin ipsam Ecclesiæ Pontificiæ obliquè ferirí & perstringi, manifestum sit. Utque monitis nonnullis huc translatis fidem faciam, testatur monetque Maria, *Se, quos amatores vult, imitatores cupere: Non omni spiritui credendum, nec facilè recipiendas omnes & quasvis historiunculas, quæ de suis apparitionibus, aut revelationibus, aut beneficiis & privilegiis promiscuè circumferuntur: Nemini confidendum, se cultores suos ex inferno ad pœnitentiam revocare, aut propter aridas aliquas devotiunculas in judicio defendere: neminem cultum sibi exhibentem, si charitatem non habeat, prædestinatum esse: Non esse privilegium ullum peccatori impœnitenti concessum, ut æternum non patiatur incendium, quantumvis se colore præsumpserit, nec quicquam tales adjuturas formulas & precatiunculas, aut signa & instrumenta pietatis, quæ gestaverit, nec confraternitates & Sodalitates, quibus nomen dederit: Cavendum esse à laqueo Diaboli, qui sub prætextu facilis externæ pietatis securitatem peccatoribus suadet, ut pœnitentiam differant, præsumentes de Divina misericordia, & sua intercessione illis non defutura: Non compati vel collachrymari se illis, qui à Filio suo damnantur: Baculum esse arundinum, putantium, quòd pietas externa sufficiat: Laudem, quæ sibi, ut sibi defertur, vanam esse: Se ante pedes Agni mittere coronam suam, & conservum nostram esse: Nolle se quidquam Deo subtrahere, vel cum illo dividere: Non se ita colendam, ac si non sufficeret Deus: Nullo alio, quàm Deo nos indigere, & in ipso habere omnia: Non desperandum ei, qui se non habeat, sed confidendum esse Christo: Non ita se colendam, ac si non daretur sine se aditus ad Deum per Christum: Non se colendam, quasi Deam subalternam: Non se Mediatricem vel Advocatam esse eo sensu, quo Filius est Mediator & Advocatus: Cavendum, ne per hyperbolen vel zelum immoderatum quidquam sibi tribuatur, quod soli Deo, vel Christo debetur: Non esse se omnipotentem, Salvatricem, Corredemptricem. A tribunali Divino ad suum appellari non posse: Nolle*

se

se excessiva encomia, vel vanas adulationes: Dicendum non esse quòd Christus sit Judex severus, Maria mater misericordiæ: Accedendum cum fiducia ad thronum gratiæ, nec trepidandum; trepidantes tamen se ad illum ducturam: Non plus temporis aut precum sibi, quàm Deo impendendum: Sibi, seu medio ad Deum, non stent, non nimiam inhærendum: Cum homines sua mancipia non sint, abstinendum esse servilibus titulis & signis inanibus & aulicis submissionibus: Se & sanctos cultu dulix, sive dilectionis & societatis; solum Deum cultu latriæ colendum: Non rectè se diligi, si statuæ suæ pretiosis vestibus & monilibus fulgeant, Christus verò in pauperibus suis egeat: Non sibi placere, quòd splendeant luminaribus imagines suæ; dum juxta illas squalent receptacula corporis Christi: Nullam statuis vel imaginibus suis virtutem inesse: Non existimandum, se fuscam aut nigram, aut quicquam momenti in colore situm esse: Non aliam se esse hic, aliam ibi; aliam in Monte-serrato, aliam in Monte-acuto: Non contendendum esse pro hac vel illa figura, hoc vel illo loco: Circa dotes & prærogativas suas contendendum non esse: Beatum esse, qui cum Apostolo se nihil judicat scire, quàm Jesum Christum, & hunc crucifixum. Quamvis verò simplices adeò stolidiqúe non sumus, quin fistulam dulce canentem agnoscamus ultro; Hypotheses háisce & κυρίας δόξας, qui volet, conferat licet cum iis, quæ B. Virgini Mariæ attribuerunt Scriptores veteres & recentiores, inprimis Pelbarti de Temeswar, Bernardini de Senis, & de Bustis, Jacobi de Voragine, Cæsarii, Antonini, Alani de Rupe, Salazares, Pozæ, Costeri, Mendozæ, alii: cum praxi inprimis Papatus, in cultu B. Virginis Mariæ totius religionis Christianæ arcem collocantis. Nullo certè negotio, qui id tentaverit, Papatum ἑαυτοντιμωρούμενον, adeoque αὐτοκατάκριτον deprehenderit. Oppugnatus equidem libellus est tum ab Episcopo Rhodensi, Ludovico Abelly; tum à Jesuita Johanne Crasseto. Neque tamen ei defensores & hyperaspistæ defuerunt, quos inter E-

piscopus Tornacensis editis literis Pastoralibus eminet.

nec non venerationem imaginum,

CCCXXI. Sed & circa cultum imaginum Doctorum in Papatu discordia gliscere cœpit. Ex Jesuitarum officina prodierat liber Maimburgii, adversus Iconoclastas, quo imaginum cultum ab antiquitate ejusdem commendare operosè sustinuit, pro more gravissimè in detrectatores cultus illius invectus. Ei se Pontificius Doctor haud incelebris opposuit, edito adversario scripto, in quo passim Maimburgium castigans, solidè efficaciterque probat, tribus primis Seculis in Ecclesiis & Proseuchis nullas omnino imagines expositas, nedum cultas esse; quarto Seculo à plurimis adhuc Ecclesiis imagines abfuisse; initio quinti non ad cultum, sed ad ornamentum & memoriam Martyrum erigi hinc inde eas cœpisse; cultum verò earundem seriùs in Ecclesiam irrepsisse, ac demum in Concilio septimo stabilitum esse. De Caroli M. libris adversus Concilium Nicænum secundum, & Concilio Francofurtensi ita adversus Maimburgium eundem Author doctissimus disputat, ut libros illos jussu, authoritate, consensu, quin & opera collocata Caroli M. scriptos, & ad Pontificem Adrianum missos esse, clarissimè demonstret. Cæterum liber doctissimus cùm rationibus refutari amplius non potuerit, authoritate, nisi fallor, proscriptus, paucis, quæ in manus nostras inciderunt, exemplaribus exceptis, tenebris damnatus est.

Clementi X. succedit Innocentius XI.

CCCXXII. Clementi X. die XII. Jul. A. M. D. C. LXXVI. defuncto, Cardinalis Benedictus Odeschalci Comensis natus, & in Conclavi Cardinalium à celebri præcone Papæ, Recannati, Capucino, effusè laudatus, die X. Sept. ejusdem anni Gallis præ cæteris annitentibus successit; Benedicti nomen in Baptismo acceptum, in nomen Innocentii XI. in gratam Innocentii X. à quo in Cardinalium numerum allectus est, memoriam, commutans. Hac-

ctenus quidem ita se gessit, ut laude Pontificis in posteriorum illorum numero optimi, cum Adriano forte & Marcello paria facientis, defraudandus non videatur; futurus etiam servus Dei revera bonus, si Asæ, Josaphati, Josiæ, Ezechiæ exemplo, excelsa abolere, quod tamen εὐχῆς μᾶλλον, ἢ ἐλπίδος ἐστὶ, conatus quandoque fuerit. Livio Odoschalchi Nepoti suo, ne in publico compareret, vel munera acciperet, neu spe ulla promotionis altioris animum suum lactaret, præcepit. Mox equidem Nobilis Venetus renuntiatus, & Dux Ceri creatus est. Ad altiora tamen ut promoveret Nepotem huncce, & vel Generalem Ecclesiæ, vel Nepotem, more hactenus recepto, declararet, nullis vel Nepotis ipsius, vel aliorum precibus induci hactenus se passus est, exemplo laude dignissimo Prædecessorum suorum nimia erga Nepotes studia damnans. Abolito Cardinalis Patroni nomine, Cardinalem Cibo Secretarium status & Superintendentem declaravit. Missis in Galliam, Hispaniam, Poloniam & Portugalliam nuntiis, pacem suasit. Judæorum Romæ commorantium numerum ad quinque mille contraxit, iisdemque urbem Romam à sordibus purgandam commisit, & fœnore iniquo interdixit. Episcopos Roma facessere jussos, ad Diœceses suas relegavit, & nonnisi idoneos, probéque exploratos, & examini rigido subjectos posthac eligere constituit, edita etiam lege, ne nisi literati Sacerdotes ad obeundas functiones promoveantur. Reformandorum ecclesiæ abusuum negotium quatuor Theologis, quos inter Recannati eminebat, dedit. Advocatis pauperibus eleemosynam dispertitus est liberalem, tanta confluentium, invicemque prementium multitudine, ut septem mulieres, duóve pueri oppressi extinctique fuerint. Cameram Apostolicam pecuniis mirè exhaustam cùm vidisset, ad familiares suos dixisse fertur, *nunquam se credidisse, S. Petri vi-*

cujus studium reformandi nonnulla, levioria licet, commendatur.

vicam

neam tantopere vastatam esse. Ut igitur splendidissimè eadem locupletetur, & S. Petrus Apostolus auri & argenti inops, in Cræsum Crassumque quempiam convertatur, nullum non lapidem, artis chryso-poetices haud indoctus, movit, movetque. Altieriis Roma discessuris, ut subsisterent ulteriùs, mandavit, ne alibi locorum artes expilandi antehac Romæ ab illis exerceri solitas, liberiùs exercerent. Reginæ Christinæ reditus annuos duodecies mille coronatorum decrevit, ea tamen lege, ut Cardinalibus ampliorem posthac honorem haberet. Ita verò minora nonnulla reformare occœpit, ut saniorum judicio, magis necessaria, non tam sua sorte, quàm aliorum, quibus reformatio Ecclesiæ sudes in oculis est, ardorem ejus sufflaminantium culpa, omiserit; luporum inprimis dentes, quibus innocuum gregem lacerare soleant, frangere & excutere neglexerit; Recannati inter alia pro suggestu pronuntiante, *adeò tardas esse ejus conceptiones, ut metuendum sit, ne abortus sequantur.* Quem aliàs etiam Papam pro suggestu eodem monentem, ut in sceleratos severiùs animadvertat, & Ministros deligat non juniores, sed adultiores, idem Papa lachrymabundus audivisse fertur. Bullam contra Neporismum, quem inde à Clemente VIII. ad sua usque tempora septendecim auri millionibus Cameram Apostolicam emunxisse, rationibus initis, subductisque calculis, deprehendit; adornari curavit, quæ tamen, reclamantibus Cardinalibus pluribus, iis maximè, qui ad Papale solium quandoque se consurrecturos, spem animo conceptam tenebant, promulgata non est, frustra identidem monitoriis suis consensum eorum solicitante Pontifice. In Jansenitarum partes propensior, Arnaldo, nec non Episcopo Gratianopolitano, Jansenitæ utrique, literas humanissimas perscripsit. Bellarminum quoque in Divorum numerum relaturus fuerat, nisi proposito Cardinales non pau-

ci

ci interceſſiſſent. Fruſtra quin etiam Monachos ad legem Κοινοβιωτικὴν, ſeu vitam communem revocare magno niſu conatus eſt, adverſantibus inſtituto ejus, præter Franciſcanos, omnibus.

CCCXXIII. Geſtivit verò admodum Pontifici huic animus, officia nonnulla, indulgentiáſque, quas ſuperfluas rebatur, abolere: dicere veriſſimè ſolitus, brevem orationem penetrare Cœlum, & ex indulgentiarum multitudine confuſionem in Eccleſia obortam eſſe. Die igitur XVII. Febr. A. M. D. C. LXXVIII. Raimundus Capiſuccus, ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter, *de mandato ſpeciali Sanctiſſimi Domini Innocentii, Papæ XI.* uti verba Decreti ſonant, edito eodem decreto, libellum inſcriptum: *Officium immaculatæ conceptionis Sanctiſſimæ virginis noſtræ Dominæ, approbatum à Summo Pontifice Paulo V. quo devotè illud recitantibus centum dierum indulgentiæ promittuntur, ſicut apparet ex Brevi ejus x. Jul. A.* M. D. C. XV. *Mediolani impreſſo*; ita prohibuit, ut nemo cujuſcunque ordinis, gradus & conditionis exiſtat, Officium illud apud ſe retinere, legere, imprimere, vel imprimi curare audeat, ſed ſtatim à decreti illius notitia, quicunque illud habuerit, locorum ordinariis, aut inquiſitoribus tradere, ſub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis teneatur. Paulò poſt, die nimirum VII. Martii A. M. D. C. LXXVIII. Congregatio Sacra indulgentiis, ſacríſque reliquiis præpoſita, *cuncta ſua Sanctitate probante, & inviolatè ſervari jubente*, decretum prægnantius, cui Aloyſius Cardinalis Homo-Deus, & Michaël Angelus Riccius Secretarius ſubſcripſerunt, die XII. Martii ejuſdem anni ad valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, aliiſque ſolitis urbis locis affixum publicatúmque, edidit, quo indulgentiarum magnam farraginem ſuppreſſit. *Delatæ*, ita Decretum præfatur, *ſæpius fuere ad ſacram congregationem, indulgentiis, ſacríſque reliquiis præpoſitam, Indulgentiæ quædam conſi-*

Indulgentiæ idem complures abolet.

ctæ & omnino falsæ, quæ per diversas orbis Christiani partes circumferuntur; aliæ verò examinandæ, quæ adhibito studio inventæ sunt vel Apocryphæ, vel à Romanis Pontificibus revocatæ, vel nullæ, quòd datum iis tempus præteriisset: quarum quidem plurimæ, cùm non facilem cognitionem habeant Christi fideles, harum rerum minùs peritos fallunt, qui spe indulgentiæ remissionisque peccatorum suorum consequendæ frustrantur. Quamobrem eadem sacra Congregatio vehementer cupiens huic malo magis indies serpenti occurrere, animarum profectui, & indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia colligi, & in indicem referri curavit. Mox referuntur prolixa seric indulgentiæ variæ, concessiæ à Pontificibus Johanne II. Sixto IV. Urbano II. Eugenio III. Innocentio III. Bonifacio IX. Johanne XXII. Alexandro VI. Leone X. Pio IV. Clemente VIII. Paulo V. Gregorio XV. Urbano VIII. Clemente X. Subjiciuntur etiam aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, coronis mysteriorum passionis Christi; quæ magno numero recensentur: demum omnes indulgentiæ concessiæ ante decretum Clementis VIII. rosariis, granis, seu calculis, crucibus & imaginibus sacris; vel ante Breve Pauli V. quod incipit: *Romanus Pontifex* &c. editum XXIII. Maji A. M. D. C. VI. personis Regularibus quarumcunque religionum & Ordinum, etiam mendicantium; vel ante constitutionem CXV. Clementis VIII. & LXXVIII. Pauli V. habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate etiam Jesu, Capitulo vel cœtu quocunque; vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliisque personis: tum Summaria indulgentiarum pro Congregationibus doctrinæ Christianæ, confraternitatibus S. Trinitatis & Redemptionis Captivorum nominis Dei, Rosarii B. Mariæ, &c. Tandem indulgentias stationum urbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam be-

neficio vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, ordinibus, aut personis; diebus tantùm stationum in Missali Romano descriptis, suffragari posse; Semel autem duntaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri. Utrique huic decreto variæ Conciliorum, Patrum & Theologorum gnomæ, quibus decreti illius æquitas defenditur, subjiciuntur. Memorabilis inter alias est illa Innocentii III. *lib.* 1. *Epist. ad Cantuarienſem & alios Episcopos*, ubi sic ille: *Sicut ea, quæ à Prædecessoribus nostris provida fuerunt deliberatione statuta, nullatenus irritari volumus vel infringi: sic ea, quæ ab eis sunt per obreptionem obtenta in honestatis Ecclesiasticæ detrimentum corrigi volumus, & in statum redigi meliorem.* Sed & Bulla Sabbathina ibidem critico Theologorum Parisiensium Claudii Bloini, Natalis Vareti, & Natalis de Bretigneres, veru confodiuntur. Denique clauduntur decreta isthæc verbis Petri Damiani *Præfat. vit.* 1. *Mauri Cæsen. Episcopi*, quæ ejusmodi sunt: *Contemnendus pincerna est, qui dum vini copiam jactat, fœcem quoque punienda temeritate propinat.* Constat satis decreta isthæc, non malo certè animo condita, adeò diversis animorum motibus excepta esse, ut non defuerint hodierni Papatus magni Atlantes, qui, Jesuitarum, quibus moderni Pontificis candor displicere videtur, haud dubiè instinctu, asta voce asseverarent, plus illa Papatui nocere, quàm Evangelici quinquaginta annorum intervallo nocere integro Regno cuipiam potuerint.

CCCXXIV. Quantopere Pontificius Clerus Angliæ Regnum ad Romani Pontificis obedientiam postliminio reducere non semel conatus fuerit, supra non uno loco narravimus. Et magnis quidem ausis, quæ Dei, fidi Israëlis custodis, ineffabilis bonitas est, nunquam non excidit. Quiescere equidem pertinaces insidiæ post pulverariam con-

Cleri Pontificii factarum primis adversus Regem Angliæ, religionem, statumque universum Angl. exitibilis conspiratio.

conſpirationem vſæ ſunt: quanquam in triſtiſſima tragœdia illa, qua Carolus Jacobi Filius diriſſimo & inaudito exemplo è medio ſublatus eſt, haud poſtremas partes, accendendis intendendíſque ſaltem partium exulceratarum odiis, tractâſſe Pontificios, non deſunt, qui exquiſitis rerum documentis comprobent. Cœterùm inſidiarum machinationúmque perpetuarum ignem ſub doloſo cinere latuiſſe, quin & ſæviiſſe ſine intermiſſione ulla, fidem facit noviſſima conſpiratio adverſus moderni Angliæ Regis vitam, Regni ſtatum, & Religionem in eo Evangelicam, quæ diu ante concepta, demum Octobri Anni M.D.C. LXXVIII. indicio accuratiſſimo Titi Oatis, Bedlovii & France juratorum teſtium; nec non Edmundi Berry Gothfrey, ad cognoſcendam conjurationis ab Oate primùm detectæ cauſam delegati judicis primarii ſubitanea & clancularia cæde, nec non reorum non unius generis, Colemanni inprimis Secretarii, cui nomen Langshornii erat, & Jeſuitarum aliquot convictione, conſenſúque Parlamenti totius, patefacta & comprobata eſt. Conſpirationis architecti denuo Jeſuitæ, parricidiorum doctores ductoréſque, fuerunt; Oliva inprimis, eorum Generalis, qui officia ſua conjuratis, etiam exercitui ingenti conſcribendo diſtribuit; nec non Jeſuitæ Angli, Thomas Whitebrand & Richardus Strong, Provinciales, Ahsly, Harcourt, Jenniſon, Keines, Wright, aliíque Hiſpani etiam complures; quibus alii quoque tum Monachi Angli, Benedictini, Carmelitæ, Franciſcani & Dominicani; tum Sacerdotes, quorum ſingulorum, ut & aliorum complicum, nomina in Actis, Parlamenti Anglicani juſſu vulgatis, edita videre eſt; ſuppetias tulerunt. Bullam equidem, qua nova Papalis, quam in Angliam introducere conjurati meditabantur, tum Hierarchia, tum regiminis Politici forma præſcripta continebatur, conjurati iidem, ceu à Pontifi-

tifice ipso profectam venditaverant: quam tamen à Jesuitis potiùs confictam fuisse, saniores judicârunt. De eo quicquid sit, id certum est, Londini in Concilio Jesuitarum, Sathanico œstro percitorum, Regem capitaliter accusatum damnatúmque esse; & damnatione eadem etiam Regis fratrem, siquidem coronam Regni, ceu beneficium Papæ accipere, novam hierarchiam tueri, in Regis fratris, & subditorum Protestantium dirissimam necem, urbísque Londinensis & aliarum incendium consentire, denique universa Protestantium sacra abolere, & Papatum invehere recusaverit, nec non Principem Arausionensem, utpote Stuartorum propaginem, comprehensos fuisse. Steterátque sententia, *Regem* quidem per Monachos Benedictinos Anglos, Andertonum & Coniers, nec non allectos in societatem facinoris Hibernos quatuor, gladio seu cultro oblongo; atque si id non succederet, per Pickeringium & Graves, sclopeto; demum, si & hic conatus irritus caderet, opera Georgii Wackemanni, Reginæ Archiatri, quindecim mille librarum mercede, Doctore Forgathy & Colemanno cum eo contracturis, conducendi, veneno propinato: *Fratrem Regis*, siquidem spem de se conceptam fefellerit, aliis dirísque etiam modis: denique Principem *Arausionensem*, duodecim Jesuitis in Hollandiam ablegandis, sanguinaria adversus eum consilia machinaturis, è medio tollere, atque sic Regnatricem domum Stuartorum radicitus extirpare. Occupatio verò & subjugatio Regnorum Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ ejusmodi decreta & concluśa est, ut Hibernia quidem tum intestinis motibus, post cædem Ducis Ormontii, per quatuor sicarios Hibernos designatos, patrandam, excitatis; tum peregrinorum armorum vi, suppetias Hibernis ab Episcopo & Clero Dublinensi à fidelitatis juramento Regi præstito relaxandis, latura, in potestatem redigatur: Anglia verò & Scotia,

ſparſis in utraque per Jeſuitas Presbyterianorum perſonas mentientes, & ſub hac larva populum adverſus Epiſcopos, in Scotia cumprimis, concitantes, diſcordiæ ſeminibus, internis diſſidiis colliſæ, debilitatæ, & poſt violentam mortem Regis, conſurgente exercitu triginta millium Pontificiorum, occultè, ducibus cum Provinciali Angliæ imperia diſtribuente, arcto fœdere colligatis, diſpoſito, & cum ſuperveniente exotica poteſtate conjuncto, urbibuſque etiam præcipuis incendio ſubito deſtinatis, occupatæ ſubverſæque, ſub jugum Romani Pontificis mittantur. Novi etiam illius, quod meditabantur, Regni adminiſtros in anteceſſum deſignari placuit. Nominatim autem Jeſuitæ Provinciali Whitebrando dignitas & munus Archiepiſcopi Cantuarienſis; Calcari Epiſcopi Londinenſis; Bellaſi, Generalis; Comiti Arundelii, Cancellarii, Powes, Archithesaurarii; Wilhelmo Godolphin, Secreti Sigilli Cuſtodis; Strafforto, Quæſtoris; Colemanno, Secretarii Status; aliis alia munera dignitateſve deſtinatæ fuerant.

detecta per Titum Oatem

CCCXXV. Cùm eouſque conſilia conjuratorum promota fuiſſent, ut res propediem in nervum eruptura videretur, Deus Uncti & Eccleſiæ ſuæ pervigil cuſtos, qui in Cœlo habitans hoſtium Regni ſui conſilia ridere & ſubſannare ſolet, quique toties Anglicanam Eccleſiam è præſentiſſimo diſcrimine liberavit, eandem etiamnum ſibi, pro ineffabili gratia & bonitate ſua, curæ eſſe, teſtificatus eſt. Movit enim cor conjuratorum non poſtremi, Titi Oatis, qui nefariæ ſocietatis illius Secretarius, minima quæque calamo conſignaverat, ut meditati ſceleris, jam jam patrandi, horrore perculſus, & pia pœnitudine ductus, impia conſilia detegere animum ſuum induxerit. Et primò quidem illa in Tongii, Theologi Angli, quem Jeſuitis ob privatas ſimultates & infenſum & inviſum eſſe cognove-

rat,

rat, sinum effundere placuit. Mox verò circa initium Octobris A.M. D. C. LXXVIII. tota conjurationis series ex Ephemeridibus ejusdem Oatis, Regiis prodita est. Absente Rege sine mora nonnulli in vincula rapti; judicésque iis, qui causam cognoscerent, dati sunt. Inter eos haud postremus Edmondus Berry, Gothfrey die XII. Octobr. in secretum conclave, eo prætextu, quòd conjurationis arcana nonnulla detegenda ei sint, seductus, conscriis Jesuitis tribus, per Robertum Grien, Laurentium Hill, aliósque nefariè strangulatus, & cadaver ejus pugione confossum in foveam projectum est. Conjurati non pauci convicti, damnatique legitimè, tragica morte conceptum animo nefas expiârunt: quos inter Colemannus ex propriis scriptis testibúsque pluribus convictus licet, pertinaciter crimen diffiteri non desiit. Eadem pertinacia Jesuitæ & sacerdotes Whitebrandus Provincialis, Harcourtus, Fenwikius, Gavanus & Turnerus d. XX. Junii M. D. C. LXXIX. adsupplicium ducti, crimina, quorum legitimè convicti sunt, morientium fide inficiari, Deóque sic & hominibus illudere non erubuerunt: quod juxta receptam æquivocationum doctrinam illos apud suos quidem excusatè facere potuisse, libro publica authoritate Londini eodem anno edito clarissimè probatum est. Cæterùm universæ conspirationis illius sacrimæ, à novissimis Cyclopibus, Regni Pontificii propagandi fervore sideratis, institutæ historiam, Parlamenti Anglicani authoritate publici juris factam, prolixiùs repetere supersedemus, Deo T. O. M. quas debemus, maximas & immortales gratias persolventes meritò, quòd à cervice Regis, Regni & Ecclesiæ, inprimis suæ iterum exquisitissimas hostium insidias, exitiumque præsentissimum, clementer adeò potentérque averruncavit.

& supplicijs reorum magis patefacta.

CCCXXVI. Magnis conatibus in Anglia cùm sic Ec-

Clerus in Anglia magnis

auſibus excidens, ad Eccleſias Gallicanas perverſas ſeſe convertit.

Eccleſiæ Romanæ clerus exciderit, impetum poſthac omnem in Hugenotos Galliæ, ſeu Eccleſias Proteſtantes Gallicanas, majore hactenus triſtioríque, Deo permittente, & ſuam inibi familiam longæ pacis uſura corruptam, vel explorante, vel caſtigante; ſucceſſu, convertit. Forte etiam Jeſuita præcipuæ in Gallia authoritatis, qui in Anglicanæ conſpirationis ulcere ungues ſuos nimiùm demeríos habuiſſe ferebatur, ſive attentati criminis reus fuit, ſive nullo ſuo merito delatus eſt, vindictam ſpirans, inſito præterea adverſus Proteſtantes odio, noviſſimæ perſecutionis æſtum non parùm auxit, animóſque exulceratos ad meditandam *πανολεθρίαν* ampliùs exaſperavit. Invitus equidem, fateor, nec ſine gravi dolore animi, ad memorandas noviſſimas Eccleſiæ illius afflictiones, attingendámque adeò nigerrimam illam nubem, qua Cœlum hodie Gallicanum aſperatur & contriſtatur, accedo, cùm *talibus malis*, uti S. Auguſtinus *Epiſt.* 122. loquitur, *non tam prolixi libri, quàm prolixi fletus & gemitus debeantur.* Quia tamen res gravis momenti viſa eſt, modúſque perſecutionis non tam novus quàm renovatus ejuſmodi eſt, ut ſimulationum involucris violentiam ſuam tegat, eíque vela quædam obtendens, dum vim differt, mille obliquarum & Simoniarum artium dolorúmque vafritie incautos hominum animos premat & tantùm non opprimat; omittere non poſſum, quin rei totius ſeriem paucis pandam, eadémque opera piorum *συναγωνισμὸν* ardentiſſimum provocem. Exquiſitæ verò perſecutionis illius culpam in doli machinatore Eccleſiæ Romanæ, cujus ſolius hiſtoriam proſequimur, clero ſimulata pietate in potentum animis regnante, unicè reſidere, res ipſa certè clamat.

Edicti Nannetenſis, quo Eccleſiarum Gallicarum

CCCXXVII. Quàm ſævis cum tempeſtatibus Eccleſia Gallicana puriorem Dei cultum amplexa, ſuperiore Seculo conflictata fuerit, in loco abundè expoſuimus. Primus

mus Henricus IV. *Magni* nomen promeritus, post domitum in Regno toto Henoticæ factionis monstrum, non alia ratione Regno pacem & quietem solidam constare posse censuit, quàm si post varia edicta Prædecessorum, minùs ad stabilem concordiam proficua, legem concordiæ inter partes hactenus distractas civilibus bellis perpetuam & irrefragabilem, solenniore modo, sanciret. *Auditis* itaque, uti ipse Rex loquitur, *Catholico-Romanorum querelis de cultu suo non ubique per Regnum exercito; Reformatorum verò de violata edictorum præcedentium fide, deque iis, quæ ad exercitium religionis suæ addi petebant, libertate conscientiarum, personarum & fortunarum securitate, collatis & recognitis præcedentibus edictis*; Edictum A.M.D.XC.VIII. condidit, quod à loco Nantes, quo conditum est, *Nannetense* dicitur. Componendi ejus negotium Viris ex utraque religione sapientia & moderatione maximè conspicuis, Schombergio, Thuano, Vico & Caligunoni datum est. Scopus edicti erat, *ut si nondum ea forma religionis permisisset se coli à subditis, eadem saltem intentione id fieret, & tali cum regula, ut nihil religionis causa tumultuum aut turbarum in Regno existeret, utque sic cultus Dei fieret ab omnibus subditis, interque eos firma & durabilis pax statuminaretur, ablata causa turbarum, quæ ob religionem accidere possent.* Post Rex Deum precatur, *omnibus is persuadeat firmiter, in legis hujus observantia, post officium erga Deum & Regem positum esse præcipuum unionis & concordiæ fundamentum, restitutionémque totius status in pristinum splendorem, robur atque opulentiam.* Addit: *Necessarium judicavimus omnibus subditis hac de causa ponere legem generalem, claram, disertam & absolutam, per quam regantur in omnibus controversiis religionis causa & natis & nascituris, in qua utrique consentiant.* Item: *Hoc edicto perpetuo & irrevocabili statuimus*, &c. Plura ejusmodi in præfatione edicti legere est. Ex quibus liquet, conditoris decreti, quod à Rege jam Pontificio, eo tempore, quo bella per

Ref. libertas nititur, historia narratur.

religionis causam antehac mota quiescebant, adeóque liberrima sponte, nullo metu, vi nulla adacto, profectum est, eam mentem fuisse, ut Edictum isthoc Nannetense lex Regni *fundamentalis, generalis, clara, diserta, absoluta, regula controversiarum ob diversitatem religionis oborientium, irrevocabilis*, &c. habeatur ab omnibus. Eadem necessitatis, utilitatis ad salutem Regni, eandem αὐθεντίαν & perpetuitatem Edicto illi Filius Ludovicus XIII. declaratione 1. Maji A. M.D.C.X. edita, qua declarat, *licet edictum hoc sit perpetuum & irrefragabile, ut confirmatione per novam declarationem non indigeat; Se tamen ex sententia sua Principúmque Sanguinis, Parium & Officiariorum Coronæ, statuere, ut edictum illud in omnibus capitibus & articulis, unà cum decretis & statutis super interpretatione & executione ejus factis, inviolatum servetur, & contraeuntes, ceu publicæ quietis perturbatores, severè puniantur*; attribuit. Et ne Reformati ob motus, quibus Duce Rohanio nonnulli impliciti fuerant, libertate per edictum illud stabilita excidisse viderentur, idem Rex novo edicto, mense Julio A. M.D.C.XXIX. Nemausi promulgato eandem confirmavit his verbis: *Volumus, ut Reformati per omnia fruantur Edicto Nannetensi, & aliis edictis, Articulis, Brevibus, Declarationibus in acta Parlamentorum relatis, & propterea habeant liberum exercitium dictæ religionis in omnibus locis, ubi pax illa conceditur.* Nihil de moderni Regis Christianissimi benignissimi declarationibus, d. VIII. Julii A. M.D.C.XLIII. nec non XXI. Maji A. M. D. C. LII. editis, quibus luculentissimè cùm Edictum Nannetense, tum alia etiam in gratiam Reformatorum condita, confirmantur, dicam. Edicti porro illius Pontificiorum maximè respectu utilitatem Illustris Vir Petrus Bellojus, Consiliarius Regius, & Advocatus in Parlamento Tholosano Generalis, publico scripto; nec non Petrus Matthæus *Histor. Henrici IV. lib. II.* demonstrârunt. Præterquam enim quòd vi Edicti illius Reformatis

in

in quibuſdam duntaxat locis, at Pontificiis promiſcuè in omnibus, liberum religionis exercitium conceſſum eſt; grande etiam emolumentum ex eo ad Clerum Pontificium redundavit, cùm per illud præter alia bona eccleſiaſtica, quibus antea privati fuerant, etiam decimarum penſiones, quas Reformati iis, qui eorum Paſtores non erant, ante Edictum illud non debuerant, ei redditæ fuerint. Statuerat quidem ſolenni diplomate Henricus IV. ut Reformatis in compenſationem decimarum, quas Clero Romano pendere cogebantur, ex ærario Regio quotannis, in ſumptus alendis Paſtoribus neceſſarios, centum triginta quinque millia librarum erogentur. Diu tamen eſt, quòd ſummam eam ſibi, legi obtemperantibus, decimáſque pendentibus licet, non perſolvi amplius iidem conqueruntur.

CCCXXVIII. Non obſtante ſalutari Edicto, quod ex conditorum mente irrefragabile & ſacroſanctum eſſe debuerat, inde ab annis potiſſimùm viginti, & quod excurrit, Clerus Pontificius, continuis machinationibus, inſidiis, interpretationibus ſubdolis, aliiſque artibus vaferrimis eò fere rem deduxit, ut ejus cardines & fundamenta pleraque convulſa jam ſint, & convellantur indies. Cùm enim ejus præcipua capita, Evangelicos concernentia, circa libertatem conſcientiæ, conſolationem ægrotantium & afflictorum, educationem liberorum, loca exercitiorum & Scholarum publicarum, diſciplinæ Eccleſiaſticæ liberum exercitium, Camerarum Edictalium tribunalia, Juſtitiæ ἀπροσωπολήπτως adminiſtrandæ ergo inſtituta, admiſſionem Reformatorum ad pares prærogativas, omnes artes, profeſſiones & munera publica, verſentur; ſingula iſthæc labefactata eſſe nimium, & labefactari quotidie, experientia triſtis nimium proh, dolor! nimiúmque comprobat.

Modernis perſecutionibus violari illud variè oſtenditur.

CCCXXIX. Etenim quoad *libertatem conſcientiæ* cautum *nominatim ſui articuli cens.*

Reformatis libertatem conscientiæ;

tum est Edicti articulo Generali sexto, ut Reformatis æquè ac Pontificiis liberum sit vivere & habitare in omnibus urbibus & locis Regni, *ita ut non inquirantur, non vexentur, molestia nulla afficiantur, nec constringantur quicquam facere in religionis causa contra conscientiam suam, nec propter illam quæstionem ullam patiantur in domibus & locis, ubi habitare volunt.* Articulo quin etiam decimo nono sancitur, *ne Reformati ullo modo adstringantur, aut maneant obligati ratione abjurationum, promissionum, aut juramentorum antehac præstitorum, aut cautionum & fide jussionum per eos datarum, in causa religionis; neque ideo possint vexari aut molestia affici quocunque modo.* Judicet porro, qui volet, an ejusmodi conscientiæ libertas ampliùs constet iis, qui inconsideratiùs ad Pontificios transeuntes, redire ad Reformatam, quam priùs confessi fuerant, religionem, quantumvis angente & torquente conscientia, prohibentur; quos vel perpetuo conscientiæ tormento flagellari, si obediverint; vel perpetui exilii, si non obediverint, multam sustinere oportet: qui post subitos semel ordines sacros, imò hodie Pontificii sine discrimine omnes, Reformatam religionem amplecti quolibet prætextu vetantur, adeóque pœnarum metu eam religionem, quam pravam existimant, retinere coguntur: qui hostiam à sacrificulo circumgestari solitam ex improviso obviam, & indeclinabilem, reverentia & capitis apertione, alicubi etiam geniculatione, aliisque modis, quibus professi Pontificii Sacramentum sibi occurrens prosequuntur, honorare, sub gravi pœna, imperantur; adeóque ad idololatriam adstringuntur, etiam ex mente Pontificiorum, cùm ab ipsis exigatur adoratio Divina ejus rei, quam se pro Deo nec habere, nec habere posse, disertis verbis testantur: qui qualibet occasione, veluti cùm præsentibus Pontificiis, quos movere sermo potest, fidei suæ rationem reddunt, vel objectionibus motis respondent, vel quærentes

de

de religione instituunt, vel petentibus libros orthodoxos mutuos concedunt, *subornationis & inductionis*, quam Edictum Nannetense ad infantes invitis parentibus solicitatos & impuberes restringit, accusantur, & non rarò peracti rei pœnam luunt: qui auditores suos de fidei Pontificiæ falsitate ex Dei verbo instituentes, vel violati respectus, vel impietatis & blasphemiæ ilico coram judice infenso insimulantur: qui laudum Divinarum celebratione,& hymnorum Davidis à Spiritu S. inspiratorum cantu intra privatos parietes interdicuntur: qui errores & superstitiones, qui in Romana Ecclesia invaluerunt, arguere ex Dei verbo, & scapham scapham appellare vetantur: qui libros religionem concernentes, superstitionémque Pontificiam paulò liberiùs perstringentes imprimere & vendere,citra permissionem Magistratuum & Procuratorum Regiorum prohibentur: qui Templis & exercitiis religionis publicis innumeris, celebribus quin etiam hactenus scholis & Academiis privati, verbum Dei vel planè non, vel non sine gravissimis sumptibus & difficultatibus audire possunt: qui ob solam religionis professionem tot vitæ & fortunarum discrimina subire, tot tœdia molestiásque devorare, tot ludibria & opprobria sacrificulorum, Zelotarum iniquissimorum, & eorundem tribunitiis concionibus inflammati, sævientis & lascivientis populi perferre coguntur: qui in deplorato ejusmodi statu positi, nec aliò sine ingenti vitæ & fortunarum discrimine migrare, nec in Regno tutò vivere, vel spirituali verbi Divini cibo vesci possunt; adeóque Regnum pro carcere, ex quo pejora in dies metuenda sunt, habere coguntur. Atqui pleraque hæc recentissimis edictis, quorum dies, anni & tenor vulgo notissimi sunt; confirmata, & quotidie impune patrata, conscientiæ libertatem vel imminutam plurimùm, vel alicubi etiam sublatam penitus, manifestè arguunt.

Ægrorum & afflictorum consolationem;

CCCXXX. *Ægrorum & afflictorum consolatio*, si quid aliud, ad conscientiæ libertatem pertinet. De ea sic Edicti articulo quarto particulari cautum legimus: *Non tenebuntur hortationes accipere, cùm ægrotabunt, aut morti appropinquabunt, sive per Magistratum damnati, sive alii, ab aliis, quàm religionis suæ consortibus; poterúntque frui consolationibus & visitationibus Ministrorum suorum sine ulla turbatione.* Articulo huic conformes sint nec ne novissimæ circa ægrotantes & afflictos consolandos & visitandos declarationes, edicta & decreta, iterum pii & prudentes arbitrentur omnes. Eousque Ecclesiasticorum potentia & inhumanitas prævaluit, ut declaratio ejusmodi jam A. M. D. C. LXIV. promulgata fuerit, *licere Parochis locorum* (Pontificiis) *comitibus judice, scabino aut consule, ægrotanti se sistere, & ex illo cognoscere, in Religione Pontificia, an Reformata, mori velit.* Leve hoc videbitur, sacrificulum tale quid ex ægrotantibus percontari, dummodo ad mutationem religionis solicitare quenquam integrum ei non sit. Atqui & turbatio manifesta hæc est ægrotantium, & fidem omnem experientiámque superat, Parochum Curatum, super insitam licentiam adversus eos, qui omnium injuriis expositi sunt, nixum authoritate præsentis Magistratus Pontificii, compotémque ita & dominum conclavis, in quo æger decumbit, nihil prolaturum, illi ad partes suas solicitando, inprimis cùm neglecta conditione apposita, Curati sive Parochi, imò alii etiam sacrificuli & Monachi non vocati, soli ad ægrotantes multis in locis ingrediantur; quin & (fit hoc planè præter tenorem edicti ab iis, qui odiosa non restringunt, sed prolubitu ampliant) ægrotantis consanguineis proximis, ei hactenus assistentibus, secedere jussis, scrutinium ifthoc ferè peragi soleat. Ita, dum æger, sive ob morbum parùm mentis suæ compos annuens votis, sive ambiguo generalíque verbo bona rectáque intentione usus, sive civili-

bus

bus verbis prolocutus id, quod præter mentem ejus ad religionis negotium rapi poteſt, ſive nutu etiam & geſtu, cujus interpretatio huc illuc torqueri poteſt, uſus, ſtatim Pontificius proclamatur; ilico uxor à marito, liberi à parente, propinquus à propinquo, amicus ab amico avellitur, ſoliſque Pontificiis ingreſſus in conclave, cæteris charitatibus non ſine contumelia, ceu hoſtibus ab arce obſeſſa, procul amotis, conceditur: mortuus Romano ritu ſepelitur, & liberi impuberéſque in Pontificia confeſſione educantur: convaleſcens verò nequicquam proteſtatus de injuria, vel ad Pontificia ſacra adigitur, vel *Relapſi* pœnam ſtatutam ſubit. Teſtor fidem hominum, an diritus aliquid excogitari potuerit perturbatione tanta morientium, qui in decretorio iſto certamine, quo pro æternitatis brabeo, ſi unquam aliâs, decertandum iis validè eſt, adeóque eo etiam temporis articulo, quo

Labuntur frigida letho
Lumina, purpureus quondam color ora relinquit;

à novis veluti furiis iſtis ita torquentur cruciantúrque, ut valentes adhuc de agone ejuſmodi nunquam ſine horrore cogitare poſſint. Taceo quòd ii, qui ſive inquilini, ſive advenæ, Xenodochia & noſocomia ſubire coguntur, ſi lethalem in morbum inciderint, paſſim conſolatoribus Evangelicis privantur, ſubſtitutis ſacrificulis & Monachis, qui ad pervertendos miſeros nullum non lapidem movent: quodque captivos & damnatos nonniſi ſummiſſâ voce, quod ſurdaſtris nihil prodeſt, & in conclavi ſeparato, quod non ubique vel conceditur, vel præſto eſt, conſolari licet. Forte etiam huc referri poteſt edictum inhumaniſſimum, quo puerperis, ne obſtetrices alias, quàm Pontificias, adhibeant, interdicitur, cùm nec ſemper tales in promptu ſint, & horrorem id ipſum imbecilli ſexui incutiat haud dubiè, & Baptiſmo mulierum viam muniat;

niat; & alia poſt ſe non minùs triſtia & funeſta trahat.

Liberorum educatione;

CCCXXXI. De *educatione liberorum* quid dicam? Edicti quidem articulo decimo octavo generali prohibetur quibuſvis *liberorum ablatio, ſive per vim, ſive per inductionem, contra parentum voluntatem.* Non hic commemoro, quòd impuberes caſtigationis paternæ impatientes, ſeducti profugíque, & ad Pontificia ſacra illecti ita detinentur, ut parentes etiam ſumptus iis alendis ſuppeditare cogantur: quódque liberis utroque parente orbis tutores nonniſi Pontificii dantur. Hoc verò omnes inhumanitatis, ne quid aliud dicam, numeros implet, quòd juxta edictum die XVII. Junii A. M. D. C. LXXXI. promulgatum liberis ſeptennibus, adeóque infantiæ adhuc proximis, ſacrificulorum examini ſubjectis optio data eſt, quam velint, religionem amplectendi; ea lege, ut ſi ſacrificulorum blanditiis perſuaſi profeſſionem religionis contrariæ qualemcunque ediderint, hæc eorum profeſſio adeò habeatur rata, ut nulla ratione revocari vel retractari queat; nec à Parentibus, in quorum poteſtate liberi hujus inprimis ætatis verſantur: nec à liberis ipſis, cùm adultiores facti pœnitentia ducuntur eorum, quæ in pueritia imprudentes & ſeducti egerunt. Sic parentes ſua in liberos poteſtate ſpoliantur: pueris verò, quibus intellectus nullus vel exiguus eſt judicandi de rebus & negotiis vitam hanc præſentem concernentibus, 1. Cor. XIII. 11. nedum de rebus fidei, utpote quibus comparantur expertes notitiæ religionis, nec non inconſtantes, & in ea fluctuantes 1. Cor. XIV. 20. Epheſ. IV. 14. ea judicii tribuitur maturitas, quæ ad rem maximi momenti, electionem ſcilicet religionis ad ſalutem æternam unicè ducentis; ad quam ſenſus exercitati in ſcriptura, nec non poteſtas probandi ſpiritus, & quod bonum eſt, retinendi 1. Joh. IV. 1. 4. 1. Theſſ. V. 20. Hebr. V. 14. requiruntur, ſufficiat. Cujuſmodi judicium qui in ſeptenni

ni nato quærit, næ fructum is maturum in ſurculo quærit. Tametſi verò edictum iſthoc omnium funeſtiſſimum, cum Edicti Nannetenſis articulis variis; declaratione ipſius Regis A. M. D. C. LXIX. edita; jure naturali, quod minorennes parentum poteſtati & educationi ſubjicit; nec non civili, eccleſiaſtico & gentium omnium, Chriſtianarum inprimis, è diametro pugnare, ſupplice libello Subditi & miſericordiam & juſtitiam implorantes humilimè, demonſtrârunt, hactenus tamen operam perdiderunt omnem, & edicto mortis ipſius ſententia ferali triſtiori cervicem ſubmittere miſeri coguntur.

CCCXXXII. Quantopere *publicum religionis exercitium* labefactetur infringaturque in dies, experientia triſtis nimiùm proh dolor teſtatur. Etenim Edicti Nannetenſis articulo trigeſimo quinto particulari definitum eſt, *licere populum congregare pulſatis campanis, & exercere omnes actus & functiones pertinentes ad exercitium dictæ religionis, & ad regimen diſciplinæ, cujuſmodi ſunt Conſiſtoria, Colloquia, Synodi Provinciales & Nationales, cum permiſſu Regis.* Articulo decimo ſexto generali etiam facultas *conſtruendi Templa* conceditur. Jus illud Edictum evidenter attribuit locis diſtinctis harum claſſium; *primò* illis, *quæ poſſidebant publicum, aut poſſidere debebant A. M. D. LXXVII.* articulo Generali decimo; *Secundò*, illis, *quæ poſſidebant exercitium conſtitutum & publicè peractum ſæpius A. M. D. XCVI. & M. D. XCVII.* articulo Generali nono; *tertiò* binis locis *in quolibet diſtrictu ſeu Ballivatu*, quæ petituri erunt Evangelici præter ſuperiora, articulo generali undecimo, & particularibus ſexto, ſeptimo & octavo; *quartò* illis, *quæ ad Nobiles aut Dominos Reformatos pertinentia plenum habent feudum & altæ juſtitiæ*, articulo generali ſeptimo. Quibus addi poſſunt domus illæ, *quæ feuda minora ſine alta juſtitia poſſident*, ubi cœtus non poteſt eſſe plus quàm triginta hominum, præter familiam Domini, articulo ge-

Religionis exercitium publicum.

nerali octavo. Post conditum jam Edictum A. M. D. XCIX. Henricus Magnus in Provincias misit Delegatos seu Commissarios, Edicti executores, qui rebus juxta tenorem edicti compositis maximè providerent, ut in dictis locis exercitia collocarentur, quod in plerisque effectum est. Ex eo tempore omnia exercitia sua, fundamentis illis innixa in locis illis habuerunt, exceptis iis, quæ ex jure feudi seu altæ justitiæ per edictum novis Dominis instituere licuerat, & paucis etiam aliis, quæ primùm indubitatè instituì debuerant, & de quibus etiamnum jure constabat; aut quæ ob singulares causas, velut inopiam sumptuum, & Pontificiorum eo in loco obstaculo, interrupta fuerant. Si quæ nova Templa constructa sunt, factum id est secundùm tenorem Edicti iis in locis, quæ jus exercitii, aut jam ante etiam Templa habuerant. Atque exercitia ejusmodi per Commissarios, Edicti executores rebus maturè expensis constituta & approbata, vi legis ipsius *perpetuæ & irrefragabilis* judicata meritò ejusmodi sunt, ut nullo tempore *revocari* & aboleri possint.

Pariis modis labefactatum.

CCCXXXIII. Hic verò, si uspiam alibi, vires odiumque suum erga Reformatos Pontificio Clero periclitari placuit. Postquam enim hinc inde varia exercitia & Templa aggressi sunt, & nonnulla etiam, infirmioribus ob magnitudinem impensarum infinitásque litium ambages succumbentibus, everterunt; nova etiam Edicta, religioni Reformatæ παναλεθρίαν minitantia, Regi extorserunt. Etenim non tantùm XXII. Febr. A. M. D. C. LXIV. edicta edita varia sunt, quibus Pastoribus, ne extra locum residentiæ & in annexis Ecclesiis, quarum tantus numerus erat, ut alicubi Ecclesiarum Principalium numerum superaverint, concionarentur ampliùs, prohibitum est; Nobilibúsque insuper, aut habentibus feuda altæ justitiæ exercitium publicum in locis de dominio Regis emptis subla-

ſublatum eſt: verùm inſuper etiam miſſis in Provincias Commiſſariis, in ſpeciem Edicti Nannetenſis, in gratiam etiam & favorem Reformatorum executoribus futuris, omniáque ad Edicti normam revocaturis, (unde Reformati certam malorum, quæ patiebantur, ob erepta hinc inde exercitia, medelam ſperabant) ita deluſi iidem & artificioſiſſimis technis circumſcripti ſunt, ut ingentem exercitiorum Templorúmque plurimorum jacturam intra tempus breviſſimum fecerint, faciántque adhuc. Munus iſthoc Edictum Nannetenſe exequendi datum eſt, Intendenti cuipiam Provinciarum, Viro præcipuæ authoritatis, exploratæque in rebus gerendis dexteritatis, qui aſcito in ſpeciem comite homine Reformato vel obnoxio, vel nullatenus cum Intendente comparando; Provinciam obivit, Evangelicas Eccleſias ſine diſcrimine omnes, adeóque eas etiam, quarum exercitia Edicti tempore per Regios, uti diximus, Commiſſarios dijudicata, ritéque conſtituta fuerant, jura exercitii ſui idoneis documentis demonſtrare juſſit. Et probationes quidem olim facilimæ evaſerunt difficiles, imò alicubi poſt tanti temporis lapſum impoſſibiles; præſertim quia prima illa exercitiorum per commiſſarios conſtitutio ſemel ſolenniter facta poſthac futura planè immota & inconcuſſa credita eſt; & documenta etiam plurima per incendia, nec non religionis mutationem in familiis, quæ illa aſſervabant, urbium expugnationes, fraudes varias, alióſque caſus, perierant. Ibi igitur arbitrio Intendentis Templa clauſa, exercitia abolita ſunt. Si quæ probationes ſupererant, ex Seniorum, etiam Pontificiorum teſtimoniis de poſſeſſione A. M.D.XCVI. & M.D.XCVII. collectæ, per edictum Regium A.M.D.C.LXII. rejectæ ſimpliciter ſunt. Reliquæ probationes ex Codicibus Notariorum, libris Baptiſmatum, Conſiſtoriorum, aliiſque ſcripturis depromptæ plerunque etiam, ceu mi-

nùs validæ neglectæ ; quin & ipſa priſcorum commiſſariorum acta, ſi qua etiamnum in promptu erant, parvi habita, & quandoque etiam planè ſpreta ſunt. Aderat Intendenti perpetuus ferè conſultor & inſtigator Jeſuita recoctæ fraudis Meinerius, qui ſtipendio ejus rei cauſa accepto varias Provincias circumivit, judiciiſque interfuit. Ita, procedentibus Commiſſariorum judiciis, factum eſt, ut intra breve tempus Exercitia irrefragabili jure nixa, abolita ſint incredibili numero; templa deſtructa plurima pulcherrimáque, operi inſtantibus, manúſque admoventibus etiam clericis Romanis, cum infinitis contumeliis & violentiis, & ſumptus ingentes imponentibus iis, qui ipſimet Templa ſua deſtruere abnuiſſent. Quamobrem etiam clerus Gallicanus Lutetiæ noviſſimæ congregatus Regi ampliſſimas gratias, quòd ejus auſpiciis innumera multitudo Templorum Reformatorum cultui hactenus inſervientium deſtructa ſolóque adæquata ſint, profeſſus fertur.

Vexationes & pericula Paſtorum in Eccleſiis adhuc ſuperſtitibus.

CCCXXXIV. Taceo vexationes & pericula mille Paſtorum in Eccleſiis adhuc ſuperſtitibus eorum inprimis, qui ſpiritu Dei fervent; qui tot recentibus edictis conſtricti, ſicubi adverſus illa vel revera prudentes imprudentéſve, vel falſa delatione hoſtium impegerint; ſi à ſubornatis concionum auditoribus, plerunque rudibus & malitioſis, rectè piéque dicta malignè interpretantibus, & falſa etiam fingentibus, pro Reformata religione adverſus Pontificiam aliquid dixiſſe liberiùs accuſati fuerint, hinc inde in vincula rapti, grandibus mulctis pecuniariis afficiuntur, palinodiam probroſam canere judicibus coram coguntur, aliquando à carnificibus etiam raptantur, bonis fiſco addictis univerſæ Galliæ finibus exterminantur.

Scholarum & Academiarum reſtrictio vel ſuppreſſio.

CCCXXXV. Jam & Scholis, ex quibus viri pii, docti, periti, verbo & opere potentes; univerſi etiam gnari ſermonis juſtitiæ prodire ſueverunt, evertendis unicè cle-

cleri ſtudiâ inſudârunt. Statutum equidem eſt Edicti articulo generali decimo tertio, & ſpeciali trigeſimo octavo, *ut Reformatis iis locis, quibus exercitium publicum permittitur, fas ſit habere Scholas publicas, & exercere actus inſtructionis publicæ puerorum in eo, quod religionem concernit.* Contra novitiis edictis, cleri violentia extortis, non aliæ in locis exercitii publici Scholæ permittuntur, quàm eæ, *in quibus doceantur tantùm legere, ſcribere & arithmeticam:* quaſi indigni eſſent in Grammatica, humanioribus literis, aut ritè colendi Dei ſtudiis exercerentur. Ne quod autem malo præſentiſſimo remedium privata inſtitutione quæri poſſit, vix privatis præceptoribus familias frequentare licet: Scripturam & arithmeticam profitentibus per Edicta Parlamentorum, præſertim Rhotomagenſis, magiſterium artis denegatur; Paſtoribus quinetiam, ne plures quàm duos commenſales & diſcipulos alant, interdicitur. Denique noviſſimo edicto ſancitum, ut in locis iis, quibus religionis adhuc exercitium viget, præceptor ſeu Ludimagiſter unicus toleretur; cùm pluribus locis juventus adeò frequens ſit, ut ei inſtituendæ vix ſex ſufficiant. Edicti ſcopus haud dubiè eſt, ut Pontificias ſcholas reliqui frequentare, non ſine manifeſto ſeductionis ad Papatum, Monaſticos inprimis ordines ætate nec dum matura ſubeundos, periculo ſubigantur. Nihil dicam de Scholis & Academiis celeberrimis, ex quibus ceu Trojano equo, γνήσιοι Apollines prodierunt hactenus, quæ vel clauſæ planè, imò & hoſtibus Evangelici nominis traditæ, vel cum aliis etiam obſcuris permutatæ ſunt.

CCCXXXVI. Sine *diſciplinæ Eccleſiaſticæ exercitio* externus religionis cultus ferè frigere ſolet. Cautum proin eſt Edicti articulo particulari triceſimo quinto, *licere Reformatis facere omnes actus pertinentes ad regimen diſciplinæ* (cujus ſcilicet corpus pluribus ante edictum annis compoſi-

Exercitii diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtructio multiplex.

tum, longáque praxi confirmatum Rex noverat) *veluti, habere consistoria, colloquia, Synodos Provinciales & Nationales, Regis permissu; in locis, ubi exercitium permittitur.* Recentioribus contra edictis exercitii disciplinæ nervus non parum equidem solutus atque incisus est. Non tantùm enim *colloquiorum* sive classium, quæ quotannis celebrari, & in quibus urgentiora negotia per paucos expediri, continua septuaginta annorum praxi, sueverant, *celebrationes* interdictæ sunt, præterquam durantibus Synodis; quo tempore ne quidem institui possunt, cum Delegatus Regius, qui unicus est, simul Synodo, simul Colloquiis septem vel octo interesse non possit; absente verò eodem nec Synodi, nec Colloquia celebrari valeant: sed etiam *correspondentias cum aliis Provinciis habere, etiam occasione appellationum ab aliis Synodis; aut in Synodorum interstitio de ulla re deliberare per literas circulares, alióve modo; aut recipere Candidatos; aut delegationes curandis negotiis mandare,* prohibitum est. Ita enim impeditur convocatio Synodorum, quæ nisi per literas circulares fieri nequit; & judicium de rebus ecclesiasticis, circa quas provocatio est; utpote quod differre jubentur ad Synodum usque Nationalem, hoc est, in duodecimum, vel decimum quintum etiam annum usque: cùm tamen tertio quoque anno ex disciplina celebrari debuerit. Non aliò hæc tendunt, quàm ut per scandala & ἀταξίας perpetuas Ecclesiæ destruantur. Denique libertas etiam Synodorum, Regiis Commissariis, juxta edictum novissimum, duobus in illis comparentibus, & arcanissima quæque rimantibus, exquisitáque indagine cingentibus, tantùm non pessumdata jacet.

Camerarum Edicti usus.

CCCXXXVII. Unicum innocentiæ afflictorum, post Deum & Regem, Reformatis in Gallia præsidium positum erat hactenus in Tribunalibus *Camerarum edicti,* in gratiam eorundem ad vitæ bonorúmque securitatem,

ab

ab Henrico Principe Optimo & justissimo erecta. Providerat is, experiundo etiam & rebus ipsis hactenus edoctus, injustitiam ubique regnaturam, neque finem modúmque futurum querelarum & conventionum in Regno, si pars debilior fortiori, religionis odio flagranti, justitiámque & leges pensi non habituræ, hoc est, Reformati judicum merè Pontificiorum tribunalibus subjicerentur. Summum igitur à Deo in Regno suo justitiæ Sacerdotem cùm se constitutum agnosceret meritò, ut justitia tribuatur & administretur subditis sine ulla suspicione, odio & favore, cùm hoc perspexerit esse ex præcipuis remediis ad eos in pace & concordia tuendos; constituit *Cameras Edicti*, seu *Edictales*; tres quidem bipertitas Gratianopoli, Castris & Burdegalæ, in quibus Pontificii & Reformati judices æquali numero judicarent; duas verò Parisiis & Rhotomagi, in quibus tamen unus duntaxat sedebat judex Reformatus, licet in istis etiam æqualis judicum numerus promissus, ast ecclesiasticorum astu præstitus non fuerit. De Rhotomagensi Camera Edicti articulo generali trigesimo; de cæteris trigesimo primo, secundo, tertio, &c. legere est. Articulo trigesimo quarto sic jurisdictio judicum illorum definitur: *Cognoscent & judicabunt supremo judicio & ultimo per arresta, aliis omnibus exclusis, omnes lites & controversias motas & movendas, in quibus Pontificii & Reformati erunt partes principales, aut fidejussores, actores sive rei, in omnibus materiis sive civilibus sive criminalibus:* paucis casibus, qui ibi exprimuntur, exceptis. Articulo quinquagesimo secundo jurisdictio illa extenditur *ad ea omnia, quæ pertinent ad executionem Edictorum, quando prædicti erunt partes.* Articulo sexagesimo quarto: *Inhibemus & interdicimus omnibus curiis nostris supremis, & aliis hujus Regni, ne cognoscant & judicent lites civiles & criminales illorum prædictæ religionis, quarum cognitio attribuitur per nostrum edictum cameris.*

CCCXXXVIII. Tam

& violenta suppressio.

CCCXXXVIII. Tam potens verò Clerus Romanensis fuit, ut sacrum etiam isthoc justitiæ intemeratæ palladium paulatim concuteret, tandémque etiam penitus subverteret. Et primùm quidem edicto 2. April. A. M. D. C. LXVI. lato statutum est, *ut omnes, qui accusantur criminis Relapsus, apostasiæ* (hoc est, transitus Ecclesiasticorum ad Evangelicos) *aut blasphemiarum & impietatum in mysteria religionis Catholicæ prolatarum, per unumquodque Parlamentum in districtu suo judicentur.* Ita relapsi, à Papatu ad Evangelicos conversi, & liberiùs de Pontificiæ Religionis mysteriis prolocuti, Cameris Edicti subtracti, & Parlamentorum, in quibus Pontificii Judices rerum potiuntur, judiciis obnoxii reditti, adeóque in præsentissimum vitæ ac fortunarum omnium discrimen adducti sunt. Prostant exempla horrendarum pœnarum à Parlamentis ejusmodi, Reformatis innocentibus inflictarum. Sed fuerunt hæ ἀρχαὶ τῶν ὠδίνων. Mox enim A. M. D. C. LXVIII. Cameræ Edictales Parisiensis & Rhotomagensis; ac novissimè etiam Bipartitæ reliquæ in universum suppressæ, Reformatique adeò omnes in controversiis qualibuscunque cum Pontificiis sibi intercedentibus, judicum infensissimorum tribunalibus, ceu libidinis & odii illorum piaculares victimæ, miserandum in modum subjecti sunt. Quæ mala inde innocentissimorum quorumque cervicibus imposterum etiam impendeant, non sine horrore cogitari potest.

Parium cum Pontificiis prærogativarum abrogatio.

CCCXXXIX. Denique Edicto eodem Reformati ad *pares cum Pontificiis prærogativas* admissi sunt. Articulo quippe vicesimo septimo declarantur capaces *ad exercendum & tenendum omnes status, dignitates, officia & quævis munera publica, Regia, dominica, aut urbium Regni, &c. non obstantibus omnibus juramentis in contrarium, atque promiscuè ad illa admittuntur. Item vacantibus muneribus providebitur per nos de personis idoneis, sine distinctione & indifferenter: cùm id faciat ad unio-*

unionem subditorum nostrorum. Item admittentur ad omnia consilia, functiones, &c. nec ob eorum religionem inde arcebuntur. Reformatos verò muneribus publicis defunctos hodie passim exauthorari, & eò aspirantes removeri, perinde ac si honoribus & procurationib⁹ publicis nunc demum indigni esse cœpissent; satis constat. Sed majus est, quod recentioribus declarationibus & edictis vis illa antiqui, quod *perpetuum, irrevocabile* esse debuerat, etiam heic resolvitur: utpote quarum vi Senioribus Magistratibus Reformatis præsidentia, ingressus ordinum Provinciæ & cœtuum, qui ad tributorum impositionem fiunt, quò sic præ reliquis impositionibus obrui possint; munera municipalia unica, veluti graphiariorum, Curatorum, horologii, imo & Janitorum; nec non Procuratorum, Notariorum, apparitorum, advocatorum, &c. sublata sunt. Industriis porro media rem familiarem augendi eripiuntur, divites exhauriuntur, opificia artesque aliæ seu liberales seu illiberales iis vel abrogantur, vel affliguntur, pauperes ad desperationem adiguntur, litigantes in foro judicem minùs faventem & æquum experiuntur. Eò denique perventum, ut recentiori seu edicto seu declaratione constitutum sit, ut conversi ad religionem Pontificiam immunes sint à solvendis debitis Reformatorum, è quorum scilicet numero erant eo tempore, quo debita contracta sunt.

CCCXL. Neque verò recentiorum sive edictorum, sive declarationum afflictionumque finis vel modus ullus est. Quin potiùs unda undam trudit, & abyssus abyssum invocat. Laborantque quotidie exquisitissima ingenia in comminiscendis novis artibus, quibus miseri καλασοφίζεσ, circumveniri, irretiri, & edictorum declarationumque talium numero (intra triennium enim proximè exactum plusquam triginta emanârunt) atque mole ita confusi & districti, ut parere junctim omnibus & singulis, vel ob

Persecutio Ecclesiæ ejusdem ingravescens.

ſolius memoriæ infirmitatem & defectum, pœnè impoſſibile ſit; in exitii naſſam pertrahi valeant. Atque dum ita malè habentur, nefas iis eſt, quiritari, quòd perſecutionem ullam patiantur. Expreſſo enim edicto cautum eſt, ut *perſecutionis* nomine abſtineant. Quin & recentiora illa edicta nonniſi *declarationum edicti ad caſus ſingulares decidendos* nomine venditantur. Salvóque Nannetenſi edicto cuncta iſthæc adverſus Proteſtantes in Gallia attentari, publicis etiam ſcriptis authores nonnulli, Bernardus cumprimis & Filleau, Nannetenſis Edicti famoſi interpretes, perſuadere conati ſunt. Quanquam non deſunt, qui aſſa voce profiteantur, edictis recentioribus Nannetenſe & violari, & jure violari. Conſtat tamen, ſceleris, maleficii vel perfidiæ erga Regem, cujus merito pacta, Edicta *perpetua, irrevocabilia* reſcindi jure, atque illi gratia Regis ſui excidere debuerint, nullius compertos unquam eſſe, adeóque pati illos non ut latrones, fures, maleficos, ſed ut Chriſtianos, ob ſolam religionem, quam ex Dei verbo adverſus Eccleſiæ Romanæ corruptelas, ſole meridiano clariùs probatas, ὡς ἐξ εἰλικρινείας, *tanquam ex Deo, coram Deo, & in Chriſto* (2. Cor. 11. 17.) conſtanter profitentur. In fidelitate certè & obedientia Regi debita adeò non ſubditis Pontificiis cedunt, ut eos etiam ſuperaverint hactenus, ſuperentque, ſaltem ſecundum ſanctæ religionis ſuæ placita, quibus poſt Deum ad unius ſoliuſque Regis, ceu legitimi Magiſtratus ſui unici obedientiam, Imperium qualecunque aliud in Imperio illo agnoſcentes nullum, obſtringuntur. Quinimò de intemerata illorum erga Regem fide, ipſius etiam Regis Chriſtianiſſimi teſtimonio omni exceptione majori, ſæpiuſque, puta d. XXI. Maji A. M. D. C. LII. nec non 1. Jun. A. M. D. C. LV. Epiſtola ad Ducem Dignierium, & XXX. Nov. A. M. D. C. LX. literis ad Synodum Nationalem Julioduni ſedentem exaratis, repetito, abundè

de preſſorum oppreſſoribus-que innocentia,

liquet.

liquet. In mediis etiam afflictionum procellis hactenus, quæ singularis Dei erga illos gratia est, contra stimulum non calcitrárunt; quin potiùs in obedientia erga Regem continuè perstantes, atque in silentio & spe unicè robur suum collocantes, animum suum fiducia erga Deum, humilitate & patientia corroborant, cum populo Dei ingeminantes Mich. VII. 7. 1. &c. *Ego ad Jehovam respiciam, Expectabo Deum salutis meæ. Audiet me Deus meus. Ne læteris, inimica mea, propter me, quòd ceciderim. Sedeam. Cùm sedero in tenebris, Jehova lux mea erit. Indignationem Jehovæ feram, quoniam peccavi, donec judicet causam meam, & faciat judicium meum. Educet me in lucem meam, videbo justitiam ejus.* *patientiáque laudabiles.*

CCCXLI. Rarò Protestantibus in Gallia contentiones Regem inter & Pontificem obortas profuisse, & experientia dubitare non sinit, & disertè Historicus Gallus percelebris Mezerayus in vita Henrici II. observavit. Id ipsum hic quoque accidit. Vetus intercessit Regibus Galliæ cum Romanis Pontificibus controversia de Investituris, quæ, prout cum consensu Regum definitæ fuerunt in Conciliis Claromontano & Rhemensi, & à Callisto II. Papa A. M. C. XXII. ipsóque etiam usu post tempora ejusdem Pontificis explicatæ sunt, *Regaliæ* nuncupatæ sunt, quòd earum jus merè *Regium*, inter nobiliores *Regiæ* dignitatis partes ita recensetur, ut cùm soli Regi competat, cum nemine alio communicari possit, exclusis etiam ab eo jure iis, penes quos sub Rege puero administrandæ Reip. cura est, qui *Regentes Regni* nominari solent. In eo autem jus illud consistit, quòd vacante Episcopatu, ad investituram usque novi Episcopi, Regi & usus fructus Episcopalium redituum, & collatio præbendarum cedit: quod jus demum A. M. CC. LXXIV. in Concilio Generali Lugdunensi à Gregorio X. convocato confirmatum est in iis scilicet Galliæ Ecclesiis, quibus consuetudo illa hactenus re- *Non parum persecutionem eam exasperavit controversia cum Pontifice circa jus Regaliæ: cujus origo exponitur.*

cepta erat. Tametsi verò Regum illorum, qui primi leges in hac Regalium materia condiderunt ad fori usum accommodatas, Constitutiones jus illud coercuerunt ad Ecclesias, in quibus usu veteri receptum erat Regem eo uti; & in Camera etiam Computorum Pasquierio *Disquisit. Franc. lib. III.* 37. citante, extat vetus Regestum, in quo enumerantur Ecclesiæ juri huic Regaliæ subjectæ, itémque Ecclesiæ, in quibus Reges eo jure non utebantur: ante trecentos tamen annos Johannes Butillerius in sua Summa Rurali, jus Regalium esse jus merè Regium, & ad Coronam pertinere, atque adeò ad universas Regni Ecclesias absque discrimine porrigendum esse, pertendit. Quin & Arresto Parlamenti Parisiensis A. M. D. C. VIII. edictum est, ne Advocati in dubium revocent, an Rex jure Regaliæ uti possit in universis Regni Ecclesiis: adversus arrestum illud querelam mox Clero Gallicano apud Regiam Majestatem instituente.

Recentissima circa illud dissidii historia.

CCCXLII. Argumentum isthoc præter alia fusè admodum prosecutus cùm fuisset Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis, scriptis de *Concordia Sacerdotii & Imperii* seu *libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ* libris octo, non parùm iis lectis Innocentius XI. commotus est; qui etiam refellendorum eorundem provinciam Celebri Canonistæ Lupo, Augustiniano Monacho, Aprili Anni M. D. C. LXXIX. imposuit. Accessit indulgentia Clementis IX. qui Brevi expresso Regi gratiam fecerat investiendi Episcopos, quorum, flagrante tum bello, diœceses vel occupaverat jam, vel occupaturus fuerat: quæ indulgentia Successoris Innocentii ejusdem animum anxium non parùm habuit. Præterea Rex à Clero Gallicano seu tributa seu donaria exegerat, intercedente exactioni in Occitania Apamiensi Episcopo: qui etiam Sanctimoniales Urbani antiquo more Abbatissam liberè eligentes, adversus Parisiensem Curiam,

jus

jus isthoc Regi vindicantem, apud Pontificem acriter tutatus est: Qua controversia Pontificis Bulla in Sanctimonialium gratiam vulgata, ab eadem Curia suppressa, aliaque à Jesuitis etiam, Chaisio & Maimburgio, parùm Pontifici Romano faventibus, altè satis in pectus Pontificis exulceratum penetrantia, commissa sunt; adeò ut non semel ad diras Pontifex se converterit, & libros etiam nonnullos ceu potestati & authoritati suæ derogantes, devoverit. Quorum in numero inprimis liber *de Causis majoribus*, à Sorbonico Doctore in Episcoporum gratiam scriptus, & acri Pontificis Bulla proscriptus, nec non Maimburgii libelli varii, etiam *Lutheranismi* famosa *historia*, fuerunt. Ex adverso Curia Suprema Parisiensis librum Episcopi Apamiensis pro Pontificiis partibus scriptum, nigro carbone notatum suppressit: quem mox Pontifex Italicum in idioma transferri vulgarique jussit. Apamiensis quondam, uti *s.* cxx. narravimus, Episcopus erat, ob quem in simili causa carceri inclusum Bonifacius VIII. Philippum Pulchrum Galliæ Regem excommunicare ausus est. Apamiensis Episcopus denuo in causa investiturarum se Pontifici Innocentio XI. mancipare, & Regi suo opponere sustinuit. Eo A. M. D. C. LXXX. defuncto, Vicarius Capitularis Pontificis causam suscepit, Curæque Supremæ Regaliæ in Episcopatu eo vacante jus Regi asserenti, sese oppositit. Pontifice acriter tendente, & subinde etiam Apostolicarum censurarum metum incutiente, Lutetiæ coacti quindecim Episcopi Regium jus strenuè defenderunt, atque insuper Regi, ut Nationale Concilium, causam eandem disceptaturum, properè conciret, persuaserunt.

CCCXLIII. Convenerunt igitur Lutetiæ Ecclesiæ Gallicanæ Archiepiscopi octo unà cum Episcopis viginti quatuor, aliisque pluribus, nomine *Congregationis Generalis Cleri Franciæ* insigniti, qui Regaliæ jus unanimi consen- *Congregatio Cleri Gallicani jus Regaliæ Regi vindicat, & literis ad Pontifi-*

tificem exa-tatis sententiam suam tuetur.

su in Regem, hoc scilicet ei reddituri hostimentum *pro Edictis adversus hæreticos*, uti in Instrumento cessionis Regaliæ d. III. Febr. Regi oblato, disertis verbis profitentur; conferentes, d. III. Febr. A. M.DC.LXXXII. literis ad Pontificem exaratis, seu rationem ei reddituri, seu excusationem allaturi rerum in Comitiis suis actarum significarunt, *se appellâsse Secularem Magistratum, sed ab eo victos discessisse*; magnopere insuper periculum metumque suum exaggerentes, ne ob exortam controversiam illam *Sacerdotium & Imperium inter se collidantur, & mala, quæ in Ecclesiam & Rempublicam consequi possent; proinde existimâsse se ad officium suum pertinere, aliquam inire rationem tollendi de medio nascentis dissidii; nullam verò commodiorem apparuisse remedio ab Ecclesiæ Patribus indicato, utili condescensione canonis temperandi pro temporum necessitate, ubi neque veritas fidei, neque morum honestas periclitantur. Deberi ab Ordine suo, deberi à Gallicana, imò ab universa Ecclesia, plurimum Regi, tam præclarè de Religione Catholica merito, & in dies magis mereri cupienti. Propterea se de jure suo decedentes jus illud Regaliæ in Regem contulisse.*

Mox etiam Pontificiam potestatem definitionibus quatuor, Regio Edicto graviter sancitis, restringit.

CCCXLIII. Cùm diu satis responsum ad literas Cleri Pontifex distulisset, ulteriùs progressa Congregatio certis definitionibus Romani Pontificis potestatem, in temporalibus quidem, prorsus abolevit; in spiritualibus verò non parùm coarctavit, atque infra potestatem Concilii dejecit. Postquam enim die XVII. Martii solenni in Congregatione auditi sunt, quibus paulò ante injunctum fuerat, ut sex Propositiones, A. M.D.C.LXIII. à Sorbona Regi exhibitas, & supra thesi CC LXXIX. expressas, accurato examini subjicerent; die XIX. ejusdem mensis unanimi Cleri totius consensu edita declaratio est, quatuor sequentibus definitionibus comprehensa: I. *Quòd Papa, imò Ecclesia ipsa, in Regum temporalia, nec directè, nec indirectè, potestatem ullam habeat: quódque Rex deponi, vel subditi ejus à juramento*

to

to fidelitatis, quamcunque demum ob causam, absolvi nequeant. II. *Quòd Concilium Generale sit supra Papam, idque vi doctrinæ, quam Constantiense Concilium quarta & quinta Sessione confirmavit; sicut Congregatio præsens declaret, quòd doctrina isthæc ab Ecclesia plenam efficaciam approbationémque nacta sit; ex adverso autem opinionem eorum, qui pertendunt, id, quod in citatis Sessionibus conclusum est, eo duntaxat tempore, quo schismata invalescunt, obtinere, planè improbet.* III. *Quòd exercitium potestatis Pontificiæ limitandum & restringendum sit juxta Canones; quódque Papa nihil facere in præjudicium antiquarum consuetudinum, nec non libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, valeat.* IV. *Quòd in rebus quidem fidei Papa præcipuam authoritatem habeat; nihilominus ejus decisiones sine consensu Ecclesiæ certæ & infallibiles non sint.* Decretum insimul est, ut, literis ad singulos Galliæ Episcopos exaratis, Propositiones hæ communicentur, commendenturque, unà cum Declaratione, ut omnes Professores Theologiæ & Juris Canonici doctrinam articulis illis contentam, ceu veterem receptamque doctrinam Regni, profiteantur publicè, neq; fas sit cuiquam seu Seculari seu Regulari contrarium docere. Postero die Archiepiscopus Parisiensis Comitibus, Comissariis, Regi, tum instrumentum, quatuor propositiones illas complexum, tum literas eam in rem ad Episcopos Galliæ destinatas, obtulit, simulque Regem, ut peculiari Edicto id omne sanciret, rogavit. Impetratum id à Rege Edictum edente, quod d. XXIII. Martii etiam à Suprema ejusdem Curia confirmatum. Edicti sententia est, *ut declaratio illa Cleri Gallicani Protocollis omnium Curiarum, Communitatum, Academiarum, Facultatum Thologiæ & Juris Canonici inseratur: contrarium ei doctrinæ à quoquam subditorum vel advenarum, sive Secularium, sive Regularium, ne asseratur: electi Professores Theologiæ Declarationi isti subscribant, & ad docendam eandem sese obstringant: in omnib⁹ Collegiis, ex pluribus Professoribus seu Regularibus seu Secularib⁹ constantibus, uni injungatur*

tur quot annis, ut declarationem illam doceat; ubi verò Professor unicus est, teneatur per tres annos continuos docere. Syndici Theologicarum Facultatum quotannis Professorum talium nomina Episcopis edant; Professoresque iisdem, vel Procuratoribus eorum Generalibus postulantibus, scripta sua exhibere parati sint; neque Baccalaureus quisquam, sive Secularis, sive Regularis, Licentiatus, vel Doctor Theologiæ, juriſve Canonici creari possit, quin priùs doctrinam illam publicis thesibus propugnaverit: Prælati omnes eandem in universa Diœcesi sua doceri curent: Decani denique & Syndici Facultatum Executionem Edicti, sub pœna sontis, urgeant. Pontifex Romanus propoſitiones illas tanto cum mœrore excepiſſe fertur, ut lectis iis amarè fleverit. Erectus tamen mox recreatuſque nonnihil eſt, quòd eaſdem in Galliæ Regno acribus adeò ſtudiis propugnatas, non minori zelo in Hiſpaniæ Academiis oppugnari intellexiſſet.

Romani Pontificis ad Cleri Gallicani literas ſuper jure Regalia acris reſponſio.

CCCXLIV. Demum 11. Aprilis A. M.D.C.LXXXII. Pontifex Congregationi reſponſum miſit σηλίευτικὸν, & ſi quod aliud, aculeatum virulentumque maximè, tantùm non catapultis ſui Cleri Gallicani latera transfigens. Queritur ante omnia, *cogi ſe multis cum lachrymis uſurpare Propheticum illud: Filii matris meæ pugnârunt adverſus me.* Epiſtolæ Cleri initium quo metum ſuum in Pontificis ſinum ſe effundere teſtatur, his verbis perſtringit: *Nihil ſanè lætum, & veſtris nominibus dignum eas literas continere, in ipſo earum limine intelleximus. Nam præter ea, quæ de norma in Comitiis convocandis peragendiſque ſervata afferebantur, animadvertimus vos ordiri à metu veſtro, quo ſuaſore nunquam Sacerdotes Dei eſſe ſolent in re ardua & excelſa pro Religione & Eccleſiaſtica libertate vel aggrediendo fortes, vel perficiendo conſtantes. Quem quidem metum falsò judicaviſtis poſſe vos in ſinum noſtrum effundere. In ſinu enim noſtro hoſpitari perpetuò debet charitas Chriſti, quæ foras mittit & longè arcet à ſe timorem, &c. Timuiſtis ergò, ubi non erat timor. Id unum vobis timendum erat, ne apud Deum hominéſque redar-*

gui

qui jure poſſetis, loco atque honori veſtro, & Paſtoralis officii debito defuiſſe. Tum Ivonis Carnutenſis in turbulenta contentione Urbanum Pontificem inter & Philippum Regem, contra Regiam indignationem ſtantis, bonis ſpoliati, carceres & exilia perferentis, deſerentibus aliis cauſam meliorem, facta imitanda fuiſſe monet. *Officii veſtri erat*, inquit, *Sedis Apoſtolicæ authoritati ſtudia veſtra adjungere, & Paſtorali pectore, humilitate Sacerdotali cauſam Eccleſiarum veſtrarum apud Regem agere, ejus conſcientiam de Iſta re inſtruendo, etiam cum periculo Regium in vos animum irritandi, ut poſſetis in poſterum ſine rubore in quotidiana Pſalmodia Deum colloquentes Davidis verba proferre: Loquebar de teſtimoniis tuis in aſpectu Regum, & non confundebar.* Idque magis etiam faciendum fuiſſe, *tam perſpecta atque explorata Optimi Regis juſtitia & pietate, quem ſingulari benignitate Epiſcopos audire, Eccleſiis favere, & Epiſcopalem poteſtatem intemeratam velle, ipſimet ſcripſerint*, aſſerit. Scribentibus porro, *quòd in controverſia victi ſint, quòd cauſa ceciderint*, reſpondet: *Quomodo cecidit, qui non ſtetit? quomodo victus eſt, qui non pugnavit? Et quis veſtrûm tam gravem, tam juſtam cauſam, tam ſacroſanctam oravit apud Regem? cùm tamen Prædeceſſores veſtri eam in ſimili periculo conſtitutam non ſemel apud ſuperiorem Galliæ Regem, imò apud hunc ipſum, libera voce defenderint, victoréſque à Regio conſpectu diſceſſerint, relatis etiam ab æquiſſimo Rege præmiis officii Paſtoralis ſtrenuè impleti. Quis veſtrûm in arenam deſcendit, ut opponeret murum pro domo Iſraël? Quis auſus eſt invidiæ ſe offerre? Quis vel vocem unam emiſit memorem priſtinæ libertatis? Clamaverunt interim, ſic enim ſcribitis, & quidem in mala cauſa, pro Regio jure clamaverunt Regis adminiſtri, cùm vos in optima pro honore Chriſti ſilueritis. Omittimus hic commemorare, quæ ſignificatis de appellato à Vobis Seculari Magiſtratu, à quo victi diſceſſeritis. Cupimus*

enim ejus facti memoriam aboleri, & volumus ea vos verba è literis vestris expungere, ne in actis Cleri Gallicani resideant ad dedecus nominis vestri sempiternum. Remedium porro Sacerdotii & Imperii per condescensionem utilem Canonis temperandi pro necessitate temporis, ubi neque veritas fidei, neque horum honestas periclitantur, conciliandi à Clero propositum, his verbis Pontifex dispungit: *Cæterùm ultro admittimus & laudamus consilium relaxandi Canonum disciplinam pro temporum necessitate, ubi id fieri possit sine fidei & morum dispendio; imò addimus cum Augustino, toleranda aliquando pro bono unitatis, quæ pro bono æquitatis odio habenda sunt, neque eradicanda esse zizania, ubi periculum sit, ne simul etiam triticum eradicetur: Sedita tamen accipi oportet, ut in aliquo tantùm peculiari casu & ad tempus, ubi necessitas urget, licitum sit; sicuti factum est ab Ecclesia, cùm Arianos & Donatistas Episcopos ejurato errore suis Ecclesiis restituit, ut populos, qui secuti eos fuerant, in officio contineret. Aliud est, ubi disciplina Ecclesiæ per universum amplissimi Regni ambitum sine temporis termino, & cum manifesto periculo, ne exemplum latius repat, labefactatur, imò evertitur ipsius disciplinæ & Hierarchiæ Ecclesiæ fundamentum, sicuti evenire necesse esset, si quæ à Rege Christianissimo in negotio Regaliæ nuper acta sunt, connitentibus, imò etiam consentientibus, vobis contra Sacrorum Canonum, & præsertim Concilii Ludunensis, authoritatem, contra notam jam pridem vobis ea in re mentem nostram, & contra ipsam jurisjurandi religionem, quo vos Deo, Romanæ, vestríque Ecclesiis obligâstis, cùm Episcopali charactere imbueremini; hæc Sancta Sedes executioni mandari, & malum invalescere deferendo permitteret, ac non ea nos, pro tradita divinitus humilitati nostræ Summa in universam Ecclesiam potestate, solenni more, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes improbaremus, cùm præsertim per abusum Regaliæ non solum everti disci-*

pli-

plinam Ecclesiæ, res ipsa doceat, sed etiam fidei ipsius integritatem in discrimen vocari facilè intelligatur ex ipsis Regiorum decretorum verbis, quæ jus conferendi beneficia Regi vendicant, non tanquam profluens ex aliqua Ecclesiæ concessione, sed tanquam ingenitum & coævum Regiæ Coronæ. Acri præ cæteris censura declarationem illam Cleri, *quòd jus Regaliæ in Regem contulerit*, Pontifex ferit. *Illam verò partem literarum*, inquit, *vestrarum non sine animi horrore legere potuimus, in qua dicitis, Vos jure vestro decedentes, illud in Regem contulisse. Quasi Ecclesiarum, quæ curæ vestræ creditæ sunt, essetis arbitri, non custodes, & quasi Ecclesiæ ipsæ, & spiritualia earum jura possint sub Secularis potestatis jugum mitti ab Episcopis, qui se pro earum libertate in servitutem dare deberent. Vos sanè ipsi hanc veritatem agnovistis & confessi estis, dum alibi pronuntiâstis, jus Regaliæ servitutem quandam esse, quæ in eo præsertim, quod spectat beneficiorum collationem, imponi non potest, nisi Ecclesia concedente, vel saltem consentiente. Quo jure Vos ergo jus illud in Regem contulistis? Cúmque SS. Canones distrahi vetent jura Ecclesiæ, quomodo ea Vos distrahere in animum induxistis, quasi eorundem Canonum authoritati derogare Vobis liceat? Revocate in memoriam, quæ inclytus ille conterraneus vester, Claræ vallensis Abbas, non Gallicanæ modò, sed etiam universalis Ecclesiæ lumen à vobis meritò nuncupatus, Eugenium Pontificem officii suî admonens, reliquit scripta præclare: Meminisset, se esse, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt: esse quidem alios Cœli janitores & gregum pastores; sed cùm habeant illi assignatos greges, singulis singulos, ipsi universos creditos, non unum; non modò ovium, sed & Pastorum Eugenium esse Pastorem, adeóque juxta Canonum statuta, alios Episcopos vocatos fuisse in partem solicitudinis, ipsum in plenitudinem potestatis. Ex quibus verbis quantum nos admonere par est de obsequio & obedientia, quam debetis huic sanctæ Sedi, cui nos, Deo authore, quanquam im-*

meriti præsidemus; tantundem nostra Pastoralis solicitudo excitatur ad inchoandam tandem aliquando in hoc negotio, quam nimia forte longanimitas nostra, dum pœnitentiæ spatium damus, hactenus distulit Apostolici muneris executionem. Tandem Cleri in Regaliæ negotio acta universa severè sic Pontifex abolet atque rescindit: *Quamobrem per præsentes literas, tradita nobis ab Omnipotente Deo authoritate, improbamus, rescindimus & cassamus, quæ in istis vestris Comitiis acta sunt, in negotio Regaliæ, cum omnibus inde secutis, & quæ in posterum attentari continget, eáque perpetuò irrita declaramus, quamvis, cùm sint ipsa per se manifestè nulla, cassatione atque declaratione hujusmodi non egerent. Speramus tamen, Vos quoque ipsos, re meliùs considerata, celeri retractatione consulturos conscientiæ vestræ, & Cleri Gallicani existimationi, ex quo Clero sicuti non defuere hucusque, ita in posterum non defuturos confidimus, qui boni Pastoris exemplo libenter animas ponere parati sint pro ovibus suis, & pro testamento Patrum suorum.* Propositum denique suum etiam in posterum his verbis declarat & concludit: *Nos quidem pro officii nostri debito parati sumus Dei adjutrice gratia sacrificare sacrificium justitiæ, & Ecclesiæ Dei jura ac libertatem, & hujus S. Sedis authoritatem dignitatémque defendere, nihil de nobis, sed omnia de Deo præsumentes, qui nos confortat, & omnia operatur in nobis, & qui jussit Petrum super aquas ad se venire. Præterit enim figura hujus mundi, & Dies Domini appropinquat. Sic ergo agamus, Venerabiles fratres ac dilecti filii, ut, cum Summus Pastor & Paterfamiliâs & Princeps Pastorum rationem poscere voluerit à servis suis, sanguinem pessumdatæ & laceratæ Ecclesiæ, quam suo acquisivit, de nostris manibus non requirat. Vobis interim omnibus Apostolicam benedictionem, cui cœlestem accedere optamus, intimo amoris paterni affectu impertimur. Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris. Die* 11. *April.* A. M. D. C. LXXXII. *Pontificatus nostri an-*

noſexto. Verba totidem Bullæ, ſeu Monitorii hujus referre non piguit, ut Pontificis hujus tum typhum inſolentem, quo Prædeceſſoribus ſuis parùm concedit: tum *zelum violentum* (hunc enim etiam Archiepiſcopus Tholoſanus literis ad Pontificem exaratis ei exprobrâſſe fertur) non tam pro aris, quàm pro focis ſuis; tum denique artificium inſigne, quo etiam ſub *ſanctioris diſciplinæ, fidei, periculi evertendi Hierarchiæ fundamenti & Teſtamenti Patrum ſuorum* (non utique à Deo Patre, ſed ab Hildebrandis & Bonifaciis pro ſe & Patribus ſuis conditi) velamine inſatiabiles cupiditates ſuas, ob quas etiam in Prophetia Malachiæ, Archiepiſcopi Armachani, jam duodecimo Seculo edita, *Inſatiabilis Beſtiæ* nomine venit; abſcondit texitque, propiùs omnes contueri valeant. An verò impoſterum Clerus Galliæ mentem ſententiamque ſuam mutaturus, & ſtudia ſua Sedis Apoſtolicæ authoritati adjuncturus ſit, nec ne, dies volvenda docebit.

Epiſtola ejuſdem ea eandem authoris.

CCCXLV. Cæterùm diſſidium iſthoc Regem inter & Pontificem funeſtiſſimum Reformatæ per Galliam Eccleſiæ accidiſſe, triſtis experientia iterum docuit. Nunquam enim majoribus cum anguſtiis conflictata eſt, quàm eo ipſo tempore, quo diſſidium illud exarſit, arſitque maximè. Accedit, quòd ipſa Cleri Gallicani Congregatio conſtituto tranſactoque Regaliæ negotio, ad conſilia extirpandæ religionis in Regno univerſo Evangelicæ animum convertit; Concilii Arelatenſis primi exemplum prætexens, utpote cujus Patres peracta re, cujus conficiendæ cauſa præſertim convenerant, ad cætera deinde animum intenderint, quæ Chriſtianæ Reipublicæ commodis profutura eſſe intelligerent. Cùm verò in his tribus capitibus omnino pax & virtus Eccleſiæ tanquam ſolidis firmamentis contineatur, fide, moribus, diſcipli-

Congregationis Cleri Gallicani ejuſdem pro revocandis ad Papatum Evangelicis ſtudio.

na; in iisque stabiliendis iidem Concilii Arelatensis Patres operam collocaverint: atque in iis fides præcipua sit, nihilque ad eam propugnandam plus adjumenti afferat, quàm si hæreses veritatis luce, & charitatis ardore schismata superentur, *operæpretium esse*, ita in Encyclicis suis ad universos Episcopos Galliæ Cal. Julii A. M. D. C. LXXXII. exaratis literis Congregatio loquitur, *existimavimus, hæresin Calvinianam statim aggredi, eámque arcem schismatis potiorem & in primis validam impugnare.* Ad hoc excitatos inclinatosque se asserunt, tum charitate Christi, ex cujus Ecclesia una duæ sint à schismaticis factæ, tum Innocentii XI. vita moribus, sic ad veteris atque austerioris disciplinæ formam compositis, ut cum eo sentire Fidei suæ Adversariis recusandum non sit, cujus facta etiam imitari sibi, si verum loqui velint, optandum fateantur: tum Ludovici Magni quotidianis adversus Ecclesiam meritis, imò potiùs Regiæ fortitudinis, Christianæque pietatis miraculis, qui quot urbes hæreticas intra Galliæ fines ad pristinam avitamque fidem reduxerit, totidem Ecclesiæ Parenti, Filius natu æquè ac virtutibus major, incruentas victorias peperit. *His*, inquiunt, *exemplis commoti, ac tantum non suspecti nobismetipsis negligentiæ in fungendo munere Pastorali, ad hæresin impugnandam nos accinximus.* Quibus verò armis bellum isthoc cernere instituunt? Una, inquiunt, charitate, una Christi Domini pace, non objiciendo terrores, non certando contumeliis; sed hortationibus, votis, precibus compellando adversarios, atque ad concordiam adducendo, eò quòd Christianæ societati, quæ cum iis intercedat, & Catholicæ matris affectui magis aptum & congruum fore duxerint, de gremio pacis Apostolicæ fugientes paternis monitis revocari. *Quare*, inquiunt, *monemus cohortamur*

& literæ circulares ad Episcopos, quibus negotium extinguendi schismatis commendatur,

múrque toto pondere charitatis inclinantes ad reconciliationem pacis, ut revertantur ad nos. Percunctamur iterum atque iterum, cur abscesserint, quare Catholicam unitatem repudiaverint: significamus, quàm proclive futurum sit, plaga obducta semel persanari cætera, quæ medicina egere videbuntur; atque adeò pollicemur, si ex animo resipiscant, à nobis esse vel cum Matris Ecclesiæ quasi quodam incommodo recipiendos. Ne verò inde Reformati sumant occasionem sibi ac suis blandiendi spe inani futuræ inter semetipsos dissociationis, quòd exorta sint nuperrimè Romanam inter & Gallicanam Ecclesiam nonnulla dissidia: admonent, primùm non de fidei doctrina, non de morum institutis, verùm de alternantis pro tempore disciplinæ rationibus aliquot, se cum Ministris Summi Pontificis, salva pace fraternæ charitatis contendere: *deinde* posse à Catholicis hominibus adversus Catholicos citra noxæ periculum, dum id more Christiano ac modo fiat, intra viscera Ecclesiæ, neque scisso utero disputari; ac *postremo* illam ipsam contentionem, quam susceperunt, & ipsis fugiendi exemplo suo schismatis, & sibi infectandi ejusdem causam esse oportere, quia in eam necessitatem adducti, ut querelis interdum apud Romanum Pontificem deferendis, Regni juribus interdum, vel Ecclesiæ suæ vindicandis privilegiis agerent, ea moderatione, reverentia, religione in re quavis disceptanda cernendaque usi fuerint, ut ne minimam quidem suspicionem charitatis læsæ moverint, nedum ut simultati locum ullum fecerint, aut divortio occasionem dederint. Atque hanc sui consilii de revocandis ad concordiam Schismaticis totam rationem esse, eamque ad Ecclesiæ Africanæ imitationem expressam, confirmant.

& dissidium cum Pontifice excusatur.

CCCXLVI. Quis verò heic lectis perpensisque Circularium literarum istarum tot artibus lenociniisque non obstu-

De literis illis circularibus judicium authoris.

obſtupeſcat totus? Etenim hæreſes veritatis luce, ſchiſmata charitatis ardore ſuperari, ſapienter quidem Epiſcopi decernunt. Qua verò luce veritatis tot capita fidei, morum & diſciplinæ cum iis controverſia hactenus hæreſeos unquam convicerunt? ſuperârunt? Proſtant bella Jehovæ à viris Dei bellata, quorum exitus abundè demonſtrat, qua parte veritatis lux radiet. Neque novellæ illæ Methodi ſedecim numero, ab Epiſcopis niſi fallor ad convertendos ad Papatum orthodoxos præſcriptæ, & à Methodiſtis recentioribus variis emendicatæ, veritatis luce quenquam illuſtrare poterunt, cùm mera ſophiſmata, & adverſus invictum Dei verbum machinas carnalis ſapientiæ, atque ludibria contineant. Quo dein charitatis ardore ſuperare ſchiſma contenderunt? Etenim ſi charitatis arma illa ſunt, quibus à longo jam tempore adverſus Reformatas Eccleſias decernunt, non utique docendo, inſtituendo, Cœleſtis veritatis manifeſtatione omnium conſcientiis ſeſe veluti coram Deo commendando, inſinuando; ſed terrores terroribus cumulando, libertatis *irrevocabilibus pactis* conceſſæ nervos omnes concidendo, miſerorum fortunas affligendo, Templa Regiis pactis conceſſa evertendo, impuberes ſeducendo, certamina emortualia decumbentium infeſtando, denique ſubdolis & erubeſcendis planè artibus, qualibus nunquam certè Chriſtus, nunquam Apoſtoli, nunquam Epiſcopi, nunquam Imperatores Chriſtiani veteres uſi ſunt, qualiumque forte Gentiles ipſos olim puduiſſet; columbinam ſimplicitatem fidelium oppugnando, næ charitatis illo bello præclarè defunctos confitebimur. Quo charitatis ardore deinceps ſchiſma aggreſſuri, ſuperaturi ſint, tempus, atque utinam non etiam profundiſſima tot fidelium ſuſpiria & lachrymæ, docebunt. Mirum præterea ſupra modum, quòd

lectis

lectis jam Romani Pontificis literis monitoriis, in animum venire Patribus illis potuit, ut ſuum non cum Miniſtris Pontificis, ſed cum ipſo Pontifice diſſidium tantopere ſibi extenuandum putaverint. De alternantis pro tempore diſciplinæ rationibus aliquot agi, ipſemet Pontifex diſertè negavit, atque aliò conſilia relaxandi canonum diſciplinam pro temporum neceſſitate pertinere, denique, *per abuſum Regaliæ non ſolum everti diſciplinam Eccleſiæ, ſed etiam fidei ipſius integritatem in diſcrimen vocari, diſciplinæ & Hierarchiæ Eccleſiæ fundamentum everti*, gravibus adeò ſonantibuſque verbis pertendit. Neque arbitrabimur nos, an *ne minimam quidem læſæ charitatis ſuſpicionem moverint, nedum ſimultati cum Pontifice locum ullum fecerint, aut divortio occaſionem dederint.* Aliter tamen cenſere Pontificem, Monitoriæ ejus literæ, quarum initio ſtatim teſtatur, Epiſcopos Clerumque Galliæ, qui corona olim & gaudium fuerint Apoſtolicæ Sedis, ita ſe erga illam in præſens gerere, ut cogatur ipſe multis cum lachrymis uſurpare Propheticum illud: *Filii matris meæ pugnaverunt adverſus me*; manifeſtè arguunt. Saltem majori jure Eccleſias noſtras à Romano Pontifice diſſidere, quando ejus potiſſimùm culpa omnis religio & fides in Eccleſia depravata & lethaliter vulnerata eſt, atque ille, ut emendaret tot fidei, morum, diſciplinæ corruptelas, nulla ἀποδείξει πνεύματος, *demonſtratione Spiritus*, precibus monitiſque nullis flecti & adduci potuit, quin potiùs exaſperatus etiam magis adverſus demonſtrantes, orantes, monentes anathemata vibravit, ferro flammaque immaniter ſæviit: quàm quo Eccleſiæ Gallicanæ Clerus à Romano Pontifice in re, quam parvi momenti eſſe cenſet, pertinaciter diſſidet, dubitamus nulli. Veriſſimè enim jam olim S. Nazianzenus *Orat.* 1. *de pace* pronuntiavit, ὅτι κρείσσων ἐμπαθὴς ὁμονοίας ἡ νικῶσα εὐσε-

Βελίας Λέξασις contentionem pietatis causa susceptam concordia affectibus obnoxiam potiorem esse.

Ejusdem Congregationis literæ ad fratres secessionis Calvinianæ monitoriæ.

CCCXLVII. Circularibus illis ad Episcopos Galliæ literis junctæ erant aliæ, monitionis scilicet ad schismaticos exemplaria, quæ ut curent continuè nota fieri omnibus & singulis Calvinianæ Sectæ consistoriis, injunctum iisdem est. Prostant & illæ literæ, his verbis inscriptæ subscriptæque: *Archiepiscopi, Episcopi, & Clerus Gallicanus omnis, auctoritate Regia Parisiis congregatus. Fratribus Secessionis Calvinianæ correctionem, reditum, concordiam exoptant.* Exordium literarum gemitum Ecclesiæ universæ Christi ob secessionem illam sic pandit: *Ingemiscit jam diu, Fratres, universa Christi Ecclesia, & maximo cum dolore plena Sanctæ ac Sinceræ pietatis parens Vos ab utero, ab uberibus, à gremio suo voluntaria secessione abstractos, & in solitudine adhuc errantes videt. Numquid enim poterit Mater oblivisci Filiorum uteri sui? aut Ecclesia non meminisse charitatis erga Vos, malè memores quidem, at Filios tamen suos, quos erroris contagio à veritate Catholica, & Calvinianæ defectionis tempestas à veteris Fidei Sanctitate abstraxit, à Capite Christianæ unitatis avulsit. Hinc est, Fratres, quòd illa ingemiscit, ac divisa sua viscera gravissimè pariter atque amantissimè conqueritur. Quærit Filios amissos, vocat ut perdix, ut Gallina congregare satagit, ut aquila provocat ad volandum, & maternis anxia doloribus conatur vos, Filioli, iterum parturire, donec verè & Catholicè in Vobis reformetur Christus.* Tum rationem sibi reddi secessionis suæ à Papatu severè postulat, his verbis: *Nos adeò Clerus omnis Gallicanus, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam, in qua nati estis, & qui hæreditate non interrupta eandem Fidem, eandem Cathedram tenemus, quam Sancti Pontifices, qui Christianam Religionem Galliis intulerunt; convenimus Vos, & qua legatione pro Christo defungimur, tanquam Deo exhortante per nos quærimus à vobis, cur schi-*

sma

ſma feceritis? Enimverò, ut ſe habent res veſtræ, velitis nolitis, vos eſtis Fratres noſtri, quos olim unus omnium noſtrûm Pater, qui in Cœlis eſt, in adoptionem filiorum receperat, & quos una Mater Eccleſia in ſpem æternæ hæreditatis ſuſtulerat. Imò & ille ipſe, qui Vos primus faſcinavit non obedire veritatis Evangelio, Profeſſionis noſtræ Anteſignanus, nonne antea nobiſcum vivebat frater unanimis? non in eadem verſari domo, non iiſdem eſcis ſpiritualibus veſci, non mutua Chriſtianæ nobiſcum fraternitatis exequi ſolebat officia? Excuſate, ſi poteſtis, apud Patrem, apud Matrem, apud Fratres, fugæ tam flagitioſæ, tam abruptæ ac præcipitis infamiam. Diviſionem Chriſti, reſciſſionem Sacramentorum Chriſti, bellum impium in membra Chriſti, criminationes in conjugem Chriſti, negationem promiſſionum Chriſti excuſate, abluite, ſi poteſtis; & quoniam non poteſtis, oraculo Prophetico vos fatemini obnoxios: Filius malus juſtum ſe dicit, exitum autem ſuum abluere non poteſt. Quorſum itaque, Fratres, in radice cum orbe toto non manſiſtis? Cur vota ac deſideria fidelium cum ipſis altaribus confregiſtis? cur conſcidiſtis precibus viam? Illuc aſcenſus ad Deum fuit, cur, ne more conſueto ad Deum fieret oratio, ſcalam tollere de lapide & ſacrilega manu ſubducere laborâſtis? Cæteri adhuc ſectarii hoc moliti erant, non ut altare Chriſti ſubverteretur, ſed ut adverſus altare Chriſti & ſuum ipſi qualecunque extollerent. Vos ne quid ſupereſſet ſacrificii Chriſtiani, inauditum ad hæc tempora facinus, auſi eſtis diruere altaria Domini virtutum, in quibus Paſſer Chriſtus elegerat ſibi domum, & Turtur Eccleſia nidum ſibi, ubi poneret pullos ſuos. At hæc poſtrema, & quodcunque deinceps aut bellorum contra Eccleſiam, aut errorum contra antiquum dogma conſecutum eſt, ſchiſmaticus furor effecit; nec tam veſtræ voluntati, quàm ſchiſmatis ingenio volumus eſſe tribuendum. Hoc adverſus Vos nominatim expoſtulamus, hoc ex vobis quærimus indeſinenter, cur ſchiſma feceritis? Ad hoc niſi reſponderitis, quantumcunq; in aliis dicendo aut ſcribendo contendatis,

superflua loquimini. Tum causam secessionis petitam à moribus hominum, quibuscum vivere sanctiores viri, & legum severiores amatores, nec honestum ad famam, nec salubre ad conscientiam duxerint, diluere multis conati, sic Fratres hos ad reditum invitant: *Quid jam superest, Fratres, nisi ut isti Spiritus S. consilio vestri causa pareamus: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Et per viscera misericordiæ, quæ lacerâstis hactenus, per Ecclesiæ Matris uterum, quem rupistis, per charitatem Fratrum, quam toties violâstis, per Sacramenta Dei, quæ contempsistis, per Altaria Dei, quæ confregistis, per quicquid Sanctum ac Divinum, aut in Cælo, aut in terris colitur, Vos fraternis animis ad correctionem, ad reditum, ad concordiam hortamur. Imò quid jam superest omnino, nisi ut obliti schismatis, & memores uberum revertamini ad propria, ubi tot mercenarii abundant panibus, dum in terra deserta, invia & inaquosa, ne micas quidem ad sustentandam utcunque famem vestram spiritualem colligitis? Ecquid verò cunctamini aut resistitis? Itáne vero in Filiorum nomine erubescitis, inter quos primogenitus Ludovicus Ecclesiæ Matri optimæ nova erigit quotidie trophæa? hoc uno sanè, vestra obstante pertinacia, non satis felix, quòd tametsi pro tuendo nomine Christiano multa in dies religiosè ac piè constituat, è suorum numero subditorum, qui à sacris patriis defecerunt sponte, & ad ritus alienos convolârunt, Religionis transfugas, veteris militiæ desertores, etiamnum videat in suscepto errore permanentes: isque adeò Christianissimus Princeps, qui nobis audientibus ajebat nuper, tanto studio cupere se dispersas disjectásque partes ad Ecclesiæ unitatem revocari, ut id mereri duceret glorioſum, vel Regii sui sanguinis effusione, atque etiam illius invictissimi brachii diminutione, quo tot bella feliciter confecisset. Vosne igitur, Fratres, Augustissimo Principi, Regi vestro, plurimorum ac potentissimorum hostium Debellatori, fortissimarum urbium Expugnatori, maximarum Provinciarum*

ciarum Dominatori, omni genere triumphorum insigni, eam palmam invidebitis, quam cæteris omnibus anteponat? Cæterum dum vos ita compellamus, & ad pacis consilia hortamur, ne dicatis: Nolite nos quærere: nam hoc dicit iniquitas, qua divisi sumus, non charitas, qua Christiani sumus. Memineritis, ita esse mandatum nobis à Spiritu veritatis & Pacis per Prophetam, ut qui se negant esse Fratres nostros, iis dicere non desinamus: Vos estis Fratres nostri. At quod tempus offerri nobis opportunius potest Vos ad Romanam communionem revocandi, quàm quo Romanam Ecclesiam gubernat Innocentius Pontifex, cujus vita & mores ad antiquioris & severioris disciplinæ formam exacti perfectum sanctitatis exemplar orbi exhibent Christiano? Ut ad eum se adjungere virtutis omnis cultorem eximium maximæ virtutis opus ad salutem perinde ut ad gloriam in Vobis futurum sit. Subjunctis novis cohortationibus, tandem Epistola in comminationes non obscuras definit: *Quòd si,* inquiunt illi, *facere adhortantibus nobis pertinaci animo renuitis; Si nec precibus vinci, nec flecti charitate, nec monitis adduci ad concordiam vultis; Angeli quidem pacis amarè flebunt; nec tamen vos continuò, ut fieri par esset erga nimiùm pervicaces, relinquemus vobis: sed per sepes & spinas oves Christi quærere non desinemus: & cùm effecerimus omnia, propter quæ mentes vestræ nobis reconciliari debuerint, pax nostra demum, vobis eam respuentibus, tam officiosè, tam sincerè oblatam, revertetur ad nos, nec amplius requiret Deus animas vestras de manu nostra; & quemadmodum error hic vester novissimus erit pejor prioribus, sic erunt novissima vestra pejora prioribus. Veruntamen meliora speramus, Fratres, & saluti vestræ viciniora.*

CCCXLVIII. Operæ pretium duxi pleraque Epistolæ illius verba, in quibus *favum stillant labia* זרה *Extraneæ, & lenius est oleo palatum ejus;* sed אחריתה *novissimum ejus, amarum sicut absinthium, acutum veluti gladius biceps;* *Fucus earundem detectus.*

(Prov. v. 34.) repræsentare διαῤῥήδην, ne posteritatem lateat, qua contentione, quo fuco, qua ψευδολόγων ὑποκρίσει *hypocrisi falsiloquorum*, quibusve illecebris artibúsque negotium isthoc gestum sit. Enimverò post rationem secessionis, non à vera Christi fideliúmque Ecclesia, sed ab inhærente sociatáque ad tempus eidem Papali factione, cui non magis, quàm Donatistis olim, *universæ Christi Ecclesiæ* nomen congruit, institutæ, non ob mores duntaxat, uti Clerus falsò persuadere conatur, sed ob religionem, fidem, cultúmque omnem, tyrannide affectata in conscientiam, superstitione & idolomania, denique erroribus capitalibus cum verbi Divini veritate hostiliter pugnantibus, miserè corruptum, lethalíque tabe & veneno infectum imbutúmque; toties verè, graviter, serio ipsius verbi Divini, immoti veritatis principii, non μύθων σεσοφισμένων, *fabularum arte confictarum*, authoritate, redditam, tot Sanctorum Martyrum sanguine obsignatam: post stabilitum authoritate Regia in tot Regni locis religionis reformatæ exercitium liberum: post tot Templa contra fas Edictorum diruta, tot calamitates miseris inflictas; quin & ipso persecutionum ardentium æstu, inquirere denuo in causam schismatis, quid, inquam, hoc aliud est, quàm in re seria ludere, vel, si intentionem inquirentium spectamus, δὶς κράμβη θάνατος, *crambe bis posita mors?* Liceat de χρηστολόγοις *blandiloquis* & benedicentibus ejusmodi illa Gregorii M. *Moral.* xxxiii. 36. usurpare: *Assumunt Agni speciem, ut Draconis exerceant operationem.* Quomodo verò diviserunt Christum, qui solùm Christum optârunt, non desiderantes cognoscere aliud, quàm Christum crucifixum? Quomodo Sacramenta Christi rescciderunt, qui à Christo non instituta respuerunt? Quomodo bellum impium in membra Christi gesserunt, qui cum Christo ejúsque

que veris membris omnibus vera fide & charitate indivulsi cohærent? Quomodo Sponsam Christi criminati sunt, qui eandem uni viro Christo castam virginem adjungere omni studio curaque laborârunt? Quomodo negârunt promissionem Christi, qui sola ea freti non timuerunt hactenus, quid sibi caro faceret? Quomodo excisi sunt à radice, qui fide in solum Christum radicem Jesse, ἐπιμένοντες τῇ χρηστότητι *permanentes in benignitate* ejus, consistunt? Quomodo confregerunt altare verum, Christum, qui altaria, vota, desideria hominum, à vero altari Christo, & fiducia in eodem solo collocanda, abstrahentia verbi Divini authoritate freti removerunt? Quomodo precibus viam conscinderunt, quibus solus Jesus Christus justus Paracletus ad Deum via, veritas & vita est? Quomodo sustulerunt scalam de lapide, qui uni Lapidi in Sione fundato pretioso, angulari summo, adeóque ab imo ad summum usque penetranti, pertingenti, Lapidis illius, cujus in Cœlum usque porrecta scala est, antitypo soli, superstructi confidentésque non erubescunt? Quomodo sustulerunt sacrificium Christianum, qui altaria lignea fictitiarum virtutum Domini contra altare nostrum Christum, qui super omnes Cœlos ascendit, ut impleret omnia, erecta, & in quibus nec passer Christus, nec turtur Ecclesia unquam sibi pullisve suis nidum fixere, pensi ampliùs non habent? Quomodo denique moverunt bellum Ecclesiæ, errores contra antiquum dogma seminârunt, qui pro antiquo dogmate non diligentes animas suas usque ad mortem, Archiepiscopis interea, Episcopis, totóque Clero Gallicano inveterati erroris sui pertinacia, & dominantium in partes abreptorum consensu tuto, assueta sibi pompa deliciisque solitis diffluente, ac de cœtero adversus innocuam plebem Christi ad flammam ferrúmque sine fi-

ne

ne & modo conclamante; tot mala, vivicomburia, lanienas inauditas, vitæ discrimina, fortunarum incendia sustinuerunt; quandoque etiam adversus Henoticos religionis prætextu dominationi inhiantes, hæredem Regni, se religionemque vindicantes strenuè defensitârunt? Quam igitur causam expostulandi adversus innocentes oppressos, toties vim Cleri conscientiis eorum dominantis injustam passos, habuerunt? Quin potiùs Cleri Gallicani Pontificii est reddere rationem schismatis, divortii, secessionis pernicioſissimæ omnium à Christo ad Papam, ἀντίχριστον, *vicarium* Christi sese venditantem sine tabulis juris Divini, imò adversus authoritatem earundem, efferentemque se adversus omne id, quod Deus est & dicitur: à lege Christi ad legem Papæ: à vivis aquis limpidisque fontibus verbi Divini ad olidas cisternas traditionum humanarum, earumque incertarum planè & fluxæ fidei: à sacrificio Christi cruento ad incruentum Missaticum: à Christi intercessione & invocatione ad intercessionem & invocationem Sanctorum, sive verorum, sive fictitiorum: à justitia Christi Evangelica, in qua sola Deus acquiescit, ad justitiam propriam, humanam, qua freti olim Judæi justitiam Divinam amiserunt: à cultu unius soliusque Dei ad cultum hominum, auri, argenti, ligni, lapidum, ossium, aliarumque rerum Divinitatis expertium, ut infinita ejusmodi, ob quæ cum Pontificia communione, si fidem conscientiamque suam salvam vellent nostri, nulla iis συμφώνησις, συγκαταθεσις, nullum consortium commerciumque, communio nulla esse potuit, silentio præteream. Cùm verò à Christo, ejusque Ecclesia vera & Catholica nunquam Reformati in Gallia discessionem fecerint, sed Reformatione sua scorias duntaxat, sordesque ab auro & argento, lapidibusque pretiosis cœlestis doctrinæ, paleas à tri-

à tritico, vile à pretioso separaverint, non iis utique ad communionem Papatus, sed Clero potiùs ad Christum veramque & Catholicam ejus, à qua devius errat, Ecclesiam, cum qua Reformatæ Ecclesiæ Galliæ conjunctissimæ sunt, revertendum fuerit, juxta consilium Dei salubertimum, quod his verbis Jerem. xv. 19. consignatum legimus: *Propterea sic dixit Jehova: Si conversus fueris, tunc convertam Te, & coram me stabis. Et si eduxeris pretiosum à vili, tanquam os meum eris. Convertentur ipsi ad te, & tu non converteris ad ipsos.* Religio igitur sit Vobis, ô Fideles, Sanctificati, Asserti semel & illuminati à Spiritu Dei, ô inops, imbellis, mœsta לחוח *Congregationi* (ita nonnulli Psal. LXXIX. 19. interpretantur) tradita Turtur, quæ, amisso, vel abscondente potiùs se ad tempus, Compare tuo, apud Te & Deum Tuum solum plorabunda ingemiscis; religio, inquam, sit Vobis audire voces & lenocinia *Extraneæ*, ad amores suos pellicientis, adhortente vos graviter Spiritu Dei per sapientissimum mortalium Prov. v. 20. 21. *Ut quid delectaberis, Fili mi, cum Aliena, & amplecteris sinum Extraneæ? Quando coram oculis Jehovæ sunt viæ viri, & omnes semitas ejus ponderat. Iniquitates suæ capient ipsum Impium, funibus peccati sui tenebitur. Ipse morietur, eò quòd non audivit eruditionem: & propter multitudinem stultitiæ suæ errabit.*

CCCXLIX. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Produximus enim, uti institutum nostrum ferebat, Ecclesiæ Romanæ historiam ad nostra usque tempora, quæ ob ejusdem adversus veram Ecclesiam Christi odium inveteratum & ἄπονδον, crescentem in dies sævitiam, magnamque insidiarum, moliminum, persecutionum tum apertè crudelium, tum occultè graviusque ignis instar, qui erumpere non valens periculosiùs interiora appetit, sævientium, *Finis Operi imponitur.*

& ima viscera Ecclesiæ arrodentium, molem עת רעה *tempus malum* Amos. v. 13. & Καιροὶ χαλεποὶ *tempora difficilia* 2. Timoth. iii. 1. dixeris merito. Exiverunt pridem, exeuntque quotidie ex portis Ecclesiæ hujus seductores Spiritus ad Reges terræ & habitabilis totius, ut eos congregent ad prælium diei illius magnæ Dei Omnipotentis in locum *Harmageddon* Hebraicè dictum. *Ecce*, ita interea Filius Dei ex Cœlo fideles suos alloquitur, *venio sicut fur. Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus*, Apoc. xvi. 14--17.

Prosphonesis ad Romam.

CCCL. Tu verò ROMA,

Spurcum cadaver pristinæ venustatis,
Imago turpis puritatis antiquæ.
Nec Roma Romæ compos, sed tamen Roma,
Sed Roma, quæ præstare non potes Romam,
Sed quæ foveris fraude, quæ foves fraudem
Urbs prurienti quæ obsoletior scorto,
Et obsoleti more pruriens scorti,
Quæ pene victa fœce prostitutarum
Te prostituta vincis, & tuum facta es
Tibi Lupanar in tuo lupanari.
Vale pudoris urbs inanis & recti,
Tui pudoris nominisq; decoctrix,
Turpis litura non merentium rerum,
Ocelle quondam, nunc lacuna Fortunæ
Negotiosa mater otiosarum.
Vale nefanda, constuprata, corrupta,
Incesta cælibum Quiritium manceps!

Tu omnium in Christiano Orbe malorum causa es, quorum tibi coram Deo forti, justo, Zelote reddenda erit quandoque ratio. Propter te mactantur, affliguntur, vexantur tot millia hominum Christum Salvatorem suum ve-

rè

rè & purè colentium. Tibi omnis ille sanguis innocentissimorum effusus est, Tibi omnis succepta vexatio, patrata persecutio est. Non alia tot persecutionum, totinflictorum malorum causa, ac ne prætextus quidem alius est, quàm quòd Christiani tuam illam, nullo jure, nullo titulo hactenus in fidem & conscientiam eorum usurpatam, Apostolicam videlicet, authoritatem agnoscere sicut non potuerunt, ita noluerunt. Homines Tu quidem fallere potuisti, & poteris, quousque justè sanctéque permiserit Dominus. Sed dispolita jam fata tua sunt. DEUS *destruet Te in finem, evellet te, & emigrare te faciet de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium. Arguet te, & statuet se contra faciem tuam.* De Te, & Tibi dicta noveris ferientia illa oracula: *Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & capita decem. Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurato auro, lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immunditia fornicationis ejus. Et in fronte nomen ejus scriptum: Mysterium: Babylon illa magna, mater fornicationum & abominationum terræ. Cecidit, cecidit Babylon illa Magna: quæ à vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes. Justus es Domine, qui ès, & qui eras Sanctus, qui hæc judicâsti; quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguine potâsti eos, digni enim sunt. Babylon magna venit in memoriam ante Deum, ut detur illi calix vini indignationis iræ ejus.* Quæ Tibi soli examussim & παρρησίως convenire, deinceps, σὺν θεῷ παλάμᾳ manifestum faciemus. At clamant interea animæ decollatorum afflictorumque omnium propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei, subtus altare Dei: USQUE QUO DOMINE, SANCTE ET VERAX, NON JUDICAS ET NON VINDICAS SANGUINEM NOSTRUM

& Ecclesiæ triumphantis militantisq; ardentia vota.

STRUM DE iis, QUI HABITANT IN TERRA. Et quita hæc testatus est, dixit: ETIAM, VENIO CITO. AMEN. suspirantibus omnibus, qui adventum ejus diligunt: ETIAM VENI, DOMINE JESU. Tibi Patri, Filio & Spiritui S. ob abyssos judiciorum & gratiarum divitiarumque Tuarum sit Magnificentia & Robur, Gloria, & Victoria, & Honor in Secula Seculorum!

FINIS.

FRANCISCI GUICCIARDINI

Patritii Florentini, & Leoni X. Pontifici Romano à Secretis consiliis,

HISTORIA PAPATUS

Quam,

In Historiarum ejus Libri Quarti impressis Exemplaribus mala fide omissam,

Ex Autographo Florentino, Nobilis Florentini consanguinei bona fide, una cum Paralipomenis nonnullis aliis, restitutam, ob argumenti affinitatem adjungere placuit.

Nobilis Florentinus

LECTORI.

In vadendis occupandisq; Imperiis, juris sæpe color initio quæri solet: stabilita verò fundataq; semel tyrannide, vetera illa initia quantum potest obruuntur, lex tantum Regia nude, & veluti ἐν αἰνιγμοῖς obtenditur, in contemptores legibus Majestatis perduellionumq; vindicatur. Itaque simpliciter magis & ingenuè, quàm cautè Paulus III. cum de summa ipsius potestate aliquādo inter familiares mentio incideret, ridere illos solitus erat, ut scholasticos & rerum rudes, qui à Christo eam tam anxiè repeterent, cujus se possessionem vel solam, optimum & firmissimum titulum habere dicebat, quam viribus opibusque summis, civitatibus munitissimis, & potentissimorum Principum sibi conjurantium auxilio tueri ac defendere posset. Prudentius etiam Italorum pars maxima, quæ Pontificem Romanum, non uti Deum aliquem, aut Dei vicarium ob fulmina illa, quibus jam pene totus inermis est; sed ut Principem viris, armis, urbibus, castellis, fœderibusque potentissimum reveretur & observat. Nos verò, quos ille ut puerulos sola vanæ religionis larva perterret, quibusque ut venalitiis mancipiis pro arbitrio abutitur, scire aliquando par est, quo jure, quave injuria tam duro inclementiq; Domino serviamus: non ut tanquam Spartaci bellum aliquod servile moveamus, sed ut ingenui nati, & quorum majores servitutem illam non servierunt, vindicibus tamen idoneis vel tertia assertione semel amissam libertatem & strenuè recuperemus, & fortiter retineamus conservemusque. Natales porrò nostros, vel ab ejusdem Domini familia, aliqua saltem ex parte repetere licet, ex qua est hoc quidem mancipium, sed frugi admodum & manumissione dignissimum: cujus etiam hac in re fidem herus infidelissimus per alligatos obruere conatus est. Nos tabulas quasi ex naufragio, aut potius ex rogo vispellionum manibus extortas omnibus reddimus. Quarum fidem & vindicum satis perspecta integritas, & auctoris stylus, & loci ipsius, unde dolo malo detractæ sunt, vel sola inspectio sic asserunt, ut de ea nemo bonus justè dubitare possit. Reliquum est, ut hoc beneficio prudenter & serio utamur fruamurque, ne si nos ob prettum participandum iterum quodammodo venire patiamur, non eadem posthac spes libertatis affulgeat, & perpetua servitute dignissima etiam gravioribus flagris mancipia premamur.

FRAN-

FRANCISCI GUICCIARDINI

Locus, historiam Papatus edisserens, restituendus Libro IV. post concessit, *&c.*

AD cujus rei, & multarum aliarum sequentibus temporibus gestarum clariorem notitiam, res ipsa poscit, uti quid juris in Flaminiæ, quæ nunc *Romagna* dicitur, oppidis, aliisque compluribus, quæ vel nunc possident, vel antea variis temporibus possederunt, Romani Pontifices habeant, dicatur: quoque pacto ab initio rerum sacrarum administrationi duntaxat præfecti, ad Regna & Imperia pervenerint: ad hoc ut id etiam tanquam his annexum & conjunctum, quæ ob has atque alias causas contentiones diversis temporibus inter Pontifices atque Imperatores extiterint, commemoretur. *Occasio Historiæ.*

Pontifices Romani, quorum primus Petrus Apostolus fuit, accepta ab Jesu Christo in rebus sacris ac divinis auctoritate, charitate, submissione, patientia, spiritu sacro & prodigiis magni, per illorum initia non modo potentia civili & mundana penitus nudati, verum etiam ab illa vexati, diu obscuri ac ferè ignorati fuere: eorum nomine nulla re magis quam suppliciis & cruciatibus perferendis innotescente, quæ una cum iis, qui eos sequebantur, sustinebant. Nam etsi cum propter infinitam multitudinem diversarum nationum & sectarum, quæ in urbem Romam confluxerant, parum Christianorum progressus & actiones animadverterentur, essentque ab quorundam Im- *Pontificum primorum humilitas.* *Eorundem persecutio.*

pe-

peratorum vi & vexationibus immunes, nisi si quando illorum publici ritus silentio præteriri non possent: nihilò minus tamen aliqui alii, sive innata veritate, sive Deorum suorum insano quodam amore perculsi, eos tanquam novarum superstitionum auctores, & suæ religionis everlores, atrociter persequebantur.

Sub Constantino M. Libertate fruuntur.

Hoc in statu tum voluntaria paupertate, tum vitæ reliqua sanctimonia, tum suppliciorum acerbitatibus clarissimi, ad Silvestri Pontificatum perstiterunt. Cujus temporibus quum ad Christianam religionem Constantinus moribus sanctissimis Christianorum, & prodigiis atque miraculis, quæ frequentissima in iis, qui Christi vestigia sequebantur, elucebant, permotus, animum appulisset, Pontifices à periculis, in quibus annos circiter trecentos versati fuerant, tuti, liberius cultum divinum exercere, ritusque Christianos palam profiteri. Quamobrem factum est, ut partim morum & vitæ admiratione, partim præceptorum, quæ nostra religione continentur, sanctitate, partim quoque facilitate quadam mortalium, qua plerumque vel ambitione, vel metu, Principis sui exemplum imitantur, nomen Christianum mirificè omnibus in locis propagari, paupertas verò illa sacerdotum beata diminui, cœperit. Nam Constantinus templo in Laterano Divo Joanni, in Vaticano Petro Apostolo, itemque Paulo, aliisque diversis in locis, ædificatis, ea non modo pretiosis vasis ornamentisque ditavit, verum etiam, ut sarta tecta tueri ac renovare, quæ extructa erant, seque, qui rebus sacris operam darent, sustentare possent, prædiis atque aliis vectigalibus donavit: alii præterea multi post secuti, rati beneficiis hujusmodi faciliorem aditum in cœleste regnum sibi patefieri, aut nova extruebant fana, eaque donis cumulabant; aut jam extructis suorum bonorum portionem

Nomen Christianum propagatur & Ecclesia ditatur.

ali-

aliquam attribuebant; quin etiam sive lege quapiam inveterata, sive consuetudine, ad legis Moseæ exemplum quisque de bonorum suorum fructibus decimam partem locis religiosis pendebat. Ad quod quidem efficiendum magno cum ardore excitabantur, quod viderent ab initio Sacerdotes, eo excepto, quod ad parcissimum victum sibi reservabant, quicquid reliquum erat, partim in ædificia religiosa, eorumque supellectilem, partim in egenos aliosque pios usus impendere. Cumque nondum superbia & ambitio in eorum pectoribus insedisset, ab universis, qui ubique erant, Christianis omnium Ecclesiarum supremus custos, & tanquam Petri Apostoli successor Episcopus Romanus agnoscebatur: primum quòd ea civitas ob suam antiquam dignitatem, tanquam reliquarum caput & Princeps, Imperii nomen majestatemque retinebat: deinde quod illinc in bonam Europæ partem religio Christiana diffusa erat: postremò quia Constantinus à Silvestro ritu Christiano aquis initiatus, ejusmodi auctoritatem in eo atque in ejus Successoribus libenter agnoverat.

Divitiæ Ecclesiæ pietas Sacerdotum promoves.

Episcopi Romani Ecclesiarum reliquarum custodes agnoscuntur.

Fama quoque est, Constantinum Orientis provinciarum motibus Imperii Sedem Byzantium, post de suo nomine *Constantinopolim* appellatam, transferre compulsum, Pontifici Romanæ urbis aliarumque & urbium & regionum in Italia imperium donasse. Quæ fama quamvis à sequentibus Pontificibus diligenter fuerit enutrita & sustentata, eorumque auctoritate à multis credita, est nihilominus cùm ab scriptoribus gravissimis, tum verò rebus ipsis refutata. Illud autem certò constat, & tunc & longo post tempore urbem Romam Italiamque omnem, tanquam Imperio Cæsarum obnoxiam, ab Imperatorum ministris ac Præfectis fuisse gubernatam. Nec desunt, qui,

Donatio Constantini M. rejecta.

Post Constantini M. migrationem Byzantinam.

Pontificum potentia originem sortitur.

quicquid de Constantino & Silvestro dicitur (usque adeo sæpe profundis in tenebris res vetustæ demersæ latent) redarguant, ostendantque eos longè diversis temporibus extitisse: nemo tamen negat, Imperii Constantinopolim translatione ad Pontificum Potentiam, viam esse patefactam, ex eaque originem habuisse. Nam indies magis & magis Imperatorum auctoritate, tum ex illorum continua absentia, tum quòd gravissimis in Oriente bellis distinerentur, in Italia debilitata, populus Romanus ab Imperatorum obedientia paulatim desciscens, atque ob eam rem tanto magis Pontifices præsentes respiciens, eis cœpit non obedientiam quidem, sed voluntarium quoddam obsequium exhibere.

Impeditur tamen eadem subinde à Gothis & Vandalis: nec non Exarchis, Romanis Præsidibus imponentibus.

Quanquam ne hæc quidem nisi lentè sese ostenderunt, ob Gothorum & Vandalorum aliarumque barbararum nationum in Italiam effusiones, â quibus capta sæpè ac directa Roma, & Pontificum nomen, quod ad civiles attinet res, in obscuro penè contemptim jacebat, & Imperatorum in Italia auctoritas evanescebat, quandoquidem eam tanta cum ignominia prædæ barbaris expositam deserebat. Aliarum nationum impetus cùm torrentis instar erupisset, Gothorum per annos septuaginta potentia permansit. Erant hi nomine & professione Christiani, genere à prima origine Scythæ & Daci; quibus tandem Cæsarum armis Italia pulsis per Græcos iterum Magistratus cœpit Italia gubernari: quorum qui cæteris imperabat, Græca voce *Hexarchus* appellabatur, sedemque Ravennæ in urbe vetustissima, eisque temporibus opulentissima, atque ob agri bonitatem frequentissima, habebat. Nam post magnum incrementum ex Cæsaris Augusti atque aliorum Imperatorum classe validissima susceptum, quam in ejus portu urbi penè conjuncto, cujus nunc vix ullum extat vestigium, con-

continenter tenuerunt, à multis belli Ducibus, deinde ab Theodorico Gothorum Rege, ejusque successoribus fuerat habitata: qui quòd Imperatorum potentiam suspectam haberent, eam potius quàm Romam, Regni sui sedem maris opportunitate, Byzantio propioris, ducti delegerunt. Quam opportunitatem Hexarchi, etsi contraria ratione, secuti, cum ibi consedissent, Romanæ urbi, aliisque; Italiæ civitatibus proprios imponebant Præfectos, quos Duces appellabant. Hinc Ravennatis Hexarchatus nomen: quo nomine omnia comprehendebantur, quæ proprios Duces non habebant, sed uni Hexarcho obtemperabant. Qua tempestate Pontifices Romani, civilis potestatis penitus expertes, atque in mortalium animis admiratione & observantia, moribus ipsorum ab illa pristina puritate jam fatiscentibus, obsolescente, tanquam Imperatoribus subjecti ætatem agebant; sine quorum & eorum, quos Hexarchos diximus appellatos, auctoritate, quamvis Sacerdotum Populique Romani suffragiis renuntiati, neque se pro Pontificibus gerere, neque Pontificatum capere audebant, quin etiam Episcopi Constantinopolitanus & Ravennas, quoniam religionis sedes Imperii atque armorum potentiam sequi consuevit, cum Romano Episcopo sæpenumero de principatu disputabant.

Episcopi Constantinopolitanus & Ravennas Romano de primatu controversiam movent.

Cæterum haud multo post rerum mutatio consecuta. Nam Longobardi, gens ferocissima, in Italiam ingressi, Galliam Cisalpinam occuparunt: ab quorum imperio *Longobardia* est appellata. Adjecerunt etiam Ravennam cum Hexarchatu universo; alias præterea multas Italiæ partes, armis Picenum usque & Spoletum, & Beneventum prolatis: quibus in locis Duces à se dictos imperare jusserunt. Atque hæc omnia, dum Imperatores partim igna-

Longobardi Italiam occupant.

via, partim Asiaticis bellis detenti, hisce rebus parum prospiciunt.

Roma ab Imperatore deserta per Pontifices gubernari incipit.

Horum igitur auxiliis Roma destituta, cùm nec jam Hexarchorum magistratus essent in Italia, consiliis atque auctoritate Pontificum gubernari cœpit, qui, cùm aliquot annis post unà cum Romanis ab Longobardis opprimerentur, ad Pipini Francorum Regis auxilia tandem se receperunt. Qui valido in Italiam exercitu, ubi Longobardi annos ultra ducentos dominatum tenuerant, ducto eos inde pepulit, partemque ipsorum Imperii, quasi belli jure parti, Pontifici & Ecclesiæ Romanæ condonavit: in quibus non modò Urbinum, Fanum Fortunæ, Eugubbium, (Igninum olim) multaque alia Romæ vicina oppida, verum etiam Ravennam cum Hexarchatu suo, quo contineri ajunt quicquid à Placentiæ & Papiæ finibus Ariminum usque Padum & Apenninum, stagna sive paludes Venetorum, & Adriaticum sinum clauditur: Ad hæc ipsum Ariminum ad Toglam flumen, tunc Isaurum appellatum.

Pipinus Longobardis ptis partem Imperii ipsorum Ecclesiæ Romanæ donat.

Carolus M. eandem denuò à Longobardis vindicat, & non parum auget.

Pipino autem mortuo, cum denuo Pontificibus Longobardi essent infesti, & quæ ipsis donata erant invaderent, Carolus ejus filius, qui post ob maximas victorias Magni cognomentum meritò est adeptus, eorum imperio funditus everso, à patre Ecclesiæ Romanæ donata comprobavit, & nominatim Picenum & Spoleti Ducatum, quo Aquila oppidum Brutiorumque pars continetur, Pontifici tum, cùm cum Longobardis bellum gereret, attributa. Hæc sic habere certò affirmant, quibus Pontificii quidam Scriptores addunt, eundem Carolum Ecclesiæ donâsse Liguriam ad Varum amnem, Italiæ terminum; Mantuam item & quicquid Longobardi

di in foro Julii, atque in Hiſtria poſſidebant. Idem quoque aliquis ſcribit de Corſica Inſula, totoque illo tractu, qui Lunam inter & Parmam intereſt. Ob quæ beneficia Reges Galliæ celebrati, & honoribus à Pontificibus affecti, *Chriſtianiſſimi* appellationem ſunt conſecuti.

Leo Papa una cum populo Romano Carolum M. Imperatorem nominat.

Poſt etiam anno ſalutis octingenteſimo, Leo Pontifex una cum Populo Romano (verum Pontifex haud alia auctoritate, quàm ut ejus Populi caput) eundemmet Carolum Romanorum Imperatorem nominarunt, nomine quoque ipſo hanc Imperii partem ab Imperatoribus Conſtantinopoli agentibus ſejungentes, tanquam Roma provinciæque occidentis ab illis deſertæ in periculis, propriorum Principum tutela opus haberent. Hac Imperii diſtractione Tranſmarini Imperatores, nec Siciliæ Inſula, nec ea Italiæ parte, quæ ab urbe ipſa Neapoli Manfredoniam uſque pertingens mari terminatur (quoniam ſemper illorum Imperium agnoverant) excluſi fuere: nec ob id de conſuetudine, qua Pontifices Imperatorum, quorum nomine Roma gubernabatur, auctoritate confirmarentur, derogatum eſt: quin etiam in ſuis diplomatibus ſcripturæ tempus his verbis conſignabant: IMPERANTE CAROLO DOMINO NOSTRO. In qua minimè gravi vel ſubmiſſione, vel obſervantia perſtitere, dum rerum eventus animos addidêre, ut ſuo ſe nutu regerent. Quippe cùm Imperatorum potentia debilitari cœpiſſet, primùm diſſidiis inter Caroli Magni poſteros, dum penes eos Imperii Majeſtas iſterit: deinde Imperii ad Principes Germanos translatione, potentia Caroli Magni ſucceſſoribus minimè pares, Pontifices populuſque Romanus, cujus magiſtratibus Roma cœpit, quamvis perturbatè & confuſè, gubernari, Imperatorum auctoritati quibuscunque modis dero-

Pontifices tamen Imperatoribus adhuc ſubſunt:

donec poſteris Caroli diſſidentibus Pontifices ab Imperatoribus eligi renuerunt.

gantes, lege sanxerunt, ne de inceps Pontificum lectio, Imperatorum auctoritate niteretur, quod quidem per annos plures variè servatum est, prout rerum vicissitudine Imperatorum potentia aut surgebat aut inclinabat.

Gregorius V. authoritatem eligendi Imperatoris in Germanos transfert:

Quæ, posteaquam ad Othones Saxonas Imperium pervenit, aucta. Gregorius Quintus Othonis Tertii favore, qui tum Romæ erat, ad Pontificatum assumptus, hinc suæ gentis amore, illinc Romanorum quibusdam injuriis impulsus, suo Decreto legendi Imperatoris jus & auctoritatem, ea forma quæ ad hæc usque tempora perducta servatur, in Germanorum nationem transtulit: atque ut Pontificibus in Imperatores auctoritatem aliquam retineret, eisque vicem redderet, interdixit, ne quis Imperatoris Augustive appellatione, aliove nomine, quàm Regis Romanorum & Cæsaris uteretur, ni prius Imperii coronam à Pontifice (unde mos inolevit, ut ad capiendam coronam Romam veniant) acceperit.

ea tamen lege, ne nisi confirmatus à Pontifice Imperatoris & Augusti nomen usurpet.

Roma post Othones ab obedientia Imperatorii deficit.

Cæterum Othonibus extinctis, & potentia Imperatorum labefactata, quod ad magnos Reges hæreditario jure Imperium, non veniret, Roma palam ab illorum obedientia defecit, multæque urbes, Conrado Suevo imperante, rebellarunt: & Pontifices suæ amplificandæ auctoritati intenti, Romanæ civitatis dominatum propemodum obtinebant. Sæpe tamen propter populi insolentiam & discordias, multis difficultatibus laborabant; quem ut in officio continerent, Henrici Secundi favore, qui tum Romæ erat, Pontificis creandi jus in Cardinales solos transtulerunt.

Apulia, Calabria, Sicilia, Romanorum Pontificum feudum esse incipiunt.

Pontificum magnitudini nova accessio facta est. Nam cùm Normanni, quorum primum Guilelmus Ferabrachius est appellatus, ab Imperio Constantinopolitano Apulia & Calabria subtracta, Robertus Guicciardus ex illa gente

te unus, sive ut colore juris aliquo sese muniret, sive quo adversus eos Imperatores potentia se armaret, sive alia de caussa, Benevento Pontifici, quasi Pontificii juris esset, restituto, Apuliæ Calabriæque Principatum, quasi Ecclesiæ Romanæ feudum recognovit. Cujus exemplum Rogerius ejus successorum unus secutus, inde pulso Guilelmo eadem familia orto, post etiam Sicilia occupata, ferè anno Salutis M. C. X X X. harum provinciarum jus à Pontifice accepit: estque Rex utriusque Siciliæ, quarum una ultrà, altera cis fretum sita est, appellatus. Neque enim Pontifices, ambitione & propria utilitate adducti, alienam cupiditatem & vim fovere recusarunt. Hac juris specie freti, ulterius Pontifices progressi (ut cupido humana gradum sistere nequit) quosdam Reges illis Regnis quasi contumaces privare cœperunt, in aliosque transferre. Quo more ad Henricum Friderici Barbarossæ filium, ab hoc ad Federicum Secundum ejus filium, qui tres ordine Romani Imperatores fuerunt, ea Regna pervenere. Verum cum Federicus Pontificem bello persequeretur, essentque illo tempore Guelforum & Gibellinorum factiones excitatæ, quarum alterius caput erat Pontifex, alterius Imperator. Pontifex, mortuo Federico, Carolum Andiovinorum & Provinciæ comitem (cujus antea facta mentio est) utriusque Siciliæ Regem appellavit, hac lege, ut quotannis auri unciarum sena millia tributi nomine penderet; ac ne quis eorum Regum in posterum Imperatoris Romani appellationem posset admittere: quæ exceptio semper ab eo tempore in Regni Neapolitani diplomate expressa fuit. Nam Siciliæ Regnum post à Tarraconensibus Regibus occupatum, à Pontificum obedientia sese subduxit, atque à tributo pensitando vindicavit.

Eorum Reges pro lubitu Pontifices deponunt, & regna transferunt.

Ad

Donationes dubiæ Mathildis, Authperti, & Luithbrandi Regum Longobardiæ.

Ad hoc obtinuit fama (etsi haud ita certa, quàm ea, quæ hactenus dicta sunt) Mathildam Principem in Italia præpotentem, Ecclesiæ eam partem Etruriæ donasse, quæ Pescia torrente & Quirici castello in Senensium finibus ab una parte, ab altera mari infero & Tyberi amne, quæ hodie *Patrimonium Petri* vulgo nominatur: & addunt alii, ab eadem Ferrariam Ecclesiæ donatam. Hæc postrema dubia fide retulimus. Cæterum multo magis dubia, quæ ab aliquo scripta sunt, videlicet Authpertum Longobardorum Regem, florente ipsorum Regno, eidem Ecclesiæ Alpes Coccias, in quibus Genua, & quicquid ab ea in Provinciam usque Romanorum patet: & Luithprandum ejusdem gentis Regem Sabinam, Romæ propinquam regionem, Narniam & Anconem, cum aliis quibusdam oppidis, attribuisse.

Pontificum sub Imperatoribus, Constantino M. Longobardi & Galliæ Regibus status.

In hunc igitur modum rerum statu variante, variæ pariter Pontificum atque Imperatorum res fuere. Nam à primis Imperatoribus per multa annorum curricula vexati, post Constantini ad Christum conversione ab eo terrore liberati, rebus sacris tantum operam dantes, in reliquis Imperatorum auctoritati ferè subjecti, sed eorum umbra quieverunt. In hoc humili statu diutissimè post vitam egerunt, ab Imperatorum commercio, propter magnam in Italia Longobardorum potentiam, sejuncti. Post autem Galliæ Regum beneficio opibus & potentia aucti, cum Imperatoribus conjunctissimi stetere, ab illorum auctoritate, dum Imperatoria Majestas in Caroli Magni posteris mansit, alacri animo pendentes. Quod quidem fiebat, tum propter beneficia vicissim data & accepta, tum etiam ob Imperatorum potentiam: quæ ubi posit cœpit inclinare, & quasi flaccescere, illorum amicitia prorsus rejecta, ita se gerere cœperunt, quasi Pontificiæ digni-

Inclinante potentia Imperatorum iidem se Pontifices opponunt.

ta-

tatis esset, leges potius Imperatoribus dare quam accipere. Cumque à veteri illo, quo subjecti Imperatoribus, statu penitus abhorrerent: veritíq; ne illi Romæ atque alibi antiqua Imperii rura recuperare, ut quidam illorum aut potentia majore, aut animo erectiore efficere conabantur, tentarent, armata vi sese Imperatorum potentiæ, ab illis Tyrannis qui se Principes appellabant, & ab illis urbibus, quæ sese in Libertatem vindicaverant, nec jam Imperii auctoritatem agnoscebant, adjuti opponebant. Hinc factum est, ut Pontifices sibi in dies plura majoráque arrogantes, terrorémque armorum cœlestium in res terrenas caducas vertentes, jus sibi atque auctoritatem in Imperatores, quasi Christi in terris vices gerentes, assumpserunt: affirmantes ad se multis in rebus Regnorum atque Imperiorum procurationem pertinere. Qua persuasione freti, Imperatoribus interdum Imperii dignitatem abrogabant; septem viros Augustales, ut alios in eorum locum surrogarent, incitabant: vicissim quoque Imperatores, aut ipsi creabant novos Pontifices, aut ut crearentur procurabant.

Atque inde sibi jus in Imperatorem ceu Christi vicarii assumunt.

Ex his controversiis, atque etiam quod Pontifices per annos septuaginta Avenione sedem habuissent, nec non ex illo Ecclesiæ dissidio, quod in Italia, Pontifice Romam revertente, est exortum, cùm Ecclesiæ status admodum concussus ac debilitatus esset, factum est, ut in oppidis Ecclesiæ subjectis, præcipuè verò in ea Italiæ parte, quæ olim Gallia togata dicta est, complures in eis cives potentia cæteris superiores, in sua quisque patria tyrannidem occuparent; quos Pontifices aut persequebantur, aut, si ad eos opprimendos impares essent, quasi Ecclesiæ beneficio regnare jubebant, aut aliis in eos excitatis regnandi jus attribuebant. In hunc igitur modum Galliæ togatæ oppida, proprios Dominos ac plerosque quasi Ecclesiæ vicarios habere cœperunt. Eodem modo Ferraria

Occasione dissidii Pontificum, Ecclesiæ Romanæ oppida proprios Dominos, ceu Ecclesiæ vicarios habere incipiunt.

raria Actio Aretino à Pontifice gubernanda tradita, eidem est post beneficii nomine attributa: ex quo deinde ea familia illustrioribus honorum titulis est exornata. Sic Bononia ab Joanne vice-comite Mediolanensium Archiepiscopo occupata eidem pari jure concessa fuit. Iisdem quoque de causis in multis Picenæ oppidis, Divi Petri Patrimonio, & Umbria, quæ nunc Ducatus appellatur, plures Reguli, pars invito, pars ad consentiendum adacto Pontifice, sunt exorti: nec Longobardia, in Imperii præsertim oppidis, ab hujusmodi mutationibus immunis fuit, sic ut qui in flamminia atq; aliis Pontificiis locis dominabantur à Pontificum obedientia deficientes ad Imperatorum auctoritatem confugerent: & vicissim qui Mediolanum, Mantuam, & alia Imperii oppida tenebant, à Pontificibus regnandi jus obtinerent.

Absentibus Roma Pontificibus urbs Roma à Banderensium Magistratu regitur:

Roma verò, quanquam nomen Ecclesiæ temporibus illis præ se ferret, magistratibus tamen regebatur propriis & suis: & quamvis initiò cùm Avenione in Italiam post liminio revertissent, tanquam Domini agnoscerentur, paulò tamen post Romani creato magistratu, quod Banderensium appellabant, in veterem contumaciam recidere. Unde cùm Pontificum auctoritas apud eas esset perexigua, & ipsi alio translata sede, Romam reliquere, donec Romani ad paupertatem redacti, atque in magnam propter ejus absentiam confusionem delapsi, cùm annus millesimus quadringentesimus appropinquaret, in quo anno, si Pontifex in urbe esset, sperabant ingentem fore propter annum secularem, quem jubilæum vocant, mortalium concursum, precibus quàm demississimis Bonifacium Pontificem orarunt, Romam rediret: id si faceret, Banderensium magistratum abrogaturos, seque ei obsequentes in omnibus futuros. His conditionibus in urbem reversus, dum Romani illi anni quæstum unum attendunt, Pontifex occupato omni Urbis Imperio, Angelicam

donec Bonifacius IX. redux urbis Imperium denuò occupavit.

arcem

arcem communivit, eíque Præsidium imposuit: cujus Successores ad Eugenium usque, etsi non paucis difficultatibus conflictati, nihilo minus dominatu post plane stabilito, insecuti Pontifices citra ullam controversiam Romæ sunt pro sua libidine dominati.

Sic Romani Pontifices animarum salutis obliti, potius Principes gentiũ, quàm sacrorum Pontifices evadunt.

His igitur fundamentis & modis ad terrenam potentiam elati, ac sensim animarum salutis, divinorúmque præceptorum obliti, atq; ad mundana Imperia omni cogitatione conversi, nec divina auctoritate alió, quàm quasi telo & Instrumento rerum fragilium abutentes, Principes potiº gentium, quàm rerum sacrarum Pontifices, videri cœperunt. Horum curæ & negotia, non jam vitæ sanctimonia, non religionis incrementa, non erga Deum & homines charitas; sed exercitus, sed bella in Christianos, cogitatione & manibus sanguine respersis sacra tractantes: Sed pecuniæ immensa cupido, novæ leges, novæ artes, novæ insidiæ ad pecuniam undique cogendam: in hunc finem audacissimè arma cœlestia vibrare, profanarum sacrarúmque rerum nundinationem impudentissimè exercere. Hinc opes in immensum adauctæ, & in totam ipsorum Aulam effusæ: ex quibus fastus, luxus, mores turpissimi, libidines, voluptatésque nefandæ: nulla Successoribus, nulla majestatis perpetuæ Pontificatus sollicitudo; sed horum loco cupido anxia & pestifera, filios, nepotes, item alios sibi conjunctos & necessarios nõ modò ad opes immoderatas, verum etiam ad regna, & imperia evehendi: non jam honores & emolumenta in merentes & bonos conferendo, sed plerunque auctionando, aut in homines ambitione, avaritia, & pudendis voluptatibus perditos effundendo.

Eorum deinceps cura, & mores mirè degenerant.

His moribº effectum est, ut excussa penitus ex animis hominum illa vetere erga Pontifices reverentia, tamen ex parte eorum auctoritas, religionis, qua nihil in terris ad homines vel impellendos vel retinendos potentius invenitur, nomine

Authoritas eorum religionis nomine & Majestate fictitia tentatur.

& majestate, facultate, qua pollent, Principibus atque iis, qui apud illos maximè possunt, sacris beneficiis & honoribus conferendis gratificandi, adjuta sustentetur. Qui cùm sciant, magna se in admiratione mortalium esse: & qui adversus eos arma sumunt, eos gravis infamiæ notam, & sæpenumerò aliorum Principum odia subire; ac quomodocunque res cadat, per exiguum emolumentum ad eos, à quibus oppugnantur, redundare; & victores ex suo arbitrio victoria usuros, victos, quibus velint conditionibus, pacem habituros. Ad hæc suos propinquos ex privata conditione ad Principatus attollendi cupidine inflammati, jam per multos annos bellorum auctores, novorúmque incendiorum faces in Italia extiterunt.

Bellorum in Italia faces existunt.

Sed ut ad id, à quo justissimus publici damni dolor me longius acriúsque, quàm leges historiæ forsitan permittant, abduxit, revertamur,

Æmiliæ Flamin. &c.



INDICES

INDICES DUO.

Prior

CHRONOLOGICUS,

Seu

CHRONICON ECCLESIÆ ROMANÆ.

Quo res, in historia Ecclesiæ Romanæ narratæ, juxta Seculorum annorumque seriem breviter digeruntur.

Posterior

RERUM ET PERSONARUM.

INDEX I.

CHRONOLOGICUS,

Seu

CHRONICON ECCLESIÆ ROMANÆ.

Quo res in hiſtoria Eccleſiæ Romanæ narratæ, juxta Seculorum annorumque ſeriem, breviter digeruntur.

SECVLVM PRIMVM.

§. I. ——— VI. A. C.



Eccleſiâ ob perſecutionem diſperſâ, Andronicus & Junias, inſignes inter Apoſtolos; Saulis perſecutoris cognati, & ante ipſum ad Chriſtum converſi, Romam perrexiſſe, atque ibi Chriſtum prædicâſſe videntur, Rom. xvi. 7. Paulo mox eorum, vel aliorum etiam opera, ſecundum Evangelium ſuum, Romanos Chriſto lucrifaciente, & in agnita veritate confirmante. *ibid.* v. 25. §. *II.* 34.

S. Paulus Romanis fidem in toto orbe celebrem gratulatur. §. *III.* 60.

S. Ignatius Romanam Eccleſiam inſignibus elogiis mactat. §. *IV.* 91.

SECVLVM SECVNDVM.

§. VI. ——— XV.

POſt Apoſtolorum tempora Eccleſia virgo caſta eſſe deſinit. §. *VI. VII.* 101.

Ecclesia tamen Romana seriùs, quam aliæ, ab hæreticis infestatur. §. *VII.* Quam Romanæ Ecclesiæ felicitatem Cyprianus & Hieronymus prædicant. §. *VIII.*

Epistolæ Decretales, primis Pontificibus tributæ, ceu spuriæ rejiciuntur. §. *IX. X.*

180. Episcopi Romani Presbyteris prælati maturè satis insolescere incipiunt. §. *XI.---XIV.*

195. Victor P. Polycratem & Ecclesias Asiaticas ob diversitatem ritus acerbè perstringit. §. *XIV.*

SECVLVM TERTIVM.

§. XV. ——— XVI.

250. STephanus P. Ecclesiis Hispanicis dominatur, & jus appellationis ad Ecclesiam Romanam tuetur. §. *XV.*

256. Idem Ecclesiis Africanis & Orientalibus insultat. *ibid.*

SECVLVM QVARTVM.

§. XVI. ——— XXV.

312. COnstantinus M. Maxentio victo Ecclesiis pacem impetrat. §. *XVI.*

314. Idem Ecclesiam Romanam immodicis donationibus auctam corrumpit. §. *XVI.*

Idem Concilio Arelati indicto Donatistarum causam cognoscit. *ib.*

325. Concilium Nicænum I. idem convocat, in quo Episcopus Romanus præcipuas partes non habuit, & aucta Episcopali potestate, Romanus ad Curiam parium relegatus est. *ibid.*

336. Marcus P. Ecclesiæ R. jura detonare incipit. §. *XVII.*

347. In Synodo Sardicensi canon conditur, quo Episcopis ab aliis damnatis permittitur, ut Romam eant, ibidemque causam suam cognoscicurent. *ibid.*

352. Liberius P. arianizat. §. *XVIII.*

366. Liberio mortuo pro Sede Romana occupanda Damasus & Ursicinus infesti dimicant. §. *XIX.*

370. Hieronymus ambitionem & fastum Ecclesiæ Romanæ graviter pulsat. §. *XX.*

Impe-

Imperatores Romani, Valentinianus, Valens & Gratianus Cleri Romani avaritiam insatiabilem legibus coercent. §. *XXI.* 376.

Concilium Constantinopolitanum celebratur, præside non Damaso P.R. sed Nectario Episcopo Const. in quo etiam Episcopo Constantinopolitano privilegia honoris post Romanum Episcopum decernuntur. §. *XXII.* 381.

Siricius P. Hispanicis & Africanis Ecclesiis dominatur. §. *XXIII.* & cœlibatus Sacerdotum lege sancita, doctrinâ eorum pit. §. *XXIV.* 386.

SECVLVM QVINTVM.

§. XXV. ——— XXIX.

INnocentius I. P. appellationis jus ad Ecclesiam Romanam tuetur. §. *XXV.* 404.

Zosimus, & post Bonifacius I. Sixtus III. Leo I. potestatem Papalem amplificant. *ibid.* 417.

Leo I. ad stabiliendum Primatum Papæ verba Christi ad Petrum: *Tues Petrus*, &c. detorquet. *ibid.* 450.

Septentrionales Populi Italiam vastant. §. *XXVIII.*

In Concilio Chalcedonensi de thronis Patriarchalibus decretum conditur, & Sedis Romanæ prærogativa non Divino sed humano juri accepta fertur; simulq; Episcopo Constantinopolitano τῷ ἴσα πρεσβεῖα jura æqualia, sine respectu ad Romanum, decernuntur. Unde contentiones Romanum inter & Constantinopolitanum Episcopos gliscunt. §. *XXVI.* 451.

Felix III. P. Acacium Episc. Constantinopolitanum, decretæ sibi potestatis vindicem excommunicat: ejus viciſſim nomen Acacius è diptychis eradit. §. *XXVII.* 483.

Gelasius I. P. primatum suum in Concilio Romano ex Divino jure arcessere nititur. *ibid.* 494.

Symmachus Papa in tumultu eligitur. §. *XXVIII.* 498.

SECVLVM SEXTVM.

§. XXIX. ——— XXXVI.

SEculum sextum Pontificibus Romanis ad stabiliendam Monarchiam admodum favorabile est. §. *XXIX.* 501.

514. Hormisda P. in Oriente & Occidente potestatem Papalem strenuè promovet. §. *XXX.*

526. Johannes I. P. à Theodorico ad Imp. Or. Justinum missus, Arianorum restitutionem solicitat, & cum Epiphanio Episc. Constantinopolitano certans, redux ob superbiam à Theodorico in carcerem compingitur. §. *XXXI.*

532. Justinianus Imp. Johanni II. Papæ universi Orientis Sacerdotes subjicit; & caput Ecclesiarum Romanum vocat, Occidentalium scilicet. §. *XXXI.*

553. Synodus Constantinopolitana quinta Vigilio P. invito celebratur. Vigilius tamen tandem illam approbat, invitis Italiæ Episcopis, & propterea Ecclesiæ R. imperio se subducentibus. §. *XXXII.*

580. Johannes Jejunator Episcopus Const. Oecumenici Patriarchæ titulum assumit, §. *XXXIII* & ea propter gravissimè à Pelagio II & Gregorio I exagitatur. §. *XXXIV.* vaticinante etiam Gregorio, pejora tempora instare. §. *XXXV.*

SECVLVM SEPTIMVM.

§. XXXVI. ——— XLV.

606. PHocas parricida Mauritii, instante Bonifacio III. P. parricidii approbatore, sancit, Ecclesiam R. caput esse omnium Ecclesiarum. §. *XXXVI.* Unde Bonifacium Antichristi præcursorem fuisse, ex ipsius Gregorii M. sententia evincitur. §. *XXXVII. XXXVIII.* Papatusque adeò genuinus & usurpata in Spiritualibus suprema potestas inde originem trahit. §. *XXXIX.*

626. Honorius I. P. in Monotheletarum hæresin labitur. §. *XL.*

Pontifices R. neglecta Ecclesiæ cura incipiunt magnifica Templa struere, ceremonias & ritus Romanos, primatum Papæ in primis, aliis Ecclesiis obtrudere. §. *XLI.*

678. Agatho P. Sanctiones Romanæ Sedis omnes tanquam Divina voce Petri firmatas recipi debere, sancit. *ibid.*

680. Eodem Pontifice Theologia & bonæ literæ negligi & frigere incipiunt. *ibid.*

Synodus Constantinopolitana VI. in Trullo habetur, in qua tamen Agatho P. adeò prærogativam nullam sortitur, ut ad curiam patrium redigatur. §. *XLII.*

682. Leo II. P. à Constantino impetrat, ut Episcopus Ravennatensis Romæ ordinetur. §. *XLIII.*

Bene-

Benedictus II. P. impetrat, ut Papa non expectato consensu Imperatoris vel Exarchi confirmetur. *ibid.* 685.

Sergius I. P. in schismate ex media populi turba raptus Papa salutatur. *ibid.* 688.

Constantinopoli celebrata Synodus Quinisexta, varios canones Ecclesiæ Romanæ disciplinæ & authoritati opponit. Unde repugnante Ecclesia R schisma Orientales inter & Occidentales invalescit. §. *XLIV.* 692.

SECVLVM OCTAVVM.

§. XLV. —— L.

SEculi octavi status proferendæ Ecclesiæ Romanæ dominationi per opportunus est. §. *XLV.* 701.

Aripertus Longobardorum Rex Johanni VII. P. Alpes Cottias donat. 705.

Justinianus II. Imp. missis Johanni VII. actis Synodi Sextæ, frustra Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ reconciliationem tentat. *ibid.*

Constantinus P. à Justiniano Constantinopolin vocatur, colloquio cum ipso instituendo finem controversiæ de Synodo sexta impositurus; Muneribusque onustum, re infecta, remittit. *ibid.* 708.

Philippicus Bardanes Imp. & Johannes Patr. Const. Patrum Concilii VI. imagines è porticu Sophiæ removent. Easdem Constantinus P. Romæ in porticu S. Petri collocat, definiens insuper, imagines in Templa inferendas esse. §. *XLVI.* 712.

Leo III. Isaurus contra imagines edictum promulgat, adversus quem Gregorius II. Ravennates, Venetos, populumque omnem concitat. Unde populus in Paulum, Ravennæ Exarchum, involans, universam Italiam cædibus implet; tandemque Romani ab Imp. Orientali & Exarcho ejus desciscunt. *ibid.* 726.

Zacharias P. abdicato Hilderico, Francorum Rege, ceu stupido, Regnum Pipino, Majori domus, tradit. *ibid.* 752.

Constantino Copronymo Imp. Constantinopoli celebratur Concilium VII. quo, explosis imaginibus, definitur, unicam esse imaginem à Christo institutam, Eucharistiam scilicet. §. *XLVII.* 754.

Nicææ, annitentibus Irene & Hadriano I. P. celebratur Synodus Nicæna II. qua sancitur, imagines honorandas, venerandas, salutandas, osculandas, incensis, cereis prosequendas esse. *ibid.* 787.

Ca-

794. Carolo M. indicente Francofurti celebratur Synodus, qua Synodi Nicænæ II. de imaginibus decretum damnatur. *ibid.*

800. Carolus M. ad cognoscendam Leonis III. P. scelerum variorum accusati causam, Romam venit; ibique absoluto Leone, vicissim à Leone populi nomine, in Basilica Petri, solennibus ceremoniis adhibitis, Augustus & Imperator Orientis salutatur; qui etiam Romanam Ecclesiam ex præda Hunnis & Longobardis erepta locupletat, & ejusdem ceremonias plures in Francia ascisit. §. *XLVIII.*

Ea occasione, eoque tempore, mirè potestas Ecclesiæ R. crevit, & religionis prora & puppis in primatu Papæ, Sanctorum & imaginum cultu, cantionibus, orationibus apud statuas, Templorum ornatu, Sacerdotum cœlibatu, votis Monachorum, abstinentia è cibis certis, missis solitariis, peregrinationibus sacris, apotheosi Sanctorum, dignitatibus cleri noviter repertis, constituta est; saniorque doctrina & prædicatio verbi obsolevit. §. *XLIX.*

SECVLVM NONVM.

§. L. —— LXV.

801. SEculi Noni Pontifices strictim recensiti. §. L.

816. Stephanus IV. sancit, ne Pontifex Imperatoris injussu legatur. §. *LI.*

817. Nihilominus statim Paschalis I. insscio Cæsare eligitur. *ibid.*

818. Paschasius Ratbertus, Corbejensis Monachus, libello de Sacramento Eucharistiæ edito, primus corporalē Christi in Eucharistia præsentiam asserit, cui se Rabanus Maurus, Scotus Erigena, Bertramus, aliique, Stercoristæ, quòd Symbola ore corporis assumpta secessui obnoxia esse dicerent, probrosè dicti, opponunt. §. *LXIII.*

824. Eugenius II. in schismate Papa eligitur; Ludovico Lothario rem componente, & fraude à flaminibus intercepta, legitimis possessoribus restituente. §. *LII.*

825. Ludovici Pii jussu Parisiis Synodus celebrata, suam de Synodo Nicæna II. sententiam promit, & Eugenium II. à cultu imaginum revocare, insistentibus licet Imperatoribus tum Orientis tum Occidentis, frustra conatur. §. *LIII.*

827. Valentinus I. P. osculum pedum à Senatu Romano primus admittit. §. *LII.*

833. Gregorius IV. P. Ludovici Pii filios Patri rebellantes fovet, patri-

que,

que, ni imperio se abdicet, excommunicationem minatur. §. *LIV.*

Sergius II. Os porci dictus, primus nomen mutat. *ibid.* 844.

Godeschalcus Scotus sanam S. Augustini de gratia, prædestinatione, & libero arbitrio doctrinam asserit, quem Rabanus Maurus Episcopus Moguntinus, aliique in Synodo Moguntina damnant. §. *LVI.* 848.

Johannes VIII. Fœmina, Papatum conscendit. *ibid.* 854.

Godeschalcus sanam de gratia & prædestinatione doctrinam adversus Erigenam Scotum, aliosque defendere pergens, in Synodo etiam Valentina à Carolo Calvo convocata, examini subjicitur, & in ea nonnulla alia etiam in ejus adversarios desiderantur. §. *LVI.* 855.

Nicolaus I. P. insolenter se gerit, Papam à Seculari potestate nec solvi nec ligari, nec judicari posse, decernit: Lotharium Galliæ Regem anathemate ferit quod ante ipsum adversus Galliæ Reges ausus nemo est: Michaëli Imp. Const. anathema minatur: Ravennatensem Ecclesiam sibi subjicit: Sacerdotes conjugatos diris incessit. §. *LV.* 858.

Carolus Calvus, item Godeschalcum inter & Hincmarum aliosque, finit. Atque ita, Godeschalco succumbente, sana de gratia, prædestinatione, libero arbitrio, doctrina declinat. §. *LVI.* 859.

Hadrianus II. P. Hincmaro Rhemensi mandat, ut Regem suum, Carolum Calvum, ni Ludovico Lotharii filio Regno cederet, excommunicet; qui Hincmari & Regis typhum Papæ pulsantis, acri responso excipitur. §. *LVII.* 868.

Basilio Imp. Or. Constantinopoli habetur Concilium λησρικὸν, cui Hadrianus, novo exemplo, per Legatos suos præsidet. In eo Photius, ob Basilium Michaëlis Imp. parricidam reprehensum, damnatur, & imaginum cultus stabilitur: Papaque etiam in Oriente dominari inde conatur. §. *LVIII.* 869.

Johannes IX. P. intra decennium tres Imperatores, Carolum Calvum, Balbum & Crassum, ad se Romam invitatos, Augustos pronuntiat & consecrat. Unde ingens ad eum lucrum, donatio Ducatus Spoletani, Aricii, Clusii, Beneventi, Calabriæ, redundat. §. *LIX.* 873.

Hadrianus III. decreta duo edit; prius, ne in electione Papæ Imperatoris consensus expectetur: posterius, ut Crasso Rege sine liberis moriente, Regnum Italicis Principibus, una cum Imperii titulo tribuatur. §. *LX.* 884.

Stephanus VI. P. sancit, ut Ecclesiæ R. leges omnes sint irrefragabiles. §. *LXI.* 886.

895. Formosus P. contra Sergium electus, Arnulphum Carolomanni Filium in Italiam adversus Guidonem, qui magnum Romanis præsidium imposuerat, Romam defensurum evocat, eoque venientem Imperatorem coronat. *ibid.*

897. Stephanus VII. in cadaver Formosi nefariè sævit. *ibid.*

Infelicissima fuisse tunc Ecclesiæ Romanæ tempora, fatetur Baronius, & Adelbertis Thuscis, homines monstrosos Papatui obtrudentibus, scandala cuncta imputat. §. *LXII.*

Seculo eodem nonoRomani Pontifices potestatem suam tum temporalem, prolatis Donationibus fictitiis, Constantini M. Ludovici Pii, quibus sequente Seculo Donatio amplissima Othonis M. nomine venditata accessit: tum spiritualem & cum eadem errores Papales plures, confictis Pontificum primorum Epistolis Decretalibus, asserere primùm cœperunt. §. *LXIV.*

SECVLVM DECIMVM.

§. LXV. ——— LXXII.

901. SEculum decimum excipit, quo nullum indoctius, infelicius fuisse, Bellarminus fatetur: quodque sui asperitate, ac boni sterilitate ferreum, mali exundantis deformitate plumbeum, inopia scriptorum obscurum, Baronius appellat. §. *LXV.* questus idem, Romæ tum dominatas esse fœdissimas & potentissimas meretrices &c. § *LXVI. LXVII.* & Antichristum in Templo Dei sedisse. §. *LXVIII.*

Ejusdem seculi Pontifices, ceu fures, invasores, Magos, prodigiosos, Simoniacos, tyrannos, facinorosos, monstra & portenta, perjuros, grassatores, sacrilegos, Divini & humani juris violatores, Pontificii scriptores perstringunt. § *LXIX.*

Clerum ejusdem Seculi Edgarus, Angliæ Rex, atro etiam carbone notat. §. *LXX.*

Hæreses eo Seculo novæ prodierunt nullæ, quia in Prælatos & Monachos sese abdiderunt omnes. §. *LXXI.*

1000. Anno hoc incipere tempus effœminatum, in quo fides Christiana à pristina virilitate deficere occœperit, Wernerus in fasciculo, & Glaber Radulphus quiritantur. §. *LXXI.*

SECV-

SECVLVM VNDECIMVM.

§. LXXII. ——— LXXXIX.

SEculum etiam undecimum ob malorum exundantiam ferreum appellatum, in quo revelandus sit Antichristus, Baronius, Aventinus fatentur. §. *LXXII.* 1001.

Silvester II Necromanta discipulos plures habet, dæmonibus litantes. §. *LXXIII.*

Johannes XIX. & Successores proximi factione Comitum Thusculanorum, adeoque vitio creati, magiæ crimine infames sunt. *ibid.* 1003.

Benedictus IX. & Successores Silvester III. Gregorius VI. ab Henrico Imperatore, convocata Synodo, ceu Simoniaci, sanguinarii, monstra, damnantur. *ibid.* 1034.

Ejusdem Benedicti IX. ætate Cardinalium authoritas invalescit, quorum nomen, origo & incrementa narrantur. §. *LXXIV.* Paulatim sub appellatione Ecclesiastica Seculares Principes. §. *LXXV.* Papæ Collegium Apostolicum. §. *LXXVI.* prærogativis pluribus aucti. §. *LXXVII.* & galero rubro auctorati, Papæ Senatus Edomiticus facti sunt. *ibid.*

Leo IX. primò Romæ in Concilio, post Vercellis damnat Berengarium Gandavensem, asserentem, in Cœna non ipsum corpus & sanguinem Christi, sed ejus figuram & Sacramentum præsto esse. §. *LXXVIII.* 1050.

Nicolaus II. Synodo Romæ habita, eundem Berengarium, strenuè cum Alberico confligentem licet, palinodiam canere subigit. Retractantemque viginti post annis Gregorius VII. ad novam crassioremque palinodiam adigit. Post utramque tamen palinodiam libertati restitutus, saniore defensa doctrina, novitium Papæ de præsentia corporali errorem refutare strenuè perrexit, discipulos non paucos in Gallia & Germania nactus. *ibid.* 1059.

Gregorius VII. Hildebrandus Papatum init, quem dæmoniacarum artium studiis à Benedicto IX. & Gregorio VI. imbutum, Benno & Episcopi triginta Brixinæ Noricæ coacti testantur. §. *LXXIX.* 1073.

Idem Synodo Romæ convocatâ uxoratos Sacerdotes ejicit, & decretum de cœlibatu eorundem adstringit, feralibus passim turbis excipientibus. §. *LXXXII.* 1074.

1075. Saxones incentore Gregorio VII. Henrico IV. Imp. rebellantes, & ab eodem domiti, querelam adversus Henricum apud Gregorium P. instituunt, & Imperatorem scelerum multorum accusant, qua occasione Papa se dominio Imperatoris subducere, & sibi Imperatorem subjicere tentat. §. LXXX.

1076. Henricus Concilio Wormatiæ coacto, de Pontificis injuriis, sceleribus, veneficiis graviter questus, eundem Papatu exuit; subscribentibus mox Ficini decreto huic, Germaniæ, Galliæ & Italiæ Episcopis pluribus. *ibid.*

Mox Gregorius Concilio Romæ habito Dictatibus pluribus Papatus Hildebrandini fundamentis constitutis (§. LXXXI.) inter alia sancit, Romam esse caput mundi; suæque potestatis esse, Imperatorem deponere; Imperatoremque adeo Henricum excommunicat, ab Imperio removeri mandat; & subditos ejusdem à juramento fidelitatis absolvit. *ibid.*

1077. Henricus à Gregorio excommunicatus, metuens, ne novum Imperatorem eligere Ordines inducerentur, Romam supplex pœnitensque venit, ibique intra secundum murorum ambitum receptus, abjecto cultu Regio, sine calceis, sæva hyeme jejunus usque ad vesperam forfices & scopas in manu habens, ne quicquam Papæ gratiam operitur. Quarta vice redux in ejus conspectum admittitur, iniquissimisque cum eo conditionibus transigitur. Missis nihilominus ad Germanos, Saxones in primis, Legatis, Papa alium Imperatorem eligi jubet. Eligitur Porcemii mense Martio Rodolphus Sueviæ Dux cum quo Henricus infestis signis concurrit. *ibid.*

1080. Gregorius Concilio Romæ celebrato, ne quis à Laico investituras accipiat, vetat; & denuo Henricum Imp. excommunicat. Henricus excommunicatione accepta Brixinæ, una cum triginta Episcopis, Gregorium ambitionis, hæreseos, impietatis, sacrilegii reum peragit, & Pontificatu movendum decernit. Mox etiam d. 15. Octob. cum Rodolpho commisso prælio acri, eundem vincit, amputata, qua fidem Henrico dederat, dextra, Martisburgi paulo post, inter querelas de perfidia Episcoporum, decedentem. *ibid.*

1081. Henricus cum exercitu, Italiam, Pontificem depositurus, ingreditur, Romamque surrogato novo Pontifice, Clemente III. obsidet. *ibid.*

1083. Henricus Romam per duos annos obsessam occupat. *ibid.*

1084. Idem Romæ palatium Lateranense occupat, & Papam in castellum S. Angeli fugat. Die 24. Martii Clemens Papa consecratur, &

ab

ab eodem Henricus unà cum uxore coronatur. Propter æstum pace cum Romanis facta, Imp. obsides accipit, & Senas abit. Robertus Normannus Romam interim venit, eam diripit, incendit, & Pontificem abducit Cassinum primùm, inde Salernum, ubi biennio post exul moritur. *ibid.*

Victor III. Clementi III. ab Henrico electo Papatum abrogat. 1086.
§. *LXXXIV.*

Urbanus II. P. cum Clemente III. vehementibus studiis colliditur. *ibid.* 1088.

Idem in Concilio Claromontano canonibus variis conditis decernit, Ecclesiam ab omni servitute liberam, à laicis investituram accipere non posse; jejunii quadragesimalis initium figit, Hildebrandi acta confirmat, Galliæ Regem propter pellicem anathemate ferit, conjugia intra septimum gradum prohibet; decimas Ecclesiæ adjudicat, &c. 1095.
§. *LXXXVIII.*

In eodem Concilio Urbanus idem bellum sacrum, Petro Eremita suasore, aderipiendam Saracenis terram sanctam, decernit; eundemque in finem sancit, ut quotidie preces ad S. Mariam Virginem à Clericis fundantur. Salutatio Angelica multis vicibus recitetur, quas ut numerare possent, jussit clericos globulos ligneos in funiculo habere. §. *LXXXV. LXXXVI. LXXXVII.*

Innumerabilis multitudo in Galliis conveniens expeditionem in terram Sanctam suscipit, crucis ex rubra lana factæ, & humeris affixæ, signo discreta. Initia læta, exitus tristissimus, & ultima prioribus deteriora evaserunt. *ibid.* 1096.

SECVLVM DVODECIMVM.

§. LXXXIX. —— CI.

SEculum duodecimum adeò perversum fuit, ut, Bernhardo, aliisque testibus, fama tulerit, Antichristum jamjam revelandum esse. Corruptionem Romanæ Ecclesiæ scriptores coævi acerbè deplorant. 1101.
§. *LXXXIX.—XCIV.*

Paschalis II. P. Romæ in Concilio Henricum Imp. anathemate ferit, Hæresin Henricianam, docentem contemnere fulmina Papæ, damnat; Episcopos jurare obedientiam Papæ præcipit; Henrici filios adversus Patrem irritat; investituras laicas sub anathemate prohibet; in cadaver Henricus Imp. sævit. §. *XCIV.* 1102.

Schiſmata frequentiſſima hoc tempore Papas exercent. *ibid.*

1122. Calliſtus II. P. Henricum cogit, ut juri inveſtituræ renuntiet, Ita Papa Rex abſolutus ſit, & ſchiſma Pontifices inter & Imperatores expirat. *ibid.*

1127. Honorio II. Pontifice, Lombardus libros ſententiarum ſcribit, qui paſſim recipiuntur, prælegunturque Ita Theologia Scholaſtica, Majeſtati verbi Divini oppoſita, eliminata ſaniori Theologia Scripturaria florere, & religio Chriſtiana non ex Scripturæ demonſtratione, ſed traditionum humanarum, decretorum Papæ, & rationis ſeu Philoſophiæ principiis aſſeri, fœdarique multò magis incipit. §. *XCVIII.*

1133. Innocentius II. P. à Lothario Imp. juramentum fidelitatis exigit, eique ante pedes ſuos proſtrato, & coronam expetenti deteſtabiliter illudit. §. *XCIV.*

1145. Eugenius III. P. bellum gerens cum Romanis graviter à Bernhardo Claræval. reprehenditur. *ibid*

1151. Ejusdem Papæ auſpiciis Gratianus, Bononienſis Monachus, juris Cæſarei Majeſtatem obliteraturus, ad imitationem pandectarum juris Civilis, ex veterum Conciliorum decretis, Patrumque ſcriptis, compoſuit Decretorum opus, quod juris Canonici fundamenta & Regni Pontificii nervos continet Secuti Gregorius IX. A. 1227. Decretalium libros quinque Bonifacius VIII. A. 1294. ſextum: Johannes XXII. A. 1317. Clementinus Inſtitutiones, addiderunt. §. *XCVI. XCVII.*

1155. Hadriano IV. P. equum conſcendenti Fridericus I. Imp. ſtapedem tenere jubetur, qui opus ſervile renuens, ab oſculo Papæ arcetur, donec imperata faceret. Inde Romæ 18. Jun. coronatur. §. *XCIV.*

1157. Hadrianum inter & Fridericum Imp contentio oritur de Imperio R. an Papæ feudum ſit. Ita pertenderat Papa, Lotharii Imp. hiſtoriam in palatio Lateranenſi pictam prætexens. Picturam deleri Imp. cùm petiiſſet, neque delevit eam Papa, & ſcripſit inſuper, Papam ei inſigne Imperialis coronæ contuliſſe. Contumelia irritatus Imperator cum exercitu in Italiam tendit. Papa metuens ſibi pacem exorat; at mox, hortantibus Cardinalibus, eundem conſtantiùs jus ſuum in Italia, Romæ imprimis, requirentem, excommunicat. *ibid.*

Clareſcit eodem Pontifice Hadriano Waldenſium nomen. Lugduni, Tholoſæ & in Gallia Narbonenſi ſegreges jam cœtus habuerant, Pontificum perſecutiones paſſi. §. *XCIX. C.*

1159. Alexander III. ſuperatis Antipapis Papatum rapit. §. *XCIV.*

Idem

Idem Henricum Regem Angliæ, quòd necis Thomæ Bequeti Cantuariensis conscius esset, virgis cædi jubet. *ibid.* 1172.

Cum Friderico Barbarossa Venetiis pacem pangit. Ubi Imperatoris prostrati collo calcato his verbis Papa insultat: *Supra aspidem & basiliscum ambulabis*, &c. *ibid.* 1177.

Waldenses ab Alexandro ad Concilium Lateranense citati, forum declinant. Unde bello, cædibus, lanienis per bullas cruciatas expositi, per Europam dispersi, in Bohemia cumprimis sedem figunt. *ibid.* 1178.

Clemens III. P. Danos Sacerdotes conjugatos retinentes excommunicat: Philippum Galliæ Regem anathemate terret. *ibid.* 1188.

Cœlestinus III. P. Henricum VI. Imp. coronat. Eique mox Papam adoranti pede elevato coronam capite decutit, significans, in sua potestate esse, dare & auferre imperium. *ibid.* 1191.

SECVLVM DECIMVM TERTIVM.

§. CI. ——— CXVI.

SEculi hujus faciem miseram præsagit Joachimus Abbas. Et de Ecclesiæ R. perversitate graviter Scriptores coævi quiritantur. §. *CI.* 1201.

Innocentius III. Philippo Imp. adversus Othonem certanti de imperio, postquam diu vehementer restitit, eumque excommunicavit, tandem utrumque reconciliat. §. *CII.* 1207.

Waldenses, quibus præcipui Galliæ Proceres jam adhæserant, mirè se diffundunt. Cum iis Innocentius Carmanii colloquium instituit. Cùm non satisfieret Proceribus, manentes in sententia horrendam tempestatem, classicum canentibus Monachis, Dominico inprimis, subeunt. Dispersi denuo passim nidulantur. §. *CV.* 1208.

Idem Angliæ Regem Johannem, & Regnum, quòd Langtonum Cantuariensi Archiepiscopatui obtrudi non paterentur, interdicto subjicit, & cruciatam adversus illud militiam concitat. *ibid.* 1209.

Rex Angliæ Johannes à Pontifice ad angustias redactus, Regnum suum feudum Pontificis & vectigale facit, promissa solutione denarii Petri, & quotannis mille marcarum Sterlinorum. *ibid.* 1213.

Innocentius Romæ in Laterano Concilium celebrat, & transsubstantiationem ante à Lanfranco introductam, nec non auricularem confessionem quotannis semel edendam definit; Ordinesque Monachorum Mendicantium, Dominicanorum inprimis & Franciscanorum, 1215.

rum, qui Ecclesiam Romanam adversus Waldenses fortiter defendere cœperant, confirmat. §. *CIII.*

1222. Fridericus II. Imp. in Italia multipliciter à Papa Honorio III. injuriis afficitur. In Germaniam concedens, Principibus Germanis injurias illas, & evertendi Imperii R. conatus queritur. §. *CV.*

1223. Fridericus Romam tendit, ubi Johannes Brennensis, Rex Hierosolymitanus, eum Papæ reconciliat, ea conditione, ut Fridericus ducta uxore sua hæres Regni Hierosolymitani infidelibus eripiendi, declaretur. *ibid.*

1227. Friderico expeditionem in Palæstinam tardiùs suscipienti, Gregorius IX. amoto Imperatore Siciliæ inhians, indignatus, eundem excommunicat, totamque Italiam Guelforum Papæ, & Gibellinorum, Imperatori ad hærentium factionibus miscet. *ibid.*

1228. Fridericus, excommunicatus licet, in Palæstinam tendit. Adversus eum Papa Johannem Socerum, Hospitalarios, ipsumque Sultanum accendit. Sultanus Papæ insidias Friderico, Hierosolyma capta, detegit, unde induciis cum eo pactis Italiam Fridericus repetit, & utcunque Pontifici conciliatur. *ibid.*

1239. Fridericus Saracenis Sardiniam eripit. Eam occupatam Papa pro sua repetit, & abnuentem Fridericum excommunicat. Fridericus cum exercitu Romam tendit, cui cruciatam militiam opposuit quam Imp. vicit & orco mactavit. *ibid.*

1240. Gregorius P. à Friderico in angustias redactus, cum eo inducias ad Concilium generale usque pangit, sed mox induciæ rumpuntur, Papa pecunias undique corrogante, &, bullis per Albertum Bohaim huc illuc missis, adversus Imp. conspirante. *ibid.*

1241. Concilium Romæ à Gregorio in causa Friderici indicitur. Episcopi eò non terrestri, uti Imp. petierat, sed maritimo itinere, classe viginti sex navium instructi, properant, & à Friderici filio Conrado victi, pars submersi, pars capti detentique sunt. *ibid.* Denuo excommunicatus Fridericus, ab Eberhardo Salisburgensi Archiepiscopo Ratisbonæ in Comitiis, oratione adversus Papam habita pathetica, absolvitur. §. *CVIII.*

1243. Innocentius IV. Gregorii successor Friderici excommunicationem confirmat; & in Gallia Angliaque turbas gravissimas excitat. §. *CV.*

1245. Idem Concilio Lugduni indicto Cæsarem Imperio abdicat, eique Henricum Thuringiæ Landgravium surrogat. Imperator Italiam petit, Papamque magnas in angustias redigit. *ibid.*

Hen-

Henricus Imp. Pontificius, post vulnus Ulmæ acceptum, Isenaci moritur, cui Pontificii Wilhelmum Comitem Hollandiæ sufficiunt. *ibid.* 1248.

Innocentius Petrum de Vinea, fidelem hactenus Friderico, pretio conducit, ut Imperatorem veneno tollat. Patraturus facinus proditur de Vinea, & captus, oculisque privatus in carcere moritur. *ibid.* 1249.

Fridericus in arce Florentina Apuliæ morbo correptus moritur. *ibid.* Princeps longè præstantissimus, neque aliam ob causam Pontificibus adeò exosus, quàm quòd rara virtute præditus, præter morem Impp. in Italia habitans, observâsse Pontificum perversa studia & molimina visus esset. §. *CVI.* 1250.

Alexander IV. P. Guilhelmi de S. Amore tractatum, cui titulus erat: *de periculis novissimorum temporum*; quo Monachorum Ordines perstringuntur, & à Franciscanis excogitatum *Evangelium æternum*, quo Evangelium Christi abrogatur, & novum Spiritus S. revelatur; describitur; comburit. §. *CIX. CX. CXI.* Æternum porro Evangelium ist hoc, blasphemiis horrendis refertum, nudum Papatum sequentium temporum repræsentabat. §. *CXII.* 1254.

Idem Papa cum Manfredo, Friderici notho, Apuliæ & Siciliæ Rege, bellum gerit, eique Edmundum, Regis Angliæ filium substituit. §. *CXIII.* 1255.

Eidem in Gallia Simoniam exercenti, Ludovicus Rex Sanctionem Pragmaticam, vetantem, ne Rege inscio pecuniæ ex Regno Romam deportentur, opponit. *ibid.*

Flagellantium sectam recens exortam Alexander confirmat. *ibid.* 1260.

Urbanus IV. Thomæ Aquinatis instinctu festum corporis Christi instituit. *ibid.* 1264.

Idem Carolum Andegavensem Regem Siciliæ creat, dummodo Manfredum Regno pellat. *ibid.*

Carolus Andegav. Manfredum prope Beneventum prœlio superat, & interficit. Conradinus Friderici II. ex Conrado nepos Regni Siciliæ hæreditatem aditurus à Clemente IV. P. cum injuria repellitur. *ibid.* 1266.

Conradinus à Carolo ad lacum Fusinum prœlio victus, una cum Friderico Austriæ Duce, Clementis P. consilio, sævè decollatur, eademque opera Friderici Barb. progenies, totaque stirps Suevica extinguitur, & vacua Regna pro arbitrio Papæ dispensantur. *ibid.* 1268.

Rodolphus I. Imp. Francofurti electus, & à Gregorio X. Romam ad coronationem invitatus, eò venire, terrentibus vestigiis, renuit, 1273.

nuit,& Papæ,ut electionem ratam haberet, Romandiolam donavit. *ibid.*

1274. Gregorius idem Concilio Lugduni celebrato, leges in electione Papæ à Cardinalibus obſervandas ſancit. *ibid.*

Aderant in eodem Concilio Michaëlis Palæologi Imp. Conſt. Legati,obedientiam promittentes Papæ, ſi adverſario ſuo Carolo Andeg. reſiſteret. Certis conditionibus Papa paciſcitur. Sed mox negotiatio evanuit. *ibid.*

1282. Siculi cum Petro Aragoniæ Rege, à Nicolao III. adverſus Carolum concitato,conſpirantes, d. 30. Martii veſpere, campanæ pulſu, Gallos in Sicilia omnes duarum horarum ſpatio crudeliter occidunt, Conradini nefariè cæſi ſanguinem ulciſcente Deo. *ibid.*

1283. Martinus IV. P. Petrum Aragoniæ Regem excommunicat, & Regnum Carolo Valeſio donat. *ibid.*

Nicolaus IV. P. Mainardum Tiroli Comitem, quòd Tridentino Epiſcopo reſtitiſſet,excommunicat, qui gravi ſermone Antichriſtos effœminatos pulſat. §. *CXIV.*

1294. Cœleſtino V. P. Papatum ob ſimplicitatem reſignanti, Bonifacius VIII. ſuccedens, Gibelinis, ſeu fidis Imperii civibus gravem ſe gerere incipit. §. *CXV.*

1299. Bonifacius coronatus & accinctus prodiens in publicum, proclamat: *Ego ſum Cæſar & Papa.* Alberti electionem ægrè tandem approbat. §. *CXIX.*

SECVLVM DECIMVM QVARTVM.

§. CXVI. ——— CXXXIX.

1300. BOnifacius VIII. annum Jubilæum hoc anno agendum decernit, in quo pleniſſimam omnium peccatorum remiſſionem Romam venientibus promittit. Primo die in Pontificalibus populo apparens, Apoſtolicam illi Benedictionem precatus eſt. Altero Imperiali habitu gladio nudo prælato, ſedens promulgavit: *Ecce duo gladii.* Inauguratio hæc fuit Cæſareo-Papatus, ſeu poteſtatis utriuſque ſupremæ, quem Papa jam adeptus & bullâ etiam, *Unam Sanctam* &c. teſtificatus fuerat. §. *CXVI. CXVII.* Deinceps Clemens VI. jubilæum ad annum quinquageſimum, Bonifacius IX. ad trigeſimum tertium, Sixtus IV. ad viceſimum quintum reduxit. §. *CXVIII.*

Eodem die, quo Jubilæum iſthoc Bonifacius celebravit, etiam

Tur-

Turcicum Imperium Ottomannus auſpicatus eſt. §. *CXVI.*

Bonifacius Philippum Pulchrum in Palæſtinam proficiſci ſub anathemate jubet. Legatus ejus Epiſcopus Apameenſis duriora verba prolucutus à Rege in carcerem compingitur. Papa Legatum liberari præcipit. Cunctante Rege, Papa bulla declarat, Regnum Franciæ Papæ feudum eſſe. Bullam cùm Rex comburi juſſiſſet, & Epiſcopos inveſtiviſſet, viciſſim Regem Papa excommunicavit. Tandem Bonifacius à Rege captus, in carcere moritur. §. *CXX.* 1301.

Robertus Gallus Papam idolum, ſerpentem, Antichriſtum vocat. §. *CXXI.* Idem facientes Fratricelli perſecutionem patiuntur. §. *CXXII.*

Clemens V. P. lectus ſedem Avenione in Gallia figit; ubi ſeptuaginta duos poſthac annos integros, Roma relicta, & per Cardinales ejus cum Senatoria poteſtate gubernata, Pontifices commorantur. §. *CXXIII.* 1305.

Idem Papa Durando Mimatenſi præcipit, ut de reformanda eccleſia conſilium ſcriberet. Scriptum graviter licet, in nervum non erupit. *ibid.*

Henricus VII. Imp. à Bernhardo Politiano Monacho hoſtia intoxicata necatur. § *CXXV.* 1308.

Concilio Viennæ celebrato, Clemens idem edita Decretali, cujus initium, *Paſtoralis*, ſe ſupra Imperatores longè extollit; Minorum religionem confirmat, & Templariorum ordinem abrogat. §. *CXXIV.* 1311.

Johannes XXII. ſe ipſum Pontificem eligit, negans, animas defunctorum fidelium ante finem mundi beata viſione Dei frui. Extravagantes idem edidit, in quibus Papam Soli, Imperatorem Lunæ confert. §. *CXXVII.* 1314.

Dantes Aligerius edito libro, cui titulus *Monarchia* poteſtatem Papæ oppugnat. § *CXXVI.* 1321.

Idem bulla beſtiali Ludovico Bavaro Imperio interdicit; §. *CXXX.* cui ex Ratisbonenſibus Comitiis maſculè Ludovicus reſpondet; Antichriſti nomine eum inſigniens. §. *CXXXI.*

Johannes P. hæreſeos damnat eos qui Chriſtum pauperem fuiſſe, & nihil ipſum & Apoſtolos proprii habuiſſe aſſererent. §. *CXXIX.* 1322.

Grave diſſidium inter Ludovicum Bavarum Imp. & Johannem XXIII. P. oritur. Papa Ludovicum, qui renitente eo imperaverat, Imperii invaſorem: Ludovicus Papam hæreſiarcham vocaverat. Ludovicus Ratisbonæ re cum Imperii Principibus communicata, 1324.

libertatem Imperii asserere statuit. §. *CXXVIII.*

1327. Ludovicus à Romanis accersitus in Italiam iter instituit, Papa reclamante, & Ludovicum excommunicante, quin & exercitum adversus eum instruente. *ibid.*

Ludovicum eruditis scriptis strenuè Wilhelmus Occam, Marsilius Patavinus, Michael Cœsenas, aliique tutantur. *ibid.* & §. *CXXXIII.*

1328. Ludovicus Romam intrat, coronatur per Castellanum cum conjuge, & Episcoporum quorundam consensu novum Pontificem eligit, Petrum de Corbonaria ex familia Columnensium; Nicolai V. nomen assumentem. §. *CXXVIII.*

1329. Papa Avinioneiterum Ludovicum excommunicat, hæreticum & schismaticum proclamat. *ibid.*

1335. Johanni Benedictus XII. succedit, & simultates cum Ludovico hostiliter continuat. §. *CXXXII.*

1338. Ludovicus à Benedicto diris ut exsolveretur, frustra expetens, ad generale Concilium provocat. *ibid.*

1339. Comitiis Francofurti habitis, Principes Imperii decernunt, solennitates Papæ in coronando Imperatore esse adventitias, nomina sine re, & à quolibet Episcopo administrari posse; nec vacante Imperio jus ejus ad Papam, sed ad Palatinum & Saxonem revolvi; denique Concilium generale Papæ judicio anteferendum esse. *ibid.*

1343. Clemens VI. P. Benedicti successor Ludovicum excommunicatione solvit, conditionibus durissimis, quas, suadentibus Principibus, & Theologis Parisiensibus, ceu iniquas Imp. repudiat. *ibid.*

1346. Clemens idem Ludovicum in die Cœnæ Domini dirissimè execratur, Principibusque Imperii, ut alium eligant, præcipit. Principes nonnulli Rhensii Carolum IV. Johannis Regis Bohemiæ filium, Regem Romanorum eligunt. Reliqui Principes mox Spiræ electionem rescindunt. *ibid.*

1347. Ludovicus veneno potatus, cùm vomitu, & mox venatione illud ejicere tentâsset, ursum ingentem impetendo, ex equo præceps ruit, & mox moritur. *ibid.*

1355. Ludovico post varios discordibus consiliis electos succedens tandem Carolus IV. primo vere Romam proficiscitur, ibidemque à Legato Innocentii VI. P. Cardinale Hostiensi, coronatur, non sine dedecore, pedes urbem ingressus, promittensque, nunquam Italiam se repetiturum; adeoque Majestatem Imperii R. turpiter prodens. §. *CXXXIV.*

Vi-

Vixerat ex ætate Franciscus Petrarcha, Seculi sui lumen, qui ignominiosa Caroli coronatione motus, graviter eum increpuit, & Romanam etiam Curiam graphicè depinxit. §. *CXXXV.*

Innocentio VI. Pontifice claret Johannes Wiclefus, Oxonienſis, qui Papæ ceu Antichriſti, tum hierarchiam, tum doctrinam, voce calamoq;, fortiſſimè oppugnavit, aſſeclas multos magnosq; primùm in Anglia, mox etiam exul in Bohemia nactus. §. *CXXXVII.* 1360.

Gregorius XI. P. Catharinæ Senenſis & Brigittæ ſomniis potiſſimùm inductus, Avenione relicta Romam intrat, cùm ſedes Pontificia annis ferè ſeptuaginta duobus in Galliis fuiſſet, §. *CXXXVIII.* 1377.

Catharina Senenſis & Brigitta revelationibus ſuis prolatis, graviter in Romanam curiam invehuntur, & Eccleſiæ reformationem urgent. §. *CXXXVI.*

Gregorio XI. ſuccedit Urbanus VI. Cardinales Galli invitos ſe ejus electioni conſenſiſſe queſti, Fundos abeunt, ibique Papam Gallum, Robertum Gebennenſem, ſeu Clementem VII. eligunt, qui Avenione annis ſedecim ſedit. Ortum hinc eſt ſchiſma graviſſimum omnium, Pontifices Avenionenſes & Romanos inter, quod quadraginta annis durans, in Concilio demum Conſtantienſi extinctum eſt. §. *CXXXVIII.* 1378.

Bonifacius IX. P. juxta prædeceſſoris Urbani VI. ſanctionem, jubilæum celebrans, argentariam meſſim facit, & poſt decennium etiam novum indicit; bullis indulgentiarum addens, eas ratas fore porrigentibus Eccleſiæ R. adjutrices manus. Annatas etiam ſeu reditus unius anni Sacerdotii alicujus in tota Europa vacantis, reddendas Pontifici R. ſeverè ſancit. *ibid.* 1390.

Johannis Huſſi doctrina in Bohemia latè ſpargi incipit, adeò ut Auguſtæ Vindelicorum Huſſitæ inquiri, pluresque comburi cœperint. §. *CXXXVII.* 1393.

Avenione in locum Clementis VII. ſuccedit Petrus Luna, ſeu Benedictus XIII. qui jurans ſe abiturum Papatu, ſi Eccleſiæ ad tollendum ſchiſma videretur, ſequente anno, ut id faceret, rogatus, negavit, Petri naviculam deſerendam eſſe. §. *CXXXIX.* 1394.

SECVLVM DECIMVM QVINTVM.

§. CXXXIX. —— CXLIX.

1406. INnocentio VII. Romæ succedit Gregorius XII. Errorius dictus, jurârat summa execratione, se Papatum depositurum, siquidem Antipapa idem faceret, quod tamen postea in Concilio Pisano facere renuit. §. *CXXXIX.*

1409. Cardinales in Concilio Pisano abolendi schismatis gratia, Pontificem utrumque, Benedictum & Gregorium, deponunt; & Alexandrum V. eligunt. Renuente utroque Papatum deferere, tres sunt Antipapæ, & Ecclesia Romana triceps. *ibid.*

1410. Alexandro V. mortuo succedit Balthasar Cossa, seu Johannes XXIII. juxta alios XXIV. *ibid.*

Hussius causam suam Romæ per Legatos agit, & excommunicatur. §. *CXLIX.*

1411. Johannes Romæ Synodum celebrat, coronaturus Sigismundum, & Ecclesiam tranquillaturus. In prima Sessione post Missam bubo, ferale omen, apparuit, nec nisi fustibus interemptus discessit. §. *CXXXIX.*

Nicolaus Clemangis Ecclesiam Romanam Babylonem, meretricem &c. appellat. Gerson Ecclesiam sine Papa esse posse sustinet, & ruinam ominatur. Alii, Theodoricus de Nyem, Joh. Oldocastel, Theodoricus Urias, Hussus inprimis, & Hieronymus Prag. &c. Ecclesiam R. graviter oppugnant. §. *CXLVII. CXLVIII.*

1414. Sigismundi Imp. labore incredibili cogitur Concilium Constantiense, schismatis abolendi, & Ecclesiæ reformandæ causa. Eodem 3. Nov. Joh. Huss accessit. Geriturque res tota suffragiis quinque nationum. §. *CXL.*

1415. Johannes P. causæ diffidens Concilio se subducit; & ex fuga retractus, gravissimorumque scelerum convictus, Papatu abdicatur, & in carcerem rapitur. Gregorius P. Arimini, ne idem sibi accideret, per legatos suos sese in Concilio abdicat. *ibid.*

Johannes Huss damnatus in Concilio, contra datam fidem, comburitur. §. *CXLVIII.* Idem fatum sequente anno Hieronymus Prag. subiit. *ibid.*

1417. Concilium Const. decernit, Laicis sub una specie Eucharistiam distribuendam; Bohemis protestantibus, Hussum & Hieronymum in

Mar-

Mattyrum numerum referentibus. Unde bellum Huſſiticum oritur, per annos novendecim multis cladibus extractum. §. *CXL. CXLVIII.*

Urgetur in Concilio Reformatio Eccleſiæ. Diſſidentibus Patribus priùs abdicatis jam tribus Antipapis, novus Papa Martinus V. eligitur. §. *CXL.*

Petrus de Alraco reformationis capita digerit, cauſas in primis ob quas Papa corripi & deponi poſſit, conſignat. Sed res omnis poſt electionem Papæ in fumum abiit. *ibid.* & §. *CXLVII.*

Martinus V. à reformatione abhorrens, invito Sigiſmundo Conſtantia diſcedit. Atque ita Concilium re infecta finitur. §. *CXL.* 1418.

Martino V. ſuccedit Eugenius IV. qui ſtatim, Sigiſmundo conſentiente, Baſileæ Concilium inchoat, & Eccleſiæ reformandæ ſtudium præ ſe fert. §. *CXLI.* 1431.

Bohemi Baſileenſi Concilio ſe ſiſtentes, & rationem fidei ſuæ exponentes, certis conditionibus communionem ſub utraque ſpecie impetrant. *ibid.* 1432.

Eugenius intellecto, diſputari in Concilio, an Papa Concilio ſub ſit, illud, Baſilea relicta, Ferrariam atque inde Florentiam transfert, invitis Concilii Præſidibus. Ne igitur Concilium Baſileenſe diſſolveretur, Sigiſmundus ipſe Baſileam venit. *ibid.* 1436.

Eugenius à Concilio ob lupinam tyrannidem deponitur, lecto in ejus locum Amedæo Sabaudo, Felicis V. nomine inſigni; ab eodemque Concilio ſimul ſtatuitur, reformandam eſſe Eccleſiam in capite & membris, & Concilio Papam ſubeſſe. *ibid.* 1437.

Pragmatica ſanctio, quam ſtatuerant in Concilio Baſileenſi Patres communi conſenſu, in qua capita, quibus Eccleſiaſtica dignitas conſervari poſſet, digeſta & Pontifici beneficiorum Regni collationes, appellationes item ad Romanam Curiam ademptæ erant; Lutetiæ à Rege Galliæ poſt Concilium in Biturigibus celebratum publicatur, quam deinceps Pontifices ceu hæreticam oppugnárunt. §. *CXLVII.* 1438.

Florentiæ Concilium ab Eugenio celebratur, præſente Johanne Palæologo Imp Conſtantinop. Joſepho Patriarcha, aliisque Græcis, unionem offerentibus, & auxilia adverſus Turcas expetentibus. Tranſactio lubrica repugnante Michaele Epheſino Epiſcopo fit, & à Græcis poſt reſcinditur §. *CXLI.* 1439.

Typographia à Johanne Gutenbergio, aurifice Argentinenſi, Moguntii profertur, eáque non parùm procedente tempore Antichriſti revelatio juvatur. §. *CXLIV.* 1440.

Lu-

1444. Ludovicus Delphinus, Caroli VII. Filius, Concilium Basileense, Eugenio incitante, dissoluturus, Basileam obsidet, & Helvetiis paucis exercitum ejus vastum fundentibus, obsidionem solvit. §. *CXLI.*

1447. Eugenio succedit Nicolaus V. fautor literarum insignis. Cui Friderici III. Imp. intercessione Felix V. cessit, dignitate Cardinalis contentus. Ejus opera literæ in Europa renatæ, literatique passim aucti sunt. §. *CXLII.*

1453. Constantinus Imp. à Nicolao auxilia implorat contra Muhammedem Constantinopolin maximo exercitu aggressum; neque impetrat quicquam. Inde Constantinopolis d. 29. Maji capitur, Constantinus in fuga occiditur, totumque Orientale Imperium Ottomannico imperio cedit. §. *CXLII.*

1458. Æneas Sylvius, Pius II. nomine Papa creatur; Concilii Basileensis antehac scriba, cujus etiam adversus Pontificiam potestatem acta probaverat. At Papa jam, improbavit eadem, & Pontificiæ potestatis fimbrias dilatavit si quis alius. §. *CXLV.*

1459. Sigismundus Dux Austriæ, quòd Cardinalem Cusanum in vincula conjecisset, à Pio P. excommunicatus, ad Concilium, & à Concilio ad Christum provocat. §. *CXLVII.*

1460. Gregorius Heimburgius Sigismundi Cancellarius ejusque defensor, à Pio eodem excommunicatus, masculè respondet, & Synagogam Romanam graviter perstringit. *ibid.*

1464. Pio II. succedit Paulus II. qui Cardinales veste Coccinea, & rubenti petaso insignivit, & montes pietatis instituit. §. *CXLVI.*

1471. Paulo succedit Sixtus IV. literatus satis, sed flagitiosissimus idem, fundator lupanaris Romani nobilis, in quo singula scorta hebdomatim singulos ei Julios pendebant; Helvetiis etiam fœdere sibi unitis pudenda bulla illudit. *ibid.*

1479. Johannes de Wesalia Wormatiensis Concionator; & Wesselus Groningensis Papæ tyrannidem & abusus strenuè oppugnant. §. *CXLVII.*

1484. Sixtum excipit Johannes Baptista Cybo, ex antiqua Græcorum familia, dictus Innocentius VIII. sedecim ante Pontificatum liberorum Pater. *ibid.*

1492. Alexander VI. cui Borgiæ cognomen, Papa creatur, homo ad exitium Italiæ natus, qui Divina & humana omnia venum exposuit; ditiones noviter detectas Hispaniæ inter & Lusitaniæ Reges partitus est; & cum Lucretia filia notha furtivam consuetudinem habuit. *ibid.*

Eodem

Eodem Pontifice Guicciardinus, Baptista Mantuanus, Sannazarius, Savanarola, alii Pontificum scelera detexerunt, Antichristianismum traduxerunt. §. *CXLVII. CXLVIII.*

SECVLVM DECIMVM SEXTVM.

§. CXLIX. ——— CCVIII.

ALexander veneno à filio Borgia Cardinalibus nonnullis præparato, & ministri incuria parenti propinato, extinctus Pium III. & hoc post 26. dies mortuo, ex fratre nepotem Julium II. successorem habet. Totum terrarum orbem bellis hic involvit, & S. Petri patrimonium absolutione casuum reservatorum auxit. §. *CXLIX.* 1503.

Cardinales quatuor Gallicarum partium, Imp. Maximiliano, & Rege Galliæ consentientibus, Concilium Pisis convocant, & Julium Papam indignum sede Pontificia pronuntiant. *ibid.* 1511.

Julius contra Concilium Romæ ad Lateranum celebrat, & Cardinales hos dignitatibus privat. *ibid.* 1512.

Idem Ludovicum XII. Galliæ Regem excommunicat. Hic cusæ monetæ verba hæc inscripsit: *Perdam Babylonem.* §. *CL.*

Budæus Pragmaticam sanctionem strenuè defendit. *ibid.*

Faber Stapulensis, Picus Mirandulanus Papatum oppugnant; & Sebastianus Brand Ecclesiæ reformationem instare præsagit. *ibid.*

Julius, Vaticanum ædificare aggressus moritur, excipiente Johanne Medices, seu Leone X. homine Epicuræo, sub quo Concilium Lateranense Pisanum extinguit. §. *CLI. CLII.* 1513.

Leo Helvetios contra Gallos Mediolano inhiantes in Italiam inducit. Qui Novariæ obsessi, erumpentes, instructissimum exercitum Gallorum vincunt. §. *CLI.*

Leo idem à Maximiliano Imp. ad Franciscum Regem Galliæ deficit, eique Imperii Constantinopolitani coronam confert. Multa deinceps adversus Maximilianum, & Successorem ejus Carolum V. improbè machinatus est. *ibid.* 1515.

Idem sublata Sanctione Pragmatica, Concordata cum Rege Francisco agitat, de nominatione Episcoporum & Abbatum. *ibid.*

Leo missis per omnia Regna literis indulgentias pollicetur, interventu pecuniæ, falsis etiam prætextibus usus. Lutherus ea de re adversus Tecelium, indulgentiarum præconem, scribit ad Moguntinum, & themata Wittebergæ indulgentiis opponit. Zwinglius quo- 1517.

que de corruptione Ecclesiæ cum Cardinale Sedunensi disputat, & Evangelium prædicare incipit. Occasio hæc fuit Reformationis Ecclesiasticæ mox insecutæ. §. *CLII, CLIII.*

Reformationis verò necessitatem arguunt graves de corruptione Ecclesiæ Romanæ querelæ, eo tempore, si unquam alias ingeminatæ. §. *CLVI. CLVII.*

1518. Lutherus Romam citatus, eò venire detrectat. Evocatur igitur Augustam Vindelicorum ad Cajetanum, cum quo de indulgentiis & Cœna Domini disputans, ad Papam provocat. *ibid.*

1519. Zwinglius Tiguri Evangelium prædicans, Samsoni indulgentiarum institori omnibus viribus restitit, & de eo ad Hugonem Const. Episcopum scribit. §. *CLII.*

Lutherus Lipsiæ cum Eccio de primatu Papæ & purgatorio disputat. *ibid.*

1520. Lutherus à Leone excommunicatus ad Concilium provocat; & Pontificiis libros ejus comburentibus, ipse vicissim Wittebergæ jus Canonicum comburit; librum de captivitate Babylonica scribit, & paulò post duos Papatus nervos, vota Monastica, & Missas privatas, incidit. *ibid.*

1521. Wormatiæ in Comitiis, salvo conductu Caroli, comparet Lutherus, & assistente ipsi Schurfio J. C. coram Imperio & Ordinibus magna constantia de doctrina sua respondet. Proscriptus in arce Wartburgensi decem menses delitescit, & denuo à Leone excommunicatur. *ibid.*

1522. Leoni succedit Hadrianus Ultrajectinus, Præceptor Caroli, qui homo ingenuus reformationis in capite & membris necessitatem agnoscit; reformationem molitur, sed mancam mutilamque. §. *CLVIII---CLXI.*

1523. Ordines Imperii Norinbergæ centum Gravamina, quibus Germania à Pontifice onerata sit, consignant, eademque ad Papam perscribunt, petentes ut Concilium generale indicat. §. *CLIX.*

Lutherus, abrogata Missa, formulam communionis Sacræ, & præconii Evangelici Wittebergensibus ordinat, & S. Biblia in vernaculam linguam convertere incipit. §. *CLII.*

Glisente contra Zwinglium offensione, Senatus Tigurinus Synodum indicit, in qua Jacobus Faber, Episcopi Constantiensis vicarius, Tigurinorum rogatu comparet. Finita disputatione cùm solidi nihil objectum Zwinglio, & ad singula responsum ab eodem solidè constitisset,

tiſſet, Senatusconſulto edito mandatur, ut omiſſis traditionibus purum putum Dei verbum prædicetur. *ibid.*

Hadriano P. non ſine veneni ſuſpicione defuncto, ſurrogatur Clemens VII. cui Antipapa Urbanus VI. obnititur. §. *CLXIII. CLXIV.*

In Germaniæ multis locis Eccleſiæ reformantur, Doctoribuſque ut purum Dei verbum prædicent, injungitur. Tiguri quoque Miſſa abrogata Templa ab imaginibus & ſtatuis purgantur; nequicquam Cantonibus reliquis reclamantibus. *ibid.* & §. *CLXII.* 1524.

Clemens P. Campegium Norinbergam mittit, & reformationem offert, quam cùm fucatam eſſe intellexiſſent Ordines, ad Concilium provocant, & interea Evangelium purè & modeſtè ut doceatur, decernunt. Poſt conventum Ferdinandus, Campegius, Epiſcopique plures ſeorſim convenientes Wormatienſe edictum, quo Lutherus damnatus erat, urgent, Miſſæ abrogationem prohibent. §. *CLXIII.*

Cantones Helvetiæ novem Pontificii, una cum Valeſiis, Lucernæ conveniunt, Reformationis ipſi quoque articulos condunt, temporum ſuorum calamitatem Sacerdotum iniquitati imputant, nundinationes fœdas prohibent, & Curtiſanos, quos Romanos nebulones vocant, coercent. §. *CLIX.* 1525.

Spiræ Ordines Imperii conveniunt, ubi Principibus Pontificiis edictum Wormatienſe urgentibus, reliquis ei ſe opponentibus, Ferdinandus ita rem moderatur, ut promiſſo Concilio omnes acquieverint. §. *CLXIII.* 1526.

Cantones Helvetiæ duodecim Badæ inſtituta diſputatione, ſanciunt, ne veterem religionem quisquam deſerat, utque futuri Concilii authoritatem omnes ſequantur. *ibid.*

In Suecia Guſtavus viſitationem Eccleſiarum inſtituit, abuſus Pontificios, & poteſtatem Politicam Epiſcoporum, fruſtra tergiverſantium, abolet. §. *CLXII.* 1527.

Clemens P. cum Gallo adverſus Cæſarem fœdus init. Unde Borbonius ex Galliis ejectus, cum Fronſpergio, Cæſaris nomine Romam capiunt, Romam ſpoliant, & Papam in mole Hadriani obſident. §. *CLXIII. CLXIV.*

Bernates, cùm diſputationis Badenſis acta iis communicata non eſſent, aliam Bernæ diſputationem inſtituunt, in qua bona cauſa vincit, & poſt Eccleſia reformatur. §. *CLXII.* 1528.

Johannes Saxoniæ Elector, & Philippus Haſſiæ Landgravius bel-

bellum parant adversus Pontificios, qui jam ante fœdus contra Evangelicos iniverant. Interponentibus se Palatino & Trevirensi pax constituitur. §. *CLXIII.*

1529. Spiræ Comitia Ordinum Imperii celebrantur, & à Pontificiis Wormatiense contra Novatores decretum urgetur; protestantibus Saxone & Hasso, unde Evangelicis *Protestantium* nomen. *ibid.*

1530. Cæsar Pontifici reconciliatus, Bononiæ coronatur, postquam verbis conceptis jurâsset, se Pontificiæ potestatis defensorem fore. Cum eodem P. de Concilio convocando priùs egerat. Papa à Concilio abhorrente, Carolus promisit, se ad tollendum schisma primò lenioribus remediis, & iis non succedentibus armis usurum. Inde conventus Augustanus indicitur, in quo Confessio Augustana Imperatori & Ordinibus prælegitur. Concludit Carolus, Protestantibus omnia in integrum restituenda esse, dato deliberandi usque ad d. 15. Apr. sequentis anni spatio. Interim Cæsar cum fœderatis vim parat. §. *CLXIV.*

1531. Tigurini à quinque Pagis graviter offensi, annonæ coměatu iisdem interdicunt. Qui ad extremas angustias redacti, silentio conductis copiis, signa opinione Tigurinorum citiùs proferunt, & imparatos confusosque vincunt. Zwinglius castrensis præco in eo prælio cæditur, & mox religionis pax concluditur. *ibid.*

1532. Imminente à Turca bello, Suinfurti pax religionis Germaniæ ad futurum usque Concilium conceditur. *ibid.*

1533. Papa denuo, deserto Cæsare, Massiliæ fœdus init cum Francisco Galliæ Rege, cujus filio neptim suam Catharinam Medicæam despondet. Ex eo tempore Franciscus in Maxentium quendam efferatus, diris supplicis adversus Evangelicos sæviit. *ibid.*

1534. Clementi succedit Paulus III. Farnesius, cujus vitam & mores spurcos liber Italicus depingit. §. *CLXV.*

1535. Jesuitarum Societas, authore Ignatio Lojola, à Paulo P. approbatur. § *CLXIX. CLXX.* Capucini sub eodem caput exerunt. Hi junctis viribus Papatum ruentem sustinere conantur. §. *CLXXI.*

1537. Paulus Concilium indicit Mantuæ, & statim Vicentiam transfert. Sed deprecantibus Venetis res non succedit. §. *CLXVI.*

Christianus Daniæ Rex puriorem in toto Regno religionem instituit. §. *CLXII.*

1538. Jussu Pauli P. à delegatis Cardinalibus & Præsulibus consilium de emendanda Ecclesia conscribitur, & Pontifici exhibetur. In consilio eo Ecclesiæ morbi & ulcera ingenuè satis deteguntur. Sed res tota successum nullum sortita est. §. *CLXVII.*

Con-

Concilium Tridentinum ante indictum, proteſtantibus licet Evangelicis contra illud, utpote Pontificis libidini inſerviens, celebrari die 13. Dec. incipit. §. *CLXXII.* Reformatio in eo plane frivola tentatur. §. *CLXXIII. CLXXIV.* 1545.

Sub initium Concilii hujus Cornelius Muſſus, Epiſcopus Bitontinus, & Caranza, Eccleſiæ Romanæ corruptionem, habitis orationibus, graphicè depingunt. §. *CLXXV.*

Fridericus Palatinus Elector Eccleſias ſuas, abrogata Miſſa, reformat. §. *CLXII.* 1546.

Carolus Imp. à Paulo P. incitatus, diro bello cum Proteſtantibus Principibus, Smalcaldico fœdere junctis, decernit, in quo ſuperior acie Fridericum Electorem Saxoniæ Mulbergævi, & Philippum Haſſiæ Landgravium, ad Salinas Saxonicas, fraude capit. §. *CLXIV.*

Eduardus VI. Angliæ Rex, profligata Pontificia doctrina, religionem mutat. Eadem occaſione Scotia quoque puriorem religionem amplectitur. §. *CLXII.* 1548.

Caroli juſſu, cùm Concilium Tridentinum Proteſtantes abnuerent, liber conſcribitur de religione in Germania obſervanda *Interim*, dum Concilium legitimè inſtituatur. Iraſcitur propterea Carolo Paulus P. nec Proteſtantes plerique librum probant. *ibid.*

Julius III. ante Maria de Monte dictus, Paulo poſt diutinam Cardinalium diſſenſionem ſuccedit, Sardanapalus inſignis. §. *CLXXVI.* Petente Cæſare, Concilium Bononia Tridentum revocat. §. *CLXXVII.* 1550.

Mauritius, Elector Saxoniæ, fœdere cum Rege Galliarum aliisque inito, Socerum Philippum Landgravium à captivitate iniqua, & Germaniam à ſervitute liberaturus, Carolum bello petit, & victor ſimul Socerum liberat, ſimul Paſſavienſi tranſactione religionis Pacem impetrat. Hoc igitur bello purior religio ab oppreſſione Pontificia liberata, & ringente licet Pontifice, Pax perpetua Eccleſiæ impetrata eſt. §. *CLXXVIII.* 1552.

Eduardus Angliæ Rex lento veneno è medio tollitur, ſuccedente Maria, quæ Pontificiam religionem reſtituit, & dirum in modum adverſus Evangelicos ſævit. §. *CLXXIX.* 1553.

Julio III. P. ſuccedit Marcellus: atque huic poſt dies 22. Paulus IV. Carafa, erga Principes ſummos, Carolum, Ferdinandum & Philippum Draconicum animum gerens. §. *CLXXX. CLXXXI.* 1555.

Pax Religionis in Conventu Paſſavienſi promiſſa, in Auguſtanis Comitiis ſolenniter confirmatur. §. *CLXXVIII.*

1556. Paulus IV. Romæ Congregationem Cardinalium & Præfulum instituit, de Reformanda Ecclesia consultaturam, irrito planè successu. A Concilio, etiam Tridentino, se abhorruisse semper, præse palam ferebat. §. *CLXXXII.*

1558. Paulus IV. bullam de hæreticorum, schismaticorum & fautorum eorundem pœnis, quibus etiam Regali & Imperiali authoritate præfulgentes subjicit, edit. §. *CLXXXIII.*

Idem tribunal Inquisitionis Romæ erigit. *ibid.*

Maria Angliæ Regina moritur, eique succedanea Elisabetha decreta Mariæ de Missa Pontificia abolet, & religionem reformatam per totum Regnum doceri præcipit. §. *CLXXIX.* & *CXCII.*

1559. Index librorum prohibitorum Pauli ejusdem jussu compositus, typis inprimitur. *ibid.*

1560. Paulo IV. Pius IV. succedit, malis coloribus ab Onuphrio depictus. §. *CLXXXIV.*

1562. Pius Concilium Tridentinum, decem annos jam emortuum, resuscitat, eique novo exemplo quinque Legatos præficit. §. *CLXXXV.* Durante eo Ferdinandus Imp. literis ad Pontificem exaratis, de Concilii celebrati modo queritur, & postulatorum volumen ad Concilium mittit, quod Galli etiam faciunt; solenniter insuper adversus illud, ceu illegitimum protestantes. §. *CLXXXVI.*

In Galliis bellum civile primum movetur, Pontificiorum Duce Francisco Guisio; Reformatorum Ludovico Condæo; cadente Guisio, & pace religiosa à Regina concessa, eatenus, ut liceat nobilibus religionem in ædibus propriis; populo in Templis suburbanis exercere. §. *CXCI. CXCII.*

1563. Concilium Tridentinum 3. Dec. finitur, & à Pontificiis nonnullis recipitur, aliis, Protestantibus verò universis, ceu Conciliabulũ profanorum hominum rejicitur. §. *CLXXXVII. CLXXXVIII.*

Post Concilium Tridentinum Ecclesia Romana, abstersо pudore omni, deterior in dies evadit, & fideles persequitur. §. *CXC.*

1565. Pio IV. Succedens Pius V. de salute sua desperat, & Concilii Tridentini executionem promovet. §. *CXCI.*

In Belgio Proceres Margarethæ Gubernatrici pro libertate religionis supplices fiunt. Paulò post ibidem seditiones exoriuntur, & statuæ dejiciuntur. §. *CXCIII.*

1567. Ibidem Reformatarum Ecclesiarum exercitus ab Albano funditur, & capti Egmondanus, Hornanus, aliique Equites mox securi percutiuntur. *ibid.*

Mori-

Moritur Claudius Espencæus, Theologus Parisiensis insignis, qui Romanam Curiam graphicè depinxit. §. *CCXXI.* 1571.

Pius V. Elisabetham Angliæ Reginam anathemate ferit, ejusque consilia per Nicolaum Marianum in Angliam missum infringere conatur. Excommunicationis sententia sequente anno à Feltono Londiniad fores Episcopi affigitur, qui scelus suspendio luit. §. *CXCII.*

In Gallia Condæus captus contra fidem datam occiditur; & Amiralius arma circumfert, donec sequente anno mense Augusto pax fieret, & pristina religionis libertas restitueretur. *ibid.*

Pio V. succedit Gregorius XIII. cujus initia horribilis Ianiena Parisiensis, applaudente ipso, modis inauditis Bartholomæi die, consilio Rege Carolo IX. Reformatæ religionis Principes in una velut muscipula, uti loquebatur, capturo; patrata fœdat. §. *CXCV. CXCVI. CXCVII.* 1572.

Gregorius Papa formulam Calendarii novi ad Comitia Augustana mittit, eamque in Imperio recipi petit. Approbatur verò à Cæsare Rodolpho, aliisque Pontificiis: à Protestantibus contra rejicitur. §. *CXCVIII.* 1582.

Idem seminaria instituit, Jesuitas fovet, Hiberniam Elisabethæ subtrahere conatur. *ibid.*

Wilhelmus Arausionensis, libertatem religionis in Belgio defendens, à quodam sicario, à Parmensi immisso, globo sclopeti trajectus moritur. §. *CXCIII.* 1584.

Gregorium XIII. excipit Sixtus V. lacrymas cruentas, crudelitatis signum, fundere suetus. Is Regem Navarræ & Condæum, ut inhabiles Regno, statim excommunicat, & ditiones eorundem prædæ exponit, Guisio aliisque exercitu comparato urbes occupantibus, & decretum de una religione Pontificia conservanda, promulgantibus. §. *CXCIX.* 1585.

Classis ingens Hispanica, navibus 125. instructa, cum classe Parmensi, trecentarum navium jungenda, Angliam occupatura, benedictione Sixti P. consecrata, non sine Divino miraculo dissipata magnam partem perit, & conatus ingens, clade Senacheribiana, in nihilum recidit. §. *CCIX.* 1588.

Henricus III. Rex Galliæ Guisios, qui consilia de ipso in Monasterium trudendo ceperant, insidiis circumventos trucidat: qui & ipse propterea sequente anno à Sixto P. diris devotus, à Monacho Jacobo Clemente, venenato & oblongo cultello ictus, occiditur; parricidium laudante Pontifice supra modum. §. *CC. CCI.*

Sixtus

1590. Sixtus V. monſtri quidpiam alens contra Hiſpanos, quorum ſuſpectam in Italia potentiam habuit, Henrici IV. & Eliſabethæ, excommunicati utriusque, partibus acceſſurus, à Monacho Franciſcano clanculum occiditur; cui Urbanus VII. & huic poſt decem dies Gregorius XIV. ſuccedit. §. *CCIII. CCIV.*

1591. Gregorius P. fruſtra armis tentato Henrico IV. eum iterum excommunicat, & ſubditos omnes ab ejus obedientia abſolvit. Subditi verò etiam Pontificii in Parlamentis excommunicationem irritam pronuntiant, & bullam cremant. §. *CCIV.*

1592. Clemens VIII. Papa creatur, qui Henricum IV. tertiùm excommunicat. §. *CCV.*

Idem Sixti V. verſionem S. Bibliorum vulgatam recognoſcit, & immane quantum, licet Sixtus ſuam recognitionem edita bulla immutabilem haberi juſſerit, mutat. §. *CCII.*

1593. Clemens P. & Hiſpaniæ Rex Galliæ Epiſcopis, aliisque perſuadent, ut relicto Henrico IV. alium Regem eligant. Conſentiunt nonnulli in Henricum Guiſii filium. Reliqui multis precibus ab Henrico IV. impetrant, ut Papæ & Hiſpani conſilia fracturus, Pontificia ſacra amplecteretur. Sic d. 15. Julii Templum Dionyſii ingreſſus, Miſſam audit & abſolvitur, atque mox etiam Carnuti coronatur; Jeſuitis per Caſtellum ſicarium ſequente anno fruſtra jugulum ejus appetentibus, qui proin tota Gallia exire jubentur. *ibid.*

1595. Idem Henricus à Pontifice etiam Romano abſolutionem, ſed pudendo ritu, impetrat. *ibid.*

Clemens P. fœdus ſacrum ad extirpandos Evangelicos conciliat, cui Pontificii Principes omnes, Henrico IV. & Hetruriæ Duce exceptis, ſubſcribunt. §. *CCVI.*

1598. Henricus IV. Edicto ſolenni Nannetenſi Pacem religioſam in Gallia conſtituit §. *CCCXXVII.*

SECVLVM DECIMVM SEPTIMVM.

§. CCVIII. ——— CCCL.

1601. SAcerdotes ex Romano ſeminario egreſſi, & Jeſuitæ in Anglia novam Hierarchiam ſecretam conſtituerant. Sed inter utrosque occulta diſſidia in nervum erumpunt, & vix à Clemente P. ſopiuntur. §. *CCVIII.*

1603. Eliſabethæ Reginæ ſuccedit Jacobus VI. Scotiæ Rex, qui Regna tria,

tria conjungit, insidiis Pontificiorum, quibus statim electus Rex liberum religionis exercitium petentibus negavit; multifariis appetitus. §. *CCIX. CCXI.*

Intestina dissidia Romanam Ecclesiam exercent, ob quæstiones à Jesuitis motas de Papa, de confessione, auxiliis gratiæ & libero arbitrio; quæ postrema quæstio à Clemente P. non definita, inter Jesuitas & Dominicanos acerbis odiis deinceps agitata est. §. *CCVII.* 1604.

Jesuitæ à Jacobo Rege Anglia pelluntur. Contra Gallia antehac pulsi, Clementis & Mariæ Mediceæ intercessione postliminio recipiuntur. §. *CCV.*

Clemens P. fidem datam à supremis potestatibus tutò violari posse asserit. §. *CCX.*

Clementi VIII. Leo XI. & huic post dies 26. Paulus V. Borgesius Vice-Deum salutari se passus, Ecclesiæ non reformator sed deformator, succedit, frustra nonnullis confuso clamore Baronium deposcentibus. Prodieruntque mox, Card. Perronio proditore, arcana conclavis utriusque. §. *CCXIX. & CCXXII.* 1605.

In Anglia conjuratio pulveraria Roberti Catisbeii & complicum, Jesuitis, Garneto inprimis, conscîis, in necem Regis, Reginæ, liberorum totiusque Parlamenti proposita, detegitur. §. *CCXI. CCXII. CCXIII.*

Jesuitarum hæresis singularis prima de jure occidendi Reges & Principes Pontifici imparentes; nec non secunda de æquivocationibus & reservationibus mentalibus invalescunt. §. *CCXIV. CCXV.*

Contentio acris gliscit Paulum V. inter & Venetos, ob legem Venetorum, ne Ecclesiasticis bona immobilia donare liceat, quam abrogari Papa petiit. Renuentes Venetos idem excommunicat; & Jesuitis Venetorum ditione exulantibus, causaque adversis scriptis vehementer agitata, Papa foro cedere, & excommunicationem sequente anno abrogare coactus est. §. *CCXX.* 1606.

Hungaria in Pacificatione Viennensi, Bots-Kajum inter & Rodolphum II. inita, religiosa pace, & Reformati in ea libero religionis exercitio potiuntur. §. *CCCI.*

Cæsar Baronius, Cardinalis, Ecclesiæ Romanæ hucusque Atlas, Annalium opere laborioso, sed minùs bona fide scripto, famosus, moritur. §. *CCXVI.* 1607.

Bohemi Evangelicæ religioni addicti à Rodolpho II. Imp. plenã religionis libertatem, Majestaticis literis confirmatam, obtinent. Unde, pace religiosa stabilita, Evangelium in Bohemia, Silesia & Moravia mira incrementa capit, & Rodolphus Imp. Ordinem pacis singularem meditatur. §. *CCXXIV.* 1609.

1610. Henricus IV. stans in procinctu, ut collecto exercitu Brandenburgicum & Neoburgicum Principes juvaret, à sicario Ravaillaco in curru, d. 4. Maji, interficitur. §. *CCV.*

Robertus Bellarminus, Ecclesiæ Romanæ hoc tempore alter Atlas, post varia scripta polemica, tractatum scribit de potestate Papæ in temporalibus, qui mox publicè in Gallia damnatur. §. *CCXVII.*

1611. Rodolphus Imp. acie victus à Fratre Matthia, mœrore confectus moritur. Ex quo tempore res Evangelicorum in Bohemia, Silesia, Germania universa, inclinari cœperunt. §. *CCXXV.*

1614. Hispaniâ universam gravissimi motus affligunt ob controversiam Jesuitas inter & Dominicanos de Conceptione B. Virginis Mariæ, quæ per octo annos integros extrahitur Pontifice Paulo V. definitivâ sententiam ferre, metu partium prævalidarum, non auso. §. *CCXXIII.*

1617. Matthias Imp. improles Bohemis patruelem Ferdinandum obtrudit, qui Evangelicis ore, Papæ corde jurat. §. *CCXXV.*

1618. Pragæ Evangelicis Templa claudi vel everti, & liberum religionis exercitium labefactari variè incipit. Comitia proin instituuntur, in quibus de privilegiorum conservatione ageretur. Gravamina collecta Consiliariis à Cæsare relictis exponunt. Cumque Slawatam, Smekzanium, & Platterum, sibi reluctantes offenderent, inconsulto impetu, vi tamen protestationis jam A. 1609. contra turbatores pacis factæ; eos per fenestras in pomœrium arcis præcipitant, & inito fœdere contra communes Dei, Regis, religionis & Majestaticarum literarum hostes se pugnaturos sanctè recipiunt; apologia edita facti sui causam reddunt, Jesuitas toto Regno pellunt. *ibid.*

1619. Matthias Cæsar moritur. Ordines Bohemi spreto Ferdinando eligunt sibi Regem Fridericum V. Electorem Palatinum. Ferdinandus verò Romanorum Imperator electus, vim parat adversus Bohemos, in partes ejus concedentibus Hispanis, Electore Saxoniæ, Maximiliano Bavaro, aliisque & Paulo V. P. clerum Italiæ reliquumque ad sumptus Ferdinando erogandos incitante. *ibid.* & §. *CCXXVII.*

1620. In valle Telina horribilis Protestantium, sacra facientium, & ex improviso oppressorum laniena, ab exulibus & relictis in valle Pontificiis, inde à die 9. Julii patratur. §. *CCXXIX.*

Ingens d. 8. Nov. non procul ab urbe Praga Cæsareos inter & Bohemos pugna committitur, in qua Maximilianus Bavarus victor, Pragam occupat. Friderico Rege novo inde Uratislaviam cum conjuge concedente. Hæc tempestas Bohemos oppressit, nova methodo à Jesuitis ad Papatum seductos; atque mox universam Germaniam corripuit, Protestantiumque res in aciem novaculæ deduxit; belli sæ-

cri

eri classicum canente Sciopio. §. *CCXXV. CCXXVI. CCXXVII. CCXXVIII.*

Bavarus Palatinatum superiorem, Hispani inferioris loca nonnulla occupant. *ibid.* 1621.

Paulus V. Vice-Deus nuncupatus, moritur, eique Gregorius XV. succedens, fœminæ cujusdam consiliis Papatum administrat, & statim constitutionem de forma eligendi Papæ edit, §. *CCXXX.*

Heidelberga urbs d. 6. Sept. armata manu expugnata, civesque miserabiliter prostrati, trucidati sunt, direptione ad tertium usque diem continuata, & Missa introducta §. *CCXXV.* 1622.

Galliarum Rex, Pontifice incentore, Reformatis oppida partim vi, partim deditione facta eripit. §. *CCXXXI.*

Japones Christiani à gentilibus suis gravissimam persecutionem, Jesuitarum culpa, sustinent. §. *CCXLIII.*

In Hispania secta Illuminatorum emergens, spe facta veniæ, opprimitur. §. *CCXXXII.* 1623.

Gregorius XV. P. post Lojolitas quatuor, aliosque in Sanctorum numerum relatos, moritur, in cujus locum Urbanus VIII. Barbarinus surrogatur, qui statim electus Nepotes suos promovet, & Bullã Canonizationis Ignatii Lojolæ, & Xaverii edit. §. *CCXXXIII. CCXXXIV.*

Durante Gallum inter & Hispanos ac Urbanum P. ob vallem Telinam diffidio, adversus Regem Galliæ & Richelium vulgatis seditiosis libellis, in Regis Galliæ jugulum denuo cultер acuitur; & ob censurã libellorum à Stampesio proditã Clerum inter Galliæ & Parlamẽtum contentio oritur, & à Rege finitur. §. *CCXXXVI. CCXXXVII.* 1625.

Prodit liber Santarelli de potestate Pontificis, Regum potestati iniquissimus, à Sorbona acriter perstrictus. Ob quem etiam in Jesuitas Claromontanos inquisitio instituitur, quæ malam eorum conscientiam prodit. §. *CCXXXVIII.*

Cotonus Jesuita, qui antehac quæstiones curiosas dæmoni Hadrianæ Fraxineæ proposuerat, tœdio inquisitionis illius moritur. §. *CCXXXIX.* 1626.

Urbanus P. Bullam Cœnæ Domini, in qua ipsi etiam Galliarum Reges die Cœnæ Domini excommunicantur, renovat. §. *CCXL.* 1627.

Rupella, Reformatorum in Gallia asylum, à Ludovico XIII. iisdem eripitur; Urbano VIII. P. multùm lætante. §. *CCXLI.* 1628.

Cæsar bonorum Ecclesiasticorum post transactionẽ Passaviensem occupatorum restitutionem decreto publico petere statuit, & decretum illud hinc inde insinuat. Deploratáque adeò Ecclesiarum Evan- 1629.

gelicarum facies apparuit, ut ob ſpem earundem penitus mox evertendarum Romæ Jubilæum agitatum fuerit. §. *CCXXVIII.*

1630. Urbanus P. ſectam Jeſuitiſſarum bulla edita abolet. §. *CCXXXV.*

Guſtavus Adolphus, Sueciæ Rex, ceu fulmen quoddam ab ultimo Septentrione mira celeritate univerſam Germaniam victoriis ſuis peragrare, Henoticos domare, Germaniam à ſervitute, Eccleſiam ab oppreſſione liberare incipit. §. *CCXXVIII.*

1633. Urbanus P. adverſus Cæſarem & Hiſpanos ob potentiam creſcentem nimis, infenſum animum prodens, jam ante Galliarum Regem adverſus illos accenderat. Nunc verò converſa fortuna infenſiorem iis animum gerit, eò quod ſua tyrannide & regnandi libidine Catholici in hæreticorum victoriis exultare debeant. Viciſſim Hiſpani, edito à Jeſuita de poteſtate Pontificis libro, Pontificem Romæ ſuæ affigere conantur. §. *CCXLIV.*

1634. Pontificiorum, per emiſſarios Jeſuitas aliosque Habeſſiniam Romanæ Sedi ſubjicere inde à longo tempore annitentium, molimina infelicem exitum, Patriarcha Luſitano aliisque Pontificiis omnibus ſeverè proſcriptis, ſortiuntur. §. *CCXLII.*

1640. Urbanus pacis negotiationem apud Principes Pontificios in ſpeciem urget, ſed animo non niſi bella volutat. §. *CCLIII.*

1641. Urbanus bulla edita damnat Janſenii Auguſtinum, eo prætextu, quòd in eo contineantur propoſitiones nonnullæ Michaëlis Baii, à Pio V. pridem damnatæ. Quæ bulla ab Epiſcopis plerisque Belgii Hiſpanici non recipitur. §. *CCXLV.*

In Hibernia laniena Evangelicorum horribilis, inde à 23. Octobris, in gratiam R. Pontificis patratur. §. *CCLI. CCLII.*

1644. Urbanus bullam ſuam adverſus Janſenium & ſequaces repetit & confirmat, perpetuumque contradicentibus ſilentium imponit. Neque ſic tamen illi coërceri ſe patiuntur; quin potiùs in Belgio & Gallia creſcit ſectatorum numerus in dies, pertendentium, bullam Urbani dolo ſub & obreptionis extortam. §. *CCXLV.*

Jeſuitarum hæreſis ſingularis tertia de gratia & libero arbitrio, ex pluribus conflata, radices agit. §. *CCL.*

Urbanus VIII. capularis ſenex fato functus poſt ſex ſeptimanas, conclavi diſcorde, ſucceſſorem habet Innocentium X. Pamphilium, qui ſtatim admittit elogium blaſphemum Italo-Græci Baptiſtæ Catum-Syriti, quo Pamphilius Filio Dei præfertur. §. *CCLIV. CCLV.* Papatumque non ipſe, ſed glos ejus, Olympia Maldachina, altera velut Marozia, regit. §. *CCLVI.*

1647. Georgius Rakotzius, Tranſylvaniæ Princeps, Pacem religio-

ſam

sam in Hungaria violatam restituit,& liberum Evangelicis religionis exercitium,juxta Viennensem Pacificationem,stabilit. §.*CCCIV.*

Pax Imperialis Monasterii & Osnabrugis Westphalorum concluditur, adversus quam, quòd ejus pactis Ecclesia opima territoria & dignitates amitteret,primò Fabius Chisius Nuntius Pontificius, ac mox etiam ipse Innocentius Papa edita ferali bulla, solenniter protestantur. §.*CCLVIII.CCLIX.* 1648.

Innocentius P.bulla edita propositiones quinque ex Jansenii Augustino pro libitu Jesuitarum excerptas,& à tredecim Theologis, quos inter Sforza Pallavicinus principem locum obtinebat, præsentibus Cardinalibus nonnullis examinatas,damnat. §.*CCLV.CCLVI.* 1653.

Innocentio d.7.Jan.defuncto,post technas varias discordium Cardinalium, demum d.8.Apr.succedit Fabius Chisius, seu Alexander VII.Mahometis Imperatoris Turcici consanguineus. §.*CCLX. CCLXIV.* 1655.

Papatus Alexandri initia fœdat horribilis laniena Pedemontana, qua Evangelici ingenti numero inauditis modis à Pontificiis,Gastaldo duce,trucidantur. §.*CCLXIV.CCLXVIII.*

Alexander P.d.20.Sept. bullam prætumidam edit,qua Pacis Catholicorum Principum farciendæ prætextu, eosdem adversus Protestantes,Sueciæ cumprimis Regem Polono bellum moventem, accendere conatur. §.*CCLXVIII.*

Christina Sueciæ Regina, depositis fascibus, Pontificia sacra amplexa,d.23.Dec.Romam ingressa, magnificèque ab Alexandro excepta,stabilem ibidem Sedem figit. §.*CCLXIX.*

Alexander,cùm priùs præ se Nepotum neglectum tulisset,eosdem ad summos honores evehit, & Nepotismi Papalis perfectum exemplar præbet. §.*CCLXX.---CCLXXIII.* 1656.

Idem edita bulla non tantùm Innocentii adversus Jansenitas anathemata confirmat,sed etiam definit,propositiones quinque ab Innocentio damnatas, ex Jansenii Augustino excerptas, & in sensu ab eodem Jansenio intento damnatas esse. §.*CCLXVIII.*

Alexander in gratiam Hispanorum Thomam Villanovanum,Valentiæ quondam Archiepiscopum,in numerum Divorum refert. §.*CCLXXIII.* 1658.

Alexander idem Missale Romanum Gallicè editum acerbissimè perstringit. §.*CCXC.*

Jesuitarū hæresis singularis quarta de infallibilitate Papæ,in quæstionibus etiam facti,Lutetiæ in Collegio Claromontano proditur, & à sanioribus mox Theologis libello ad Episcopos misso graviter obnuntiatur,§.*CCLXXVI-CCLXXX.* 1661.

1662. Alexander P. in gratiam Gallorum Franciſcum de Sales, Epiſcopum Gebennenſem in numerum Divorum relaturus, Lutetia Legatum ad ſe mitti petit. Miſſus Dux Crequius à Corſis, Prætorianis Papæ militibus contumeliam patitur, quam armis Rex vindicaverat, niſi ei opera Florentini Principis biennio poſt reconciliatus Papa ſatisfeciſſet. Atque tum demum Saleſio Divorum chorum ſalutare licuit. §. *CCLXXIV. & CCLXXVI.*

Idem edita Bulla certam formulam præſcribit, cui Eccleſiaſtici omnes ſubſcribentes ſe poſthac ad ejurandos errores Janſenitarum ſemet ipſi obſtringant. §. *CCLXVIII.*

Alexander Indicem librorum prohibitorum profert, in quo ne Pontificiis quidem bullis parcit, celebresque authores Pontificios obelo configit. §. *CCLXXXIX.*

1664. Sorbona d. 24 Martii, annitentibus Parochialibus civitatis Pictonum, cenſuram in Vernantii propoſitiones, ceu Pontificiæ poteſtati nimiùm ve lificantes, ſtringit. §. *CCLXXX. CCLXXXI.*

1665. Eadem Sorbona Amedei Guimenii opuſculum, quo is probare ſuſtinuit, Theologiam Moralem modernam Jeſuitarum, celebrium Eccleſiæ doctorum authoritate non deſtitui, ſub cenſuram revocat, & d. 3. Febr. dogma probabilitatis nominatim, aliasque in opuſculo eo comprehenſas propoſitiones ſolenniter damnat. §. *CCLXXXII—CCLXXXVI.*

Utraque illa Sorbonæ cenſura offenſus non parùm Alexander VII, quòd per eam infallibilitatem ſuam in diſcrimen adduci putaret, Brevi ad Regem Chriſtianiſſimum d. 6. Apr. exarato, revocari eam petiit. Rex non ignarus, quantum ex Majeſtate peteretur, ſi Pontifex infallibilis haberetur, Pontificium Breve examini Supremæ Curiæ ſubjicit, quæ Conſilio maturo conſignato Sorbonæ cenſuram utramq; probat, & Pontificis infallibilitatẽ fortiter refutat. §. *CCLXXXVI—CCLXXXIX.*

Inter Pontificios Doctores, Pallavicinum, Suavem & Julium Clementem Scotum diſceptatur, anne Eccleſia Romana poſt Tridentinum Concilium in pejus deflexerit nec ne; Julio Clemente in pluribus eam in pejus deflexiſſe, ſuſtinente. §. *CCXCI. CCXCII.*

Jeſuitarũ hæreſis ſingularis quinta, ex pluribus compoſita, de probabilitate, actionum moralium regula, aliisque novitiis Theologiæ Moralis hypotheſibus, invaleſcit. §. *CCLXXXII. CCLXXXIII.*

1667. Eorundem hæreſis ſingularis ſexta de attritionis efficacia, & nulla neceſſitate amoris Divini ad ſalutem, caput extollit, §. *CCXCVI. CCXCVII.*

Ale-

Alexander VII. flagrante Janſenitas & Jeſuitas inter de dilectione Dei, an ea ad ſalutem neceſſaria ſit nec ne, diſſidio, bullam edit, qua definitivam ſuſpendens, Jeſuitarum hæreſin deploratam de nulla neceſſitate amoris Dei, reprehendi impiè vetat; & quinto ac decimo poſt bullam illam impiam die moritur, definitivam coram tremendo tribunali Dei expertus haud dubiè. §. *CCXCVII. CCXCVIII.*

Alexandro ſuccedit Clemens IX. Roſpigliosus. *ibid.*

Clemens Ludovicum Beltrame & Petrum de Alcantara Hiſpanos, nec non Magdalenam di Paley Florentinam in Divorum numerum refert; & Judæos paucis exceptis, Roma exigit. *ibid.* 1668.

Clemens IX. d. 29. Nov. moritur, & Cardinales Conclave ingreſſi, in eo quatuor menſes diſcordibus animis tranſigunt. §. *CCXCIX.* 1669.

Re pœne deſperata Æmilius Altieri, ſeu Clemens X. Papa exit. *ibid.* 1670.

Eo Pontifice, Jeſuitis annitentibus, Hungaricæ Eccleſiæ Evangelicæ graviſſimam à clero perſecutionem ſuſtinent. §. *CCC.* &c.

Georgius Barzon, Epiſcopus Varadienſis titularis liberum religionis exercitium ab Hungariæ Regibus Eccleſiis in Hungaria Evangelicis pactum, ſcripto publici juris facto oppugnat. §. *CCCI. CCCII. CCCIII.* 1671.

Occaſione Cæſarei exercitus Hungariam ob turbas Nadaſtianas ingreſſi, Clerus Pontificius terreſtres Dominos ad perſecutionem Evangelicorum concitat, & mox ad Regias etiam liberasque civitates perſecutio penetrat. Unde Evangelicis paſſim Templa eripiuntur, Paſtores vexantur, expelluntur. §. *CCCIV. CCCV.*

Tribunal Poſonienſe rebellionis prætextu Magnates Evangelicos in Hungaria plures evertit. §. *CCCVI.*

Poſonium prima vice ad d. 25. Sept. citantur Paſtores Evangelici pauci, rebellionis impactæ cauſam dicturi. Comparentes triginta duo Auguſtani, & Reformatus unus, malè perſecutionis impetum ſuſtinent. Mortis enim metu, innocentiæ licet ſibi conſcii, libellis præſcriptis, quorum virus non ſatis perceperant, diverſimodè ſubſcribunt. §. *CCCVI.* 1673.

Poſonium ſecunda vice menſe Februario citantur Paſtores, Rectores, cantores, ſtudioſi, æditui Evangelici per totam Hungariam omnes. Citationi alii obedire prohibentur, alii plusquam ducenti quinquaginta parent: qui miris judicum ſtrophis divexati, non convicti licet, d. 4. April. capite damnantur univerſi; poſt damnationem in libera cuſtodia habiti, pars infirmitate carnis victi libellis nomina dant; pars conſtantior, perſecutionem in carceribus, tandemque etiam triremibus Neapolitanis adeò horrendam ſubeunt, ut ſimi- 1674.

mis

lis exemplum vix ullis veteribus monumentis proditum reperiatur. §. *CCCVII.---CCCXX.*

Veritas circa cultum B. Virginis Mariæ & imaginum libellis nonnullis, puta Monitis salutaribus B. V. Mariæ ad indiscretos sui cultores, & de Iconoclastis, sparsa, erumpere nisa, in herba mox opprimitur. §. *CCCXX.* & *CCCXXI.*

1676. Clementi X. succedit Innocentius XI. Odeschalcus, qui reformandæ Ecclesiæ studium nonnullum præ se ferens, vix leviora quædam sanare potest. §. *CCCXXII.*

1678. Innocentius decreto publico indulgentias plurimas abolet. §. *CCCXXIII.*

Clerus Pontificius, Jesuitis præsultoribus, adversus Regem Angliæ, Religionem, Regnumque universum terribilem conspirationem pridem iniverat, quæ jamjam perficienda per Titum Oaten, conjuratorum Secretarium, detecta, & reorum suppliciis magis patefacta, in nihilum recidit. §. *CCCXXIX.* & *CCCXXX.*

In Anglia magnis ausis cùm excidisset Clerus, ad Galliæ Ecclesias Reformatas evertendas vires suas omnes convertit, ubi novarum declarationum specie, & Edictis novis ingeniosè excogitatis, præcipui edicti Nannetensis articuli resolvuntur, & liberum religionis exercitium variis modis locisque vel labefactatur, vel evertitur. §. *CCCXXVI.---CCCXLI.*

1679. Apamiensis in Gallia Episcopus Regi jus Regaliæ vindicanti resistit, & apud Pontificem queritur, qui ejus causam suscipiens cum Regiis de eodem jure aliisque disceptat. §. *CCCXLI. CCCXLII.*

1681. Clerus Gallicanus Lutetiam convocatus nomine Congregationis Generalis Cleri Franciæ, jus Regaliæ ventilat, & in Regem illud confert. §. *CCCXLIII.*

1682. Clerus idem literis ad Innocentium XI. P. exaratis, juris illius cessionem & collationem in Regem significat & excusat, quibus acerrimè Papa respondet. §. *CCCXLIII. CCCXLIV.*

Dum responsum Pontificis idem Clerus expectat, Pontificiam potestatem definitionibus quatuor, Regio edicto graviter sancitis, restringit. §. *CCCXLIII.*

Idem Clerus Evangelicis ad Papatum revocandis intentus, literas circulares ad Episcopos, quibus negotium extinguendi schismatis commendatur, & dissidium cum Pontifice extenuatur, mittit; atque simul Evangelicos ipsos, exaratis ad eos literis monitoriis, ad reddendam rationem schismatis vocat. §. *CCCXLV.---CCCL.*

IN-

INDEX II.
RERUM & PERSONARUM.

Numerus non paginam, ſed theſin ſeu Paragraphum notat.

A.

ACacii certamen cum Felice III. 27.
Adelberti Thuſci Eccleſiæ Romanæ Pontifices peſſimos dederunt. 62.
Æneas Sylvius in Concilio Baſileenſi Papæ poteſtatem oppugnat. 147.
Æquivocationes à Jeſuitis ſeriò defenſæ. 215.
Æthiopia, vide *Habeſſinia.*
Africanæ Eccleſiæ appellationem Epiſcoporum ſuorum ad Eccleſiam Romanam oppugnant. 15.
Agathonis P. ſuperba effata. 41.
Alanus Hierarchiæ Anglicanæ ſecretæ Rector. 208.
Alexandrina Eccleſia prima Presbyterorum Præſidem elegit. Unde Epiſcoporum origo. 12.
Alexandri III. P. in deprimendo Imp. faſtus. 94.
Alexandri IV. P. hiſtoria 113.
Alexander V. à Concilio Piſano Papa eligitur. 139.
Alexandri VI. P. impietas. 146.
Alexandri VII. P. electio & conclave. 260. encomium ab authore conclavis textum; Philomathia & gradus conſanguinitatis cum Muhamete. 263. Papatus ejus initia Pedemontana laniena fœdar. 264. Bulla ejus de conceptione B. Virginis Mariæ. 123. adverſus Janſenitas 248. adverſus Principes Proteſtantes, imprimis Sueciæ Regem, unà cum gloſſa Ordinaria. 268. Chriſtinam Sueciæ Reginam in fidei ſuæ ſinum recipit. 269. ejus Nepotiſmus 270. Thomam Villanovanum in gratiam Hiſpanorum; 273. & Franciſcum Saleſium in gratiam Gallorum, in Deorum numerum refert. 274. Diſſidet cum Gallo ob violatum à Corſis Crequium, 274. 286. Theologiæ Morali Jeſuitarum primò ſuccenſet, poſt favet. 285. Sorbonam apud regem Galliæ ob aſſertam fallibilitatem Papæ defert. 286. Breve ejus ſupremæ Curiæ cenſuram acrem ſubit. 287, 288, Indicem librorum prohibitorum confici curat. 289. Miſſale Romanum Gallicè redditum damnat. 290. Bulla ejus impia de attritione & neceſſitate amoris Divini. 297. mors, 298.
Aloyſius Gonzaga canonizatur. 230.
Alphonſus Mendez Habeſſiniæ Patriarcha. 242.
Alphonſus Villanovanus Fridericum III. Siciliæ Regem in Religione Chriſtiana ob ſcandala Cleri, nutantem confirmat. 126.
Alvarii Pelagii de Johanne XXII. P. ſententia. 129. Nepotiſmi Pontificum arcana detegit. 271.
Amedeus Sabaudus Eugenio IV. in Baſileenſi Concilio opponitur. 141.
Anaſtaſius Imper. Or. Romanis Epiſcopis ſe opponit. 30.
Anathemata Papæ ſpreta. 220.
Anglia ad Papatum relapſa 179. denuo reformata à Pio V. turbatur. 192. Secreta Pontificiorum in eadem Hierarchia; & de eadem diſſidium inter Seminarii Rom. alumnos & Jeſuitas. 208. conſpirationis pulverariæ ad perdendam ejuſdem religionem initæ hiſtoria. 211. ejus atrocitas exaggeratur. 212. Conſpiratio noviſſima in caput Regis & perniciem Regni religioniſque inſtituta. 324 per Titum Oatem detecta. 225.
Annatæ ſacerdotii imponuntur. 139.
Antichriſtus à Gregorio M. detectus. 36, 37, 38. revelatum jam eſſe, Seculo decimo; 72. nec non duodecimo; 89. percrebuit.
Antiſixtus parricidio Clementis à Sixto V. approbato oppoſitus. 201.
Apotheoſis Pontificum. 230.
Apoſtolicus Canon. 76. Nepotiſmo oppoſitus. 272.
Appellatio ad Eccleſiam Romanam prohibita. 15. à Carolo M. conceſſa. 48
Aquavivæ (Claudii) ſanctio fucata. 214.
Arbitrii liberi doctrina à Jeſuitis corrupta. 250.
Arius à Nicæna Synodo damnatus. 16.
Arnoldi de Brixia querela de corruptione Eccleſiæ Romanæ. 90. Tigurinis etiam prædicavit.

INDEX II.

Ob libertatem loquendi Romæ comburitur. *ibid.*

Arnoldistæ, ab Arnoldo de Brixia nuncupati. 90.

Asiaticarum Ecclesiarum cum Victore P. contentio. 14.

Attritionis doctrina Jesuitica. 283. De eadem Bulla Alexandri VII. 296.

Augustæ Vindel. Pax Religiosa Imperialis sancitur. 178.

Augustinus à Rom. Pontificibus in Jansenio damnatus. 249.

Avinion Sedes Paparum inde à Clemente V. 123.

B.

BAbylonem mysticam esse Ecclesiam Romanam, asserunt Hieronymus. 20. Honorius Augustodunensis. 90. Clerus Leodiensis. 93. Thomas Bequetus. 94. Eberhardus Salisburgensis. 108. Fratricelli. 122. Fr. Petrarcha. 135. Theodoricus à Nyem Nic. Clemangis, Hussus, &c. 147. Ludovicus XII. Galliæ Rex. 150.

Baptista Gallus Jes. lanienam Parisiensem laudat. 197.

Baronius Ecclesiæ R. Atlas. de ejusdem Annalibus judicium. 216. querela ejus de Ecclesiæ R. monstris. 62, 65, 69.

Barzon V. *Georgius Barzon.*

Basilius Imp. parricida Photium Patr. se reprehendentem in Concilio Const. damnat. 58.

Belgium ab Hispano ob religionis causam turbatum. Tragœdiæ totius origo & progressus narrantur. 193. à Gregorio XIII. P. oppugnatum. 198.

Bellarminus Ecclesiæ R. Atlas. 217. in controversiarum tomis ab eo editis laudem nonnulla merentur; plura reprehensione digna sunt. Regibus & Principibus se infensum gerit. *ibid.*

Bellum Sacrum ab Urbano II. decretum, exitu infelix 85. ejus prætextus. 86. causæ veræ suasoriæ. 87.

Benedictus XII. P. Ludovico Bavaro absolutionem à ditis Johannis negans, graviter ab eodem pulsatus. 132.

Benedicti XIII. P. & Gregorii XII. Antipaparum malignitas. 139. deponitur uterque, *ibid.*

Benignus Bossuet V. *Bossuet.*

Berengarii historia. 78.

Berentschini Pastores Hungariæ graviter vexantur. 312.

Bernhardi Clarevallensis querela gravis de corruptione Hierarchiæ Romanæ. 91.

Bernhardi Morlinensis, de Ecclesiæ R. Seculo XII. facie misera, querela. 90.

Bernhardus Politianus Henricum VII. porrecta hostia venenata necat. 125.

Bernhardus à Galen Episcopus Miles, 292.

Bertrames sanam de Eucharistia doctrinam tuetur. 63.

Bethlen (Gabriel) Hungaricæ libertatis vindex. 304.

Biblistæ Evangelici à Valeriano M. insigniuntur. 218.

Blondelli Turrianus Vapulans. 10. Innocentii X. Bullam Paci religiosæ Imperiali oppositam refellit. 259.

Bohemi Hussiticam causam adversus Pontificios strenuè tuentur. 147, 148, 150. faventem habent Rodolphum II. Imp. 224. Obtruditur iis Ferdinandus II. Ordines Regni turbatores Pontificios compescunt; & Fridericum Palatinum Regem eligunt. 225.

Bello victi Ferdinando II. succumbunt, *ibid.* Ad Papatum nova methodo Jesuitica reducuntur. 226.

Bona soli & immobilia ne acquirere Ecclesiastici possint, Veneti vetant. 220. De eo cum Paulo V. P. certamen grave subeunt. *ibid.*

Bonifacii I. conatus pro asserenda potestate R. P. 25.

Bonifacius III. Antichristus Gregorii M. verbis convincitur. 36. &c. Phocæ de Ecclesia R. capite Ecclesiarum edictum confirmat, *ibid.*

Bonifacius VII. interfecto Benedicto VI. Papatum rapit. 69.

Bonifacius IX. Papalis fastigii consummator fraude Sedem rapit. Gibellinis gravem se gerit. 115. Jubilæum Pontificium Evangelico substituit, quod solennis inauguratio fuit supremæ potestatis Cæsareo-Pontificiæ. 116. quid jubilæo illo voluerit, ex moribus ejus colligitur. 117. Potestatem supremam exercet adversus Albertum. 119. nec non Philippum Pulchrum Galliæ Regem, quem Regno arcere conatur. Captus ab eodem & ludibrio habitus ex phrenesi moritur. 120. ejus & Gregorii VII. contrarii dictatus. 294.

Bonzii in Sina Jesuitis adversantur. 243.
Borrhomæi canonizatio. 222.
Bossueti Condomensis Episcopi Expositio doctrinæ Catholicæ qualis? 218.
Botskajus Hungaricæ libertatis vindex. 304.
Brigidæ Revelationes. 136.
Bubo Concilio Romano præsidet. 139.
Buccari Istriæ Pastores Hungarici pessimè habiti. 317.
Budæus Pragmaticam Sanctionem tuetur. 150.
Bulla Pauli IV. de puniendis hæreticis qualibuscunque, etiam Imperatoribus, Regibus, &c. 183. Cœnæ Domini, cujus origo & mutationes narrantur. 240. Reges Galliæ in eadem excommunicati, adversus P. de Marca asseritur. 240. Innocentii X. adversus Pacem Imperialem. 258. Alexandri VII. contra Principes Protestantes, inprimis Regem Sueciæ, unà cum ordinaria glossa. 268. ejusdem de nulla necessitate amoris DEI bulla impia. 297. Bullæ quorundam Pontificum ab eodem in Indicem librorum prohibitorum relatæ. 289.

C.

CAlendarium à Gregorio XIII. immutatum. 198.
Callistus II. ab Henrico IV. jus investituræ extorquet. 94.
Camera Apostolica Augiæ stabulum. 221.
Camerarum Edicti in Gallia usus. 337. Earundem suppressio. 338.
Campegius ad Comitia Norimbergensia missus, ab Ordinibus Imperii non admittitur. 163.
Canonicum Jus V. *Jus Canonicum.*
Canonizatio ars chrysopoëtica Papæ, 230.
Capucinorum Ordinis origo. 171. Unà cum Jesuitis ruentem Ecclesiam Romanam sustinent. *ibid.*
Caramuel pro Pace religiosa scribit. 259.
Caranzæ oratio in Concilio Tridentino habita, quæ Ecclesiæ R. corruptionem depingit. 175.
Cardinalium nomen, definitio. 74. Potestas unà cum potestate Pontificis incrementa cepit. 75. Sub appellatione ecclesiastica Principes Seculares sunt. *ibid.* Quod Christo Apostoli, Papæ Cardinales sunt. 76. Prærogativæ eorum multiplices. 77. Galerus eorum ruber Senatus Edomitici tessera est, qua Principes Seculares ad partes Pontificias trahuntur. *ibid.* quid potissimum spectent in electione Papæ. 262.
Carinthiæ fidelium persecutio. 206.
Carniolæ fidelium persecutio. 206.
Carolus M. Longobardis domitis Romanam ditionem Pontifici donat. 46. Concilium Francofurti celebrat, & adversus cultum imaginum scribit. 47. Papatum promovet. 48. ejus de imaginibus sententia Maimburgium & Sorbonistam inter disceptatur. 321.
Carolus Calvus ab Hadriano II. P. oppugnatus. 57.
Carolus IV. Imp. à Clemente V. eligitur. 132. ab Innocentio VI. coronam magno cum dedecore accipit, & Romani Imperii Majestatem prodit, Aquilamque deplumat. 134.
Carolus Delphinus Galliæ Concilium Basileense dissipare conatus, ab Helvetiis in fugam agitur. 141.
Carolus VII. Rex Galliæ, Pragmaticæ Sanctionis author. 147.
Carolus IX. R. G. lanienæ Author, eandem pœnitens damnat. 196.
Carolus V. Imp. Romam capit. 164. fœdus cum Papa init, & Bononiæ à Clemente VII. coronatur. 164. de Concilio celebrando cum Papa colloquitur; & de pace ad tempus Concilii usque transigit. *ibid.*
Carolus Hispaniæ Infans ob favorem erga Belgas in carcere necatur. 194.
Caroli Aug. Salesii blasphemæ de Fr. Salesii perfectione voces. 274.
Castelli parricidium. 204.
Casaubonus (Is.) Jesuitas conspirationis pulveratiæ reos peragit. 213.
Catharinæ Senensis Revelationes. 136.
Catharina Medicæa Henrico II. nubit quarta Gallorum furia. 164.
Catisbejus pulveratiæ conspirationis author. 211.
Cheregatus ab Hadriano VI. ad Ordines Germaniæ missus, Ecclesiæ Romanæ corruptionem non dissimulat. 158.
Chisius V. *Fabius Chisius.*
Christus in cruce nudus, an togatus & coronatus comparuerit; pauper an dives fuerit; Franciscanos & Dominicanos inter acriter disceptatum. 129.

Christinæ Suecorum Reginæ ad Papatum transeuntis historia. 269.
Claudius Espenceus. V. *Espenceus.*
Clementis I. Epistola ad Corinthios. 2.
Clementis III. Papæ Cæsarei, & Urbani II. Hildebrandini contraria studia. 84.
Clementis IV. P. historia. 113.
Clemens V. Avinionem migrat. 123.
Clemens VI. depositio Ludovico Bavaro Carolum IV. eligit. 132.
Clemens VII. Papa eligitur. 163. Ejus ingenium ex Jovio depictum. Campegium ad Comitia mittit. Ejus pessima erga Cæsarem fides, *ibid.* Roma capta, ipse quoque in Castro Angeli captivus attinetur: liberatus cum Cæsare fœdus init, eumque Bononiæ coronat. Concilii celebrationi se opponit; & à Cæsare ad Gallum, nepti suæ Henrico II. desponsa, deficit, & mox moritur. De eo testimonia Suavis, Pallavicini, Jovii. 164.
Clemens VIII. fœderis sacri adversus Protestantes coryphæus. 206. Congregationem sacri fœderis, & de propaganda fide instituit, *ibid.* Fidem à supremis Principibus tutò violari posse, asserit. 210.
Clementis IX. res gestæ. 298.
Clementis X. electio. 299. Ecclesias Hungaricas per satellites suos evertere laborat. 300. &c.
Cleri Pontificii ignorantia & corruptio Seculo octavo. 49 decimo 70.
Colonitschii tyrannis. 305, 311. &c.
Cœnæ Domini Bulla. V. *Bulla.*
Cogitationes bonæ, de iis Jesuitarum hæresis. 283.
Comarini in carcere Pastores Hungarici misere vexati. 312.
Concilium
Basileense, ejusque historia. 141, 147.
Chalcedonense prærogativam Papæ humano juri acceptam refert. 26.
Claromontanum potestatem Papæ amplificat. 88.
Constantinopolitani V. historia 32.
Constantinopolitanum VI. Romanum Pontificem in ordinem redigit. 42.
Constantinopolitani VII. historia. 47.
Constantinopolitani IIX. historia. 48.
Constantiense Antipapas deponit, &c. 140. 147.
Florentini historia. 141.
Francofurtense historia. 47.
Lateranense sub Innoc. transubstantiationem aliaque definit. 103.
Lateranense sub Julio II. Pisano opponitur. 149. judicia doctorum de utroque Concilio. *ibid.* Papæ Divinos honores tribuit. 151.
Nicænum I. Papam Romanum ad curiam patrium relegat. 16.
Nicænum II. imaginum cultum stabilit. 47.
Pisanum Papam Julium II. ad reddendam rationem villicationis vocat. 149. extinguitur à Lateranensi. 151.
Quini sextum Romano Pontifici minùs æquum est. 43.
Romanum à Johanne XXIV. convocatur, cui bubo præsidet. 139.
Tridentinum indicitur. 172. à reformatione seria abhorret. 173, 174. à Julio III. restauratur, protestante Gallo; & mox ad decem annos prorogatur. 177. à Paulo IV. prorsus improbatur. 182. à Pio IV. renovatur, & ad finem perducitur, 185. de eo querelæ Ferdinandi Imp. & Galli adversus illud protestatio. 186. anathematismi ejus quales? 187. à Pontificiis omnibus non recipitur. 188. ab Evangelicis damnatur. 189.
Viennense decretalem de potestate Papæ supra Cæsares sancit. 154.
Conclavium Leonis XI. & Pauli V. historia à Perronio prodita. 219. Alexandri VII. 260.
Congregatio de propaganda fide, & sacri fœderis à Clemente IIX. instituitur. 206.
Conradinus suasu Clementis IV. à Carolo Andegav. occiditur. 113. Epistola ejusdem ad Ordines Imperii. *ibid.*
Conringius de Pace religiosa adversus Ernestum de Eusebiis scribit. 259.
Constantinus P. imagines Patrum aliasque in porticu Petri collocat. 46.
Constantini M. erga Ecclesiam Romanam favor. 16. Ecclesiæ tamen ejusdem primatum non agnovit. *ibid.* Donatio ejus fictitia. 64.
Constantinopolitanus Episcopus Romano æquatus. 22, 26.
Constantinopolis à Papa ob negatum primatum deserta, à Turcis occupatur. 142.

Convallenſes V. *Waldenſes, Pedemontani.*
Cornelii Muſſii Bitontini oratio in Concilio Tridentino habita. 175.
Coronus tœdio inquiſitionis adverſus Societatem à Curia Pariſienſi factæ moritur. 239. Ejuſdem quæſtiones curioſæ dæmoni Hadrianæ Fraxineæ præpoſitæ. *ibid.*
Craſſetus Jeſuita refutat Monita ſalutaria B. Virginis Mariæ ad indiſcretos ſui cultores. 320.
Cypriani de Eccleſia Romana dictum. 7. opponit ſe Stephano Papæ. 15.

D.

DAmaſi Papæ conatus pro obtinenda poteſtate ſumma. 19.
Dantis Aligeri querela de Eccleſia Romana. 126.
Decretales epiſtolæ Pontificum primorum ſuppoſititiæ ſunt. 9, 10, 64.
Definitiones virtutum & vitiorum mutandi ars Jeſuitica. 234.
Dictatus Gregoriani Papatus Hildebrandini fundamenta. 81.
Dominicus & Franciſcus Eccleſiam Romanam adverſus Waldenſes tuentur. 103.
Dominicus Jeſu-Maria à Ferdinando II. una cum ſpoliis Germaniæ Romam, atque inde in Galliam mittitur. 231.
Dominicanorum cum Jeſuitis contentio de auxiliis gratiæ, & conceptione Mariæ. 207, 223.
Donatus in Arelatenſi Synodo damnatus. 16.
Donationes fictitiæ Conſtantini M, Ludovici Pii, & Othonis M. 64.
Dorſchæus de Pace religioſa Imperii ſcribit. 259.
Durandi Mimatenſis liber adverſus Clerum Romanum, quo reformandi ejus formam præſcribit. 123.

E.

EBerhardi Salisburgenſis Archiepiſcopi oratio adverſus ſtamines Babylonios. 108.
Eberhardini in carceribus Hungarici Paſtores peſſimè habiti. 312.
Eccleſia Romana. V. *Romana Eccleſia.*
Edictum Nannetenſe V. *Nannetenſe Edictum.*
Eliſabetha Angliæ Regina inſidiis & conſpirationibus variis appetita. 209.
Epiſcoporum R. typhus maturè ſe prodidit. 11. &c.
Epiſcopi & Presbyteri identitas ex Hieronymo aſſeritur. 12.
Epiſcopi Milites. 292. &c. Verbo Dei & veteſtis canonibus damnati. 294. impietas eorundem Eraſmi & Wicelii verbis notata. 295.
Epiſtolæ Decretales Pontificibus Romanis primis tributæ ſuppoſititiæ ſunt. 9, 10, 64.
Eraſmi invectiva in Epiſcopos milites. 295.
Erneſti de Euſebiis de Pace non danda Proteſtantibus liber, Fabii Chiſii juſſu vulgatus; & ad eum reſponſiones variæ. 259.
Eſpencæi verbis Eccleſiæ Romanæ facies depingitur. 221.
Evangelium æternum à Monachis mendicantibus prolatum. 110. à Pontificibus ſegniter repreſſum. 111. blaſphemiis ſcatet. 112. nudum Papatum repræſentat. *ibid.*
Euchariſtiæ certaminis Paſchaſium inter & Bertramum hiſtoria. 63. ejuſdem continuatio ſub Berengario 78.
Eugenius II. Papa in ſchiſmate eligitur. 52. iconolatriam tuetur. 53.
Eugenius IV. Concilium Baſileenſe cogit. & ab eodem deponitur, ſurrogato Felice V. 141. Concilium Florentiam transfert. *ibid.*
Exarchi gratiam Pontificum R. ambiunt. 45.
Extractus Judicialis Tyrnaviæ editus, Paſtores Hungaricos rebellionis inſimulans, refellitur. 318.

F.

FAber Stapulenſis Theologiam reformat. 150.
Fabii Chiſii proteſtatio adverſus Pacem Imperialem. 258.
Felix III. Acacium excommunicat. 27.
Felix V. à Concilio Baſileenſi Eugenio IV. ſurrogatur. 141.
Ferdinandi I. Imp. & Johannis de Zapolya ob Regnum Hungariæ æmulatio. 301.
Ferdinandus II. Bohemis obtruditur. 225. Bohemiam ſubjugat. 226. à Proteſtantibus bona Eccleſiaſtica repetit. 228.
Fidem datam à Supremis Principibus violari poſſe Clemens IIX. aſſerit. 210.
Formoſi cadaver male habitum à Pontificibus. 61. 69.
Fœdus ſacrum coryphæo Clemente IIX. inter Principes Pontificios adverſus Proteſtantes initur. 206. Congregatio ejuſdem. *ibid.*
Franciſcus & Dominicus una exorti, Eccleſiam Romanam adverſus Waldenſes tuentur. 103.

Franciscanorum & Dominicanorum de paupertate Christi certamen impium. 129.
Francisci Rhotomagensis querela de Nepotismo Pontificum. 272.
Francisci de Sales canonizatio. 274. de ejus perfectione voces blasphemæ Caroli Aug. Salesii, *ibid.* ejus adversus Ecclesiam Romanam merita, & consilia sanguinaria. 275.
Franciscus Xavier canonizatur. 230. 234.
Fraticelli Papam Antichristum insignientes vexantur. 122.
Freherus Jesuitas criminis falsi reos peragit. 54.
Fridericus I. Barbarossa ab Alexandro III. indigne calcatur. 94.
Fridericus II. Imp. odii Papalis victima; & certaminis ejusdem cum Pontificibus variis historia. 105. post ejus mortem Imperatores Pontificibus succumbunt. *ibid.* causæ odii Papalis adversus ipsum inexpiabilis. 106. ejus Epistola ad Orthonem Bavariæ Ducem de R. Pontificum tyrannide. 107.
Fridericus III. Siciliæ Rex Ecclesiæ R. scandalis offensus, de veritate Evangelii dubitat, & ab Alphonso Villanovano confirmatur. 126.
Fridericus V. Elector Palatinus Bohemiæ Rex creatur. 225. Ferdinando victori succumbit. 11.

G.

GAlerus Cardinalium, Senatus Edomitici tessera. 77.
Gallia per Guisios turbata. 192. ejus Reges in Bulla Cœnæ Domini excommunicari, adversus Petrum de Marca probatur. 240. Episcopi ejus circa receptionem Bullæ Innocentii X adversus Jansenitas dissident. 247. persecutio in ea novissima Reformatorum narrata. 326. &c. Ejusdem clerus Lutetiæ congregatus Regaliæ jus in Regem confert. 343. 344. Pontificiam potestatem in temporalibus abolet, in spiritualibus Concilio subjicit. 343. literis Reformatos ad reddendam schismatis rationem vocat. 345. 348.
Garnetus Jesuita conspirationis pulverariæ particeps fuit. 213.
Gastaldus, Generalis Ecclesiæ, Vallensibus migrationem ex Pedemontio imperat. 264. lanienam horribilem in Pedemontio patrat. 265.
Gelasius I. primatum R. Pontificis ex jure Divino arcessere conatur. 26.
Genebrardi de Pontificibus Seculi X. querela. 66.
Georgius Barzon liberum religionis in Hungaria exercitium oppugnat. 302. argumenta ejusdem ad incudem revocata. 303.
Gerberti de Ecclesiæ R. corruptione querela. 66, 68.
Germaniæ post victam Bohemiam periculum anceps. 227, 228. ejus pacem protestatione impedire Innocentius X. conatur. 258.
Gerhardus Hammel Bruyninex. V. *Hammel Bruyninex.*
Gerson Papæ fallibilitatem asserit. 147.
Godermanni crudelitas erga Pastores Hungaros. 317.
Godeschalcus doctrinam sanam de gratia & prædestinatione tuetur. 56.
Gratiæ Divinæ doctrina sanior declinat. 56. de auxiliis gratiæ Dominicanos inter & Jesuitas disceptatur, 207. 223. 250.
Gratiani Imp. edictum adversus avaritiam cleri Romani. 21.
Gravamina centum Ordinum Imperii. 159. à Clemente VII. expensa & explosa. 163.
Gregorius I. Papa se Johanni Jejunatori opponit. 34. Antichristum prænuntiat, & de temporibus futuris præsagit. 35. 36. &c.
Gregorius IV. Ludovici filios adversus Patrem fovet. 54.
Gregorius VII. sede Pontificia rapta strenue Papatum promovet. Sub 4. Pontificibus Dominus Papæ cluebat; dæmoniacis artibus imbutus. 79. Henrico Imperatori sese opponit, nixus potentia Mathildis & Normannorum. Senatus-consultum Imperatoris & Ordinum adversus eum fit Wormatiæ. Imperatorem excommunicat, & Romæ anathemate solvit. Post ab eodem Imperio exuitur, Rodolpho Duce Sueviæ surrogato; & denuo excommunicatur. Brixinæ ab Henricianis ipse quoque deponitur, & Roma occupata pulsus in exilio moritur. 80. Dictatus ejus, Papatus Hildebrandini fundamenta. 81. Ejusdem de abstinentia à cibis certis, & cœlibatu Sacerdotum, decreta dæmoniaca. 82.
Gregorii IX. odium adversus Fridericum II. 104.
Gregorii X. historia. 113.
Gregorii XII. & Benedicti XIII. Antipaparum in schisma.

schismate malignitas. 139. deponitur uterque. *ibid.*

Gregorii XIII. Papatus. 195. Lanienam Parisiensem laudat. 197. Calendarium mutat, seminaria instituit, Jesuitas fovet, Hiberniam Elisabethæ subtrahere conatur, Belgas oppugnat. 198.

Gregorius XIV. Henricum IV. diris devovet. Monitoria ejus in Gallia spernuntur. 204.

Gregorius XV. formam eligendi Papæ præscribit, & Jesuitas quatuor in Deorum numerum refert. 230. Ferdinandum II. collatione pecuniarum adjuvat, & Ludovicum XIII. adversus Protestantes accendit. 231.

Græcorum negotiatio cum Latinis in Concilio Florentino lubrica 141. à Latinis deferri jugum Turcæ subeunt. 142.

Gualdi Abbatis historia Olympiæ Maldachinæ. 256.

Guilhelmi de S. Amore liber adversus Monachos mendicantes. 109.

Guimenii Theologia Moralis à Sorbona examinatur. 284.

Guisii Galliam turbant. 292.

Gustavus Adolphus Sueciæ Rex Henoticos domat, & Ecclesiam liberat. 228.

H.

HAbessinia à Lusitanis Sedi R. subjicitur, ac denuo infelice exitu ab eadem deficit. 242.

Hadrianus II. Carolo Calvo secundum opponit. 57. Parricidium Basilii Imp. fovet. 58.

Hammel Bruyninex Pastorum Hungaricorum innocentiam tuetur. 310.

Hadriani III. adversus Imp. decreta. 60.

Hadriani IV. in Imp. deprimendis fastus. 94.

Hadriani VI. Instructio Cheregato ad Ordines Imperii missa exhibita, qua Reformationis necessitatem agnoscit 158 adversus Paliavicinum & Masenium à Launojo vindicatur. 159. Reformatio, quam meditatus est, manca fuit. 160.

Hadrianæ Fraxineæ dæmoni Coronus quæstiones nectit. 239.

Hæreticis Apostolorum tempore impunè grassari non licuit. 70. Seculo X. in Monachos & Prælatos fugerunt. 71.

Hallus (Jos.) Urbanum IIX. victis Rupellanis insultantem graviter pulsat. 241.

Hegesippi de Ecclesia maturè degenerante dictum. 6.

Helvetii à Pontificibus R. delusi nominatim à Sixto IV. 146. à Julio II. 149. à Leone X. 151. Cantones IX. Lucernæ Reformationem tentant. 159 quæ manca nimis fuit. 161.

Henricus IV. Imp. cum Gregorio VII. collisus. 80. Romæ eidem fit supplex. Deponitur & excommunicatur denuo ab eodem. Rodolphum sibi surrogatum vincit, & Romam occupat, *ibid.* Simoniacæ hæreseos insimulatur. 83. à Paschali II. diris modis infestatur. 94.

Henricus V. Imp. adversus Parentem à Pontifice accensus. 94. Calliste II. jus investituræ cedit. *ibid.*

Henricus VII. Imp. Romæ à Bernhardo Politiano venenata hostia porrecta necatur. 125.

Henrici III. R. Galli parricidium. 201.

Henricus Condæus fulmine Pontificio feritur. 199.

Henricus Navarrus fulmine Pontificio feritur. 199 factus Galliæ Rex denuo Monitoriis Gregorii XIV. percellitur; & ne argentum vel aurum ullum Romam inferatur, sancit. 204. Pontificum odiis succumbit, & Carnuti Rex coronatur. 205. Ejus jugulum à Castello, Jesuitis conscijs, frustra appetitum. Pontifici ægrè reconciliatus à Ravaillaco occiditur. *ibid.*

Hiberniam frustra Elisabethæ subtrahere Papa conatur 198. horribilis Protestantium laniena in ea patratæ historia. 251. in Papæ gratiam patratam esse asseritur. 252.

Hieronymi de Ecclesia R. dictum. 8. Babylonem appellat. 20.

Hieronymi Pragensis sententia de Papa. 147. martyrium 148.

Hieronymus Savaronola testis veritatis. 147. martyr. 148.

Hildeberti de Ecclesiæ R. Seculo XII. facie querela. 90.

Hildegardes vaticinia adversus Papam. 121.

Hincmarus Carolum Calvum adversus Hadrianum II. tuetur. 57.

Hispani Sixto V. exosi 203. Urbano IIX. infensi. 144. eorundem de subjuganda Japonia consilia. 143. Illuminatorum sectam quomodo oppresserint. 232.

Honorii Augustodunensis descriptio Babylonis R. 90.
Honorius Monotheleta. 40.
Honorii III. P. odium adversus Fridericum Barb. 105.
Honorii IV. historia. 113.
Hoornbeckius Innocentii X. Bullam adversus Pacem religiosam protestantem censuræ subjicit. 259.
Hormisdas P. Papatum promovet. 30.
Humilitas primorum Ecclesiæ R. Episcoporum. 5.
Hungaria. Ecclesiæ in ea Evangelicæ fata sub Regibus Ludovico, Johanne de Zapolya, Ferdinando I. 301. Religiosa pax iis in Pacificatione Viennensi concessa, & ab Impp. Matthia, Ferdinando II. & III. Leopoldo confirmata. *ibid.* Liberum religionis exercitium publicis legibus pactum Georgius Barzonus scripto publico infringit. 302. cujus argumentum triplex ad partes vocatur. 303. Cleri Pontificii adversus eandem Pacem machinationes à Botskajo, Bethlenio, Rackozio repressæ. 304. Denuo Ecclesiæ à terrestribus Dominis premuntur. *ibid.* Civitates mox etiam liberæ & Regiæ, diruti earum Templis, & ejectis Pastoribus infestantur. 305. Posonienſi tribunali Magnates. 306. & Pastores evertuntur 307. &c.
Hungaricarum Ecclesiarum Ministris Posonium citatis libelli, quibus mortis periculum eluctaturi, subscribentes, ministerii abdicationem, exilium spontaneum vel apostasiam promitterent, præscripti. 307. Citati ad tribunal Posoniense, primùm Augustani soli, malè persecutionis impetum sustinent. 308. Citatio secunda universalis omnium per Hungariam Ministrorum Evangelicorum, cui alii obedire prohibentur, alii parent. 309. Numerus comparentium utriusque Confessionis. Actionis totius series exponitur. Accusationis capita. Accusatorum Judicumque strophæ. Perduellionis culpa accusati liberantur prægnantibus argumentis. 310. Accusati innocentes damnantur, & in libera custodia, paucis exceptis detinentur, variis artibus ad subscriptionem libellorum pellecti. Subscribentibus Augustanis nonnullis, reliqui varios in carceres distribuuntur. Reformati, exceptis duobus, omnes subscriptionem constanter abnuunt; in vincula itidem rapti, atque inde producti diversa in Hungariæ munimenta relegati, tempestatem horrendam subeunt. 311. Vexatio crudelis fratrum Berentschinum, Comarinum, Eberhardinum & Leopoldopolin asportatorum. 312. Violentia in cogendis iisdem ad cultum Panacei Numinis. 313. Raptantur crudelissimè ad triremes. 315. in iis dirissimè vexantur, & ex iisdem Divinitus liberantur. 316. Historia reliquorum Pastorum viginti, in carceribus Sarvvar, Capuvvar, Tergesti & Buccaris inauditis modis vexatorum, & deficientibus nonnullis, ad extremum liberatorum. 317. Examinatur Extractus Judicialis Tyrnaviæ editus, quo crimine perduellionis Pastores iidem arcessuntur. 318.
Hussitica bella plus admirationis, quàm fidei apud posteros habitura. 148.

I.

Jacobus VI. Angliæ Rex variis conspirationibus appetitus. 209. inprimis conjuratione pulveraria. 211. cujus atrocitas exaggeratur. 212.
Jansenitas inter & Molinistas dissidium in Belgio & Gallia erumpit. 345. Propositiones eorum quinque ab Innocentio damnantur. 246. circa damnationis bullam recipiendam dissident Episcopi Gallici. 247. exceptio eorum adversus Bullam Innocentii ab Alexandro VII. elicitur; & formula conficitur adversus Jansenium, in cujus verba Pontifex clerum suum adigit. 248. Augustinum in se damnatum pertendunt. 249. Controversia tota tandem in quæstionem de infallibilitate Papæ exit. *ibid.* circa dogma Attritionis à Jesuitis dissident. 296.
Japonia Sedi Romanæ subjecta; mox ab eadem deficiens, horrendam stragem Christianorum edit. 243.
Jesuitarum origo. 169. de ordine eorum judicium Sorbonæ. *ibid.* Successu temporis multùm degenerant. 170. unà cum Capucinis ruentem Ecclesiam Romanam sustinent. 169. 171. Lanienam Parisiensem laudant. 197. à Gregorio XIII. foventur. 198. Parricidii Clementis, Castelli, & Ravaillaci conscii & suasores. 201. 205. Gallia pulsi Pontificis & Mariæ Medicæ inter-

interceſſione reſtituuntur. 205. Quæſtiones de Papa, Confeſſione, auxiliis gratiæ movent, obnitentibus Dominicanis. 207. Secretam in Anglia Hierarchiam conſtituunt; & circa eam cum alumnis Seminarii Romæ diſceptant. 208. Conſpirationis pulverariæ in Anglia participes fuerunt. 212. Venetiis pelluntur. 220. Circa quæſtionem de auxiliis gratiæ & Conceptione Mariæ motus graves in Hiſpania concitant, 223. Tempeſtatem Germaniæ per Ferdinandum II. conflant. 224. ab Ordinibus Bohemiæ proſcribuntur. 225. Victos Bohemos qua Methodo ad Papatum reduxerint. 226. à Gregorio XV quatuor eorum anteſignani canonizantur. 230, 234. Eorum miracula qualia ſint? 235. Lojolam Faſtis inſerentes, expuncto Germano, repreſſi. 235 In eos ob librum Santarelli Curia Pariſienſis inquirit 238. Habeſſinos & Japones ad Papatum convertere malo conſilio laborant. 242, 243. cum Janſenitis colliduntur. 245. &c. Conſpirationis noviſſimæ Anglicanæ architecti ſunt. 324. Criminis falſi à Frehero convicti ſunt. 54.

Jeſuitarum hæreſes ſingulares ſex; puta *prima* de jure occidendi Reges & Principes quoſvis Pontifici imparentes. 214. *Secunda* de æquivocationum & reſervationum mentalium jure. 215. *Tertia* de gratia & libero arbitrio. 250. *Quarta* de infallibilitate Papæ in quæſtionibus facti, in Collegio Claromontano Lutetiæ prodita. 276, 279. *Quinta* de Theologia Morali. 282. &c *Sexta* de attritione. 297.

Jeſuitiſſarum ſecta ab Urbano IIX. abolita. 235.

Ignatii Lojolæ apotheoſis. 230, 234.

Illuminatorum ſecta in Hiſpania emergens ſupprimitur. 232.

Imaginum cultus Orientales & Occidentales inter diſceptatur 46. in Gallia de ejuſdem antiquitate Maimburgium inter & Sorboniſtam controvertitur. 321.

Imperatorum migratio Conſtantinopolitana Papatum promovet. 29. Gratiam Pontificis R. ambiunt. 45.

Imperatoris titulos ſub Johanne IX. beneficium Papæ eſſe incipit. 59.

Imperii Ordines Cheregato Hadriani VI. Legato reſpondent, & centum gravamina eidem exhibent. 159. Reformatio ab iis tentata qualis? 161. Campegium in Comitiis Norimbergenſibus non admittunt, & ad Concilium liberum provocant. 163. Paſſavii & Auguſtæ Religioſam Pacem ſanciunt. 178. Monaſterii & Oſnabrugis Pacem invito Papa concludunt. 258. &c.

Index librorum prohibitorum Pauli IV. juſſu conſcribitur. 183. Alexandri VII. juſſu Bullæ Pontificum aliique libri Pontificii in eundem referuntur, 289.

Indulgentiarum commercium Leo X. falſis prætextibus exercet, 152. Plures Innocentius XI. aboler. 323.

Infallibilitas Papæ in quæſtionibus facti à Jeſuitis aſſeritur. 276. à ſanioribus Galliæ Theologis rejicitur. 277. Sorbonæ circa eandem declaratio. 278, 279. Curia Pariſienſis de ea Conſilium graviſſimum. 287, 288.

Innocentius I. Papatum promovet. 25.

Innocentii II. in deprimendis Imperatoribus faſtus. 94.

Innocentii III. in deprimendis Impp. faſtus. 102. in Concilio Lateranenſi Tranſubſtantiationem, aliaque definit. 103. Monachorum mendicantium ordines inſtituit. *ibid.*

Innocentii IV. adverſus Fridericum odium inexpiabile. 105.

Innocentii X. electio. 254. admittit is elogium blaſphemiis refertum, ab Italo-Græco cuſum, quo Pamphilius Filio DEI præfertur. 255 Papatum non ipſe, ſed glos ejus Olympia Maldachina adminiſtrat. 256. Janſenitas damnat. 246, 257. contra Pacem Monaſterienſem proteſtatur 258, 259. Moritur. 260.

Innocentii XI electio. 322. Ejus ſtudium reformandi nonnulla, leviora licet, commendatum. Nepotiſmum abolere conatur. *ibid.* Indulgentias complures abolet. 223. Cum Rege Galliæ & ejuſdem Clero de jure Regaliæ diſceptat. 341, 342, 343 ad Cleri Gallicani literas acriter reſpondet. 344.

Inquiſitionis tribunal à Paulo IV. erigitur. 183.

Intentionis dirigendæ Methodus nova Jeſuitica. 283.

Joachimi Abbatis vaticinium de Seculo decimo tertio. 101.

Jobi Ludolfi elogium. 242.
Johannes III. P. cum Epiphanio Patriarcha Constantinopolitano de primatu contendit. 31. à Theodorico in carcerem compingitur. *ibid.*
Johannes IIX. fœmina. 50.
Johannes IX. tres Augustos pronuntiat. 59.
Johannes X. Theodoræ meretricis artibus Papa creatur. 69.
creatur. 69.
Johannes XI. Sergii & Marozíæ filius. 69.
Johannes XII. puer. 12. annorum Papa eligitur. 69. sceleratissimus omnium est. *ibid.*
Johannes XV. Papa nequissimus. 69.
Johannes XVII. fur, latro, proditor. 69.
Johannes XXII. se ipsum eligit. Animas ante finem mundi DEO frui negat. Imperatori Papam, ut Solem Lunæ præstare, decernit. 127. Cæsareo-Papatum tuetur adversus Ludovicum Bavarum. 128. Paupertatem palam irridet, & Christum pauperem fuisse, negat. 129. Ejus Bulla verè Babylonica adversus Ludovicum Bavarum. 130. Adversus eundem edictum Ludovici. 131.
Johannes XXIV. Concilium Romanum, cui bubo præfuit, celebrat. 139. In Concilio Constantiensi deponitur. 140.
Johannes Jejunator Constantinopolitanus Episcopus Romanis Pontificibus resistit. 30. Oecumenici Episcopi titulum affectat. 33. indignantibus ei Pelagio & Gregorio M. 34.
Johannes Barvota Vitoduranus. 129.
Johannes à Rupe Scissa Curiam Romanam graphicè depingit. 136.
Johannes de Vesalia Papæ tyrannidem oppugnat. 147.
Johannes Huss. Papam Antichristum esse asserit. 147. comburitur contra datam fidem. 148.
Johannes de Zapolya cum Ferdinando I. de Regno Hungariæ disceptat. 301.
Johannis Abbatis vaticinia. 151.
Isabellæ Philippi II. Conjugi favor erga Evangelicos exitium affert. 194.
Isidorus Mercator Episcopis Romanis primis Decretales falsas supponit. 10.
Itali Episcopi ab Ecclesia Romana deficiunt. 32.
Jubilæum Pontificium à Bonifacio IIX. instituitur. 116. Solennis quædam inauguratio fuit, qua se Papa Cæsarem jam & Pontificem esse Supremum declaravit. *ibid.* quid Jubilæo illo intenderit, ex moribus ejus colligitur. 117. continuati ejusdem causæ. 118.
Julius I. P. Episcopos Orientales depositos tuetur. 17.
Julii II. tyrannis & sævitia. Bella ejus adversus Venetos, Maximilianum, Gallos improbè gesta. Helveticos fraudulento fœderi innexos bullatis indulgentiis mactat. A Pisano Concilio ad reddendam villicationis suæ rationem vocatus, eidem Lateranense opponit. De eo judicium Pallavicini discutitur. 149.
Julii III. spurii mores, & prima purpura Innocentio, non sine gravi suspicione donata. 176. Concilium Tridenti restaurat. 177. contra Pacem Religiosam Augustæ concluſam ringitur. 178.
Julii Clementis Scoti de Ecclesiæ Romanæ post Tridentinum Concilium statu judicium. 291.
Judicialis Extractus Tyrnaviæ editi, quo Pastores Hungarici rebellionis insimulantur, examen. 318.
Juris Canonici origo & progressus. 95, 96. Cæsarei Juris Majestas per illud oppressa est. *ibid.* Papalem Majestatem validè munit. 97.
Justinus Imp. Romanis Episcopis se opponit. 30.
Justiniani I. de Sede Romana sensus. 31.

K.

KEllionis Jesuitæ adversus Pastores Hungaricos captivos crudelitas. 312, 313.

L.

LAniena Parisiensis. 195. Vallis Telinæ. 229. Hiberniæ. 251. Pedemontana. 265.
Latinitatis zelo fertur Alexander VII. 290.
Launojus Hadrianum VI. adversus Pallavicinum vindicat. 159.
Leo I. Papatum promovet. 25.
Leo IV. Papalem Sedem sine consensu Imp. occupat. 54.
Leo X. Papa eligitur. Lateranensi Concilio Pisanum extinguit. Principum dissidia fovet, & fortunæ servit. Helvetios nefariè dividit. 151. Mercator & Cananæus ingens, indulgentiarum commercium exercet. 152. Ejus atheismus & impietas variis testimoniis probantur. 154, 155.

Leodienſis Cleri de Eccleſiæ R. corruptione querela. 93.
Leopoldus Bambergenſis Ludovicum Bavarum defendit. 133.
Leopoldopoli Hungari Paſtores captivi peſſimè habiti. 312.
Liberius Papa Arianus. 18.
Literæ bonæ à Nicolao V. nutriuntur, quarum mox miniſterio Antichriſtus detectus eſt. 143.
Livio (Don) Nepotem inſtituere Innocentius XI. gravatur. 322.
Lollardi Papam Antichriſtum pronuntiant. 147.
Longobardi gratiam Romanorum Pontificum ambiunt. 45. à Pipino & Carolo M. donantur. 46.
Lotharingi Cardinalis dictum de Eccleſia Romana degenerante. 6.
Ludovici Pii donatio. 64.
Ludovici Bavari certamen cum Johanne XXII. 128. Roma occupata Johannem deponit. *ibid.* Edictum grave adverſus ejuſdem Bullam Babyloniam ſtringit. 130, 131. Ejuſdem heroicum adverſus Benedictum XII. diploma. Veneno ſibi propinato moritur. 132.
Ludovici Hungariæ Regis decretum adverſus Evangelicos. 301.
Ludovicus XII. Galliæ Rex Eccleſiam Romanam Babylonis nomine perſtringit. 150.
Ludovicus XIII. à Pontifice R. adverſus Evangelicos inflammatur. 231, ſeditioſis libellis ab Hiſpanis impetitur. 237. quibus ipſemet reſpondet. *ibid.* Rupellam capit. 241.
Lupanar Romæ à Sixto IV. inſtituitur. 146.
Luſitanorum de Habeſſinia ſubjuganda conſilia. 243.
Lutheri in reformanda Eccleſia auſus heroici. 153. Reformatio ejus initio imperfectior, mox perfectior evaſit. 162.

M.

MÆnardi Comitis Tirolenſis oratio gravis adverſus effœminatos Antichriſtos. 114.
Malachiæ Hiberni vaticinia de Pontificibus. 322.
Marca. V. *Petrus de Marca.*
Marcellus II. P. de ſalute Pontificum deſperat. 180.
Marcellii ars nova convertendi hæreticos. 218.
Marcus P. univerſalis Epiſcopi titulum ſibi arrogat. 17.
Mariæ conceptio diſceptata variè, in Hiſpania inprimis ingentes turbas dedit. 223. Ejuſdem Monita ſalutaria ad indiſcretos ſui cultores laudata, & à nonnullis Mariolatris oppugnata. 320.
Malmesburienſis de Eccleſiæ R. Seculo XII. facie miſera teſtimonium. 90.
Marozia meretrix Romæ imperitat. 66, 69.
Maſenii judicium de Hadriano VI. 159. ars nova. 218.
Mathildis Gregorii VII. patrona. 80.
Matthias fratrem Rodolphum vincit, & Bohemis Ferdinandum obtrudit. 225.
Mauritius Imperator à Phoca occiditur. 36.
Maximilianus II. Proteſtantibus æquior; religionis libertatem impertitur. 191.
Meretricis exoletæ cum Eccleſia Romana degenerante comparatio. 290.
Methodiſtarum novorum hiſtoria, artes variæ & inconſtantia. 218. Proditores ſunt cauſæ Pontificiæ. *ibid.*
Methodus nova Jeſuitarum, qua Bohemiam ad Papatum reduxerunt. 226.
Michael de Ruyter. V. *Ruyter.*
Milleſimus annus Eccleſiæ fatalis fuit. 71.
Militia clero vetita. 294.
Minorum fratrum religio in Concilio Viennenſi confirmatur. 124.
Miſſale Romanum Gallicè redditum Alexandro VII. ſtomachum movet. 290.
Monachorum mendicantium Ordines ab Innocentio III. inſtituti. 103. Pontificibus grati ſunt. 109. à Guilhelmo de S. Amore refutantur. 109. Evangelium æternum meditantur. 110. &c.
Moralis Theologia Jeſuitarum, ejuſque principia. 282. Ei Alexander VII. primò ſuccenſet, mox favet. 285. Sorbonæ cenſuram ſubit 282. &c.
Morlandus lanienam Pedemontanam deſcribit. 265.
Muhamediſmus & Papiſmus eodem ferè tempore emergunt. 39.
Mutii Vitelleſci, Jeſuitarum Generalis, querela de Jeſuitis detractatoribus. 292.

N.

NAnnetenſis Edicti hiſtoria. 327. Recentioribus edictis & perſecutionibus variè labefacta-

factarum est, puta in articulis concernentibus libertatem conscientiæ 329. Ægrorum & afflictorum consolationem. 330. Liberorum educationem. 331. Religionis exercitium publicum. 332, 333, 334. Scholarum & Academiarum libertatem. 335. Exercitium disciplinæ ecclesiasticæ. 336. Cameras Edicti. 337, 338. Pares cum Pontificiis prærogativas. 339.

Nepotismus Alexandri VII. 270. Ejus arcana jam olim detexit Alvarus Pelagius. 271. De eodem querela Francisci Rhotomagensis 272 Verbo DEI & Canonibus Conciliorum refragatur. *ibid.*

Nerius (Phil.) canonizatur. 230.

Nicolaus I. P. à Seculari potestate judicari renuit. 55. Lotharium excommunicat. Cum Michaele Imp. ob restitutum Photium expostulat. *ibid.* Sacerdotes conjugatos persequitur. *ibid.*

Nicolai III. historia. 113.

Nicolaus V. Antipapa 124.

Nicolaus V. P. literas & literatos fovet. 143.

Nicolaus Clemangis Ecclesiam Romanam Apocalypticæ Babylonis titulo insignit. 147.

Nicolaitarum hæresis à Gregorio VII. ficta. 83.

Nihusii (Bartholdi) ars nova 218.

Nomen primus Papa Sergius II. antea os porci, mutavit. 54.

Norinbergensium Comitiorum in negotio religionis acta. 163.

O.

Occamus Ludovicum Bavarum defendit. 133.

Oecumenici Episcopi titulus à Gregorio M. damnatur. 33, 34, 36, 37. Quo sensu Patrem Romanum Pontificem Oecumenicum appellaverint? 38.

Olympia Maldachina Innocentii X. Papatum moderatur, cujus historia ex Abbate Gualdo narratur. 256.

Onus Ecclesiæ, liber, de corruptione Ecclesiæ queritur. 57.

Oriens ferè totus Pontificis Romani culpa Turcæ jugum subivit. 142.

Osculum pedum à Senatu Romano Valentinus Papa admittit. 52.

Othonis Pii donario, 64.

P.

Palatinatus post victam Bohemiam tempestas. 228.

Pallavicini (Card.) judicium de Julio II. 149. de Leone X. 155. de Hadriano VI. 158. de Clemente VII. 164. Simoniam Pauli III. defendit. 165. Nepotismum Alexandri VII. quomodo adjuverit? 270. Ejus de Ecclesiæ Romanæ post Concilium Tridentinum statu cum Suave Polano conflictus. 291.

Pamphilius Innocentius X. Filio DEI blasphemo prælatus. 255.

Papæ electio qualis esse soleat? 261. quid in ea Seculares, quid Cardinales spectent? 262. Ejus eligendi forma à Gregorio XV. præscribitur. 230.

Papatus & Muhammedanismus eodem tempore emergunt. 39. V. *Romana Ecclesia.*

Paris (Matthæi) querela de Cleri Anglicani corruptione. 101.

Parisiensis laniena horribilis. 195. à nonnullis excusata; à Maximiliano Imp. Turca, Thuano, aliis, ipso Carolo IX. pœnitente damnata. 196. à Gregorio XV. & Jesuitis laudata. 196.

Parricidia à Jesuitis defensa. 214.

Paschalis I. P. electio anomala. 51.

Paschalis II. Henricum IV. persequitur. 94.

Paschasius Ratbertus, corruptor doctrinæ de Eucharistia. 63.

Passavii Pax Religiosa Imperii sancitur. 178.

Paulo Ap. multùm Ecclesia Romana debet. 2.

Pauli III. Papatus; de eo testimonia libri Italici, Onuphrii. Simonia ejus à Pallavicino nequiter defensa. 165. Qualem se erga Cæsarem gesserit? 166. Concilii celebrandi studium testatur. Ejusdem jussu Consilium à Cardinalibus & Episcopis de reformanda Ecclesia conscribitur. 167. cujus præcipua capita narrantur. In nervum tamen, dissidentibus in ejus examine Cardinalibus, non erumpit. 168. Jesuitarum ordinem confirmat. 169.

Pauli IV. Draconicus adversus Cæsares, Carolum & Ferdinandum, animus. 181. Concilium Tridentinum detestatur. 182. Draco & Leo est. 183. ejusdem Bulla de puniendis hæreticis etiam Imperatoribus & Regibus. Tribunal inquisitionis instituit. Indicem librorum prohibitorum conscribi curat. More Turcico Papatum promovet. 183.

Pauli V. electio & conclave. Divinis honoribus se

se affici patitur. 219. Historia dissidii ipsum inter & Venetos, in quo succumbit victus. 220. Ecclesiam non reformavit, sed deformavit. 222. Controversias de auxiliis gratiæ & conceptione Mariæ definire non est ausus. 223. Ex decimis Italiæ bellum Bohemo-Germanicum sustentat. 227.

Paulus Servita Venetorum causam agens à sicariis impetitur; scriptum ejus in Venetorum causa. 220. ejus de Papatu post Concilium Trid. sententia. 291.

Paupertatem palam Johannes XXII. irridet, & Christum pauperem fuisse negat. 129.

Pedemontana laniena horribilis. 265. ejus vera causa inquiritur. *ibid.* Vindicta de persecutoribus sumpta. 266. V. *Valdenses.*

Pelagius P. Johanni Jejunatori se opponit. 34.

Perronius (Card.) prodit arcana Conclavium Papalium. 219.

Petrarcha Curiam R. depingit. 125.

Petrus an fundaverit Ecclesiam Romanam? 1, 2.

Petrus de Marca negans Reges Galliæ in Bulla Cœnæ Domini excommunicari, refellitur. 240. de jure Regaliæ scribit. 342.

Phocas parricida Mauritii Domini sui. 36. ejus de Ecclesia Romana Ecclesiarum omnium capite edictum. *ibid.*

Philippus Bard. imagines Patrum Concilii VI. removet. 46.

Philippi Pulchri R. Galliæ cum Bonifacio IIX. de investituris certamen. 120.

Philippi Belluacensis Episcopi Militis historia. 294.

Photius Patr. Const. deponitur. 58. restituitur 55.

Picherelli liber de Missa ab Alexandro VII. prohibetur. 289.

Pii II. facinora ingloria. 145.

Pii IV. Papatus. 184.

Pius V. de salute desperat. 191. Adversus fideles sævit, & apud Maximilianum libertatem religionis impertientem protestatur. *ibid* Angliam, Scotiam, Galliam turbare conatur. 192. Belgii Hispanici tragœdiam excitat. 193. piare sua ab Espencæo jubetur. 221.

Platina Pontifices Seculi X. malè pingit. 69.

Pontani Venetorum Ducis dictum de anathematis Pontif. 220.

Pontifices Romani. V. *Romana Ecclesia.*

Posonienſe tribunal procedit adversus Magnates Hungaros Evangelicos. 306. Pastores. 307. &c.

Prædestinationis doctrinam sanam tuetur Godeschalcus: oppugnant Rabanus Maurus, Scotus, Erigena. 56.

Prædicandi munus Curatos inter & Monachos controvertitur. 280.

Pragmatica sanctio à Ludovico IX. conficitur 113. à Concilio Basileensi confirmatur. *ibid.*

Presbyteri & Episcopi identitas ex Hieronymo asseritur. 12.

Probabilitas Jesuiticæ Theologiæ Moralis principium. 283.

R.

RAbanus Maurus sanam de Prædestinatione doctrinam oppugnat. 56. saniorem de Eucharistia sententiam propugnat. 63.

Rackozius libertatis Hungaricæ vindex. 304.

Ravaillacus parricida Henrici IV. Papam DEum agnoscit. 205.

Ravennatensis Ecclesia à Nicolao I. opprimitur. 55.

Ras-Seelaxus partium Romanarum in Habessinia Dux. 242.

Reformationem Ecclesiæ urgent Durandus Mimatensis, licet desperet de eadem. 123. Sigismundus I. in Constantiensi Concilio. 140. Concilium Basileense. 141. Langius. 156. author libri, cui titulus: Onus Ecclesiæ; & alterius, cui titulus: de præstandis decimis. 157. Hadrianus VI 158, 160. Ordines Imperii, & Cantones IX. Helvetiæ. 161. Prælati jussu Pauli IV. consilium de reformanda Ecclesia ineuntes. 167, 168. Concilium Tridentinum. 173. Seriam aggrediuntur Lutherus & Zvvinglius. 153 &c. 162. Innocentius XI. Romanam Curiam reformare conatur. 323.

Regaliæ jus Regem & Clerum inter Galliæ, & Pontificem controvertitur. 341, 342.

Ribaldi (Est vox ad carnificem Evangelicos mactantem. 268.

Richelii methodus controvertendi hæreticos. 218. seditiosis libellis impetitur. 237.

Ritus novi Caroli M. tempore in Ecclesiam introducti. 49.

Roberti Galli liber adversus Papam. 121.

Rodolphus I. Imp. Romam ire detrectat, & Papæ Romandiolam donat. 113.

Rodolphus II. Bohemis favet. 224. acie victus præ mœrore moritur. 225. Hungaris religionis libertatem impertitur. 291.

Rodolphus Sueviæ Dux Parcensii ab Hildebrandinis Imperator eligitur. 80. prælio victus perit. *ibid.*

Roma à populis septentrionalibus vastatur. 28. Sub Clemente VII. capta diripitur. 164.

Romana Ecclesia. Ejus historia septem periodis inclusa pertexitur. 1. f. V. *Breviaria septem Periodorum.* Origo ejus disceptata. 2,3. fundatæ ab Apostolis celebritas. 3. elogia à S. Patribus ei tributa. 4. primorum ejus Episcoporum humilitas. 5. Diu ab hæresi immunis manet. 7. In regimine paulatim deflectit. 11 Unde typus ejus mature cæteris displicuit. 13. Ambitio ejus Constantini favore augetur. 16. Primatus ejus variè affectatus licet, nondum tamen agnoscitur 16-36. Adversus ejus avaritiam Imperatores decreta condunt. 21. Ecclesia Orientalis primatui ejus in Concilio Nicæno, 16. Constantinopolitano. 22. Chalcedonensi reclamat. Ejusdem cum Episcopis Constantinopolitanis æmulatio. 26-36. Sub Phoca supremam in Spiritualibus potestatem impetrat; & deinceps variè exercet. 36. &c. simul. Gregorii M. indicio, Antichristiana fit. *ibid.* & verus in eam Papatus introducitur. 39. In Concilio Constantinopolitano VI. in ordinem redigitur. 42. Ejus status Seculo IIX. proferendæ dominationi ejus inprimis idoneus. 45. Cultum imaginum adoptat. 46. &c. Ditionis Romanæ dominium feudali nexu adipiscitur, & ab Imperatore Orientali deficit. 46. Sub Carolo M. liberiùs se Papatus ejus movet, benevolentia ejusdem adjutus, & ceremoniis ejus in Franciam introductis. 49 Titulum Imperatoris sui beneficii facit. 59. Leges ejus irrefragabiles esse Stephanus VI. jubet. 61. Monstra Seculo X. in eam introducta. 62, 65. &c. Clerus ejus totus corrumpitur. 70. Ejus circa annum millesimum status miserabilis. 71. Cardinalibus Papæ electoribus administratio ejus cedit. 74. &c. potestatem in temporalibus etiam supremam sub Gregorio VII. affectat. 79. &c. Bellum Sacrum & militiam cruciatam decernit, ut ablegatis in Orientem Principibus liberiùs dominetur. 86. &c. Calamitosa ejus circa Seculum XII. facies. 90. Ejus Papa fit Rex absolutus, & Imperatores deprimit. 94. &c. Verbi Divini Majestati Theologiam Scholasticam; & Juris seu legum humanarum Majestati jus Canonicum opponit. 95, 96. &c. Ei se fideles, Waldenses inprimis, opponunt, 99. In Concilio Lateranensi Transubstantiationem, aliaque definit, & Deum Maozim extollit. 103. A Monachis mendicantibus, Franciscanis & Dominicanis sustinetur. 104. Æternum Evangelium à Monachis excogitatum, blasphemiis scatens, segniter reprimit, quia nudum ejus Papatum repræsentabat. 110, 111. &c. Sub Bonifacio IIX. etiam in temporalibus Supremam potestatem impetrat, adeoque Papatui fastigium imponitur, intercedente Jubilæo, ceu solenni inauguratione Supremæ in Spiritualibus & temporalibus potestatis. 115, 116. &c. Cæsaræo-Papatum suum tuetur adversus Ludovicum Bavarum. 128. &c. à cordatis Babylonis nomine insignitur, & corruptio ejus variè reprehenditur. 135. &c. schismate pertinacissimo inde ab Urbano VI. ad Concilium Constantiense usque distrahitur. 138. &c. Orientales Ecclesias deserens causa fit, quòd Turcæ jugum eædem subiverunt. 142. Nubes testium adversus eandem 147, 150. persecutionem gravissimam sustinentium. 148, 150. Ab ea instituitur separatio fidelium per Reformationem Lutheri & Zvvinglii; cujus necessitatem Pontificii agnoverunt. 152. &c. 162. Concilium liberum expetitur ab iis, qui adversus R. Ecclesiam protestabantur; in cujus locum institutum Tyrannicum, Tridentinum, separationem Protestantium non sustulit, sed promovit magis. 164-189. Separatam à se Ecclesiam Evangelicorum persequitur diris modis. 190. f.

Rupella à Ludovico XIII. capitur. 241. insultante eidem Urbano Papa. *ibid.*

Ruyter Archithalassus Fœd. Belgii, Pastores Hungaricos ex triremibus Neapolitanis liberat. 316.

S.

Sacrum bellum. V. *Bellum sacrum.*

Sacramentarii certaminis Paschasium inter & Bertramum historia. 63. continuatio ejusdem sub Berengario. 78.
Sales V. *Franciscus de Sales.*
Santarelli liber de potestate Papæ, Regum potestati iniqvus, Sorbonæ censuræ subjicitur. 238.
Sarisburiensis Epistola ad Hadrianum IV. de corruptione Ecclesiæ Romanæ. 92.
Schisma Ecclesiæ R. à tempore Urbani VI. ad Concilium Constantiense usque pertinacissimum. 138. &c.
Sciopii Classicum belli Sacri. 227. Miracula Jesuitarum depingit. 234.
Scotus Erigena doctrinam sanam de Prædestinatione oppugnat, 56.
Scotia à Pio V. turbata 192.
Seculorum, quibus Ecclesiæ Romanæ historia innectitur, historia, veluti primi, Secundi, Tertii. 1-16. Quarti, 16-25. Quinti, 25-29. Sexti, 29-36. Septimi, 36-45. Octavi, 45-50. Noni. 50-65. Decimi, 65-72. Undecimi; 72-89. Duodecimi, 89-101. Decimi tertii 101-116. Decimi quarti, 116-139. Decimi quinti 139-149. Decimi sexti 149-208. Decimi septimi 208-f.
Sedunensis Cardinalis Helvetios nefariè dividit. 15.
Seminaria Romæ à Gregorio XIII. instituta. 198.
Sergius II. Os porci dictus, nomen mutat. 54. Sedem P. sine consensu Imperatoris occupat *ibid.*
Sergius III. ex Marozia Johannem IX. gignit. 69.
Sforzia Pallavicinus V. *Pallavicinus.*
Sigismundus I. Concilium Constantiense à Johanne XXIV. convocari magno studio curat. 140
Sigismundus Austriæ Dux à Papa ad Concilium, à Concilio ad Christum provocat. 147.
Silvestri I. necromantia. 69. 73.
Simoniacorum hæresis fictitia 83.
Sinenses ad Papatum conversi, ab eodem deficiunt 243.
Siricius P. potestatem Papalem amplificat, 23. Doctrinam sanam contaminat. 24.
Sixtus III. P. Papatum promovet. 25.
Sixti IV. impuritas. 146. Helvetiis nefariè illudit. 146.
Sixti V. crudelitas. Henricos Navarrum & Condæum fulmine sacro ferit. 199. Adversus Henricum III. Monitorium diploma edit, cui Rex asperè respondet. 200. Parricidium Clementis laudat. 201. Vulgatam versionem recognoscit. 202. Hispanis infensior gratiam Henrici IV. & Clementis ambit. Unde ei Navaristæ nomen, & mors ab Hispanis acceleratur. 203.
Sophiæ Reginæ Bohemiæ testimonium contra Papam. 147.
Sorbona Santarelli de Potestate Pontificia librum damnat. 238. ob censuram geminam, Vernantii & Guimenii, à Pontifice Alexandro VII. apud Regem Galliæ accusatur. 287. Ejusdem doctrina circa infallibilitatem Papæ. 279. Dissidet à Jesuitis circa propositiones varias. 281. Theologiam Moralem inprimis. 282.
Stampesii censura librorum seditiosorum adversus Regem Galliæ, dissidium excitat. 237.
Stanislaus Coska canonizatur. 230.
Stephanus I P. jus appellationis ad Ecclesiam Romanam tuetur. 15.
Stephani V. electio anomala. 51.
Stephanus VI. leges Ecclesiæ Romanæ ut irrefragabiles sint, sancit. 61.
Stephanus VII. sævit adversus cadaver Formosi. 61.
Stercoristæ dicti assertores sanioris de Eucharistia doctrinæ. 63.
Stiriæ persecutio. 206.
Strada (Fam.) causam aperit Caroli Inf. Hispaniæ in carcere interfecti. 194. Lanienam Parisiensem laudat. 197.
Suavis Polanus V. *Paulus Servita.*
Successionis Paparum turbatio. 62.
Susnæus Habessiniæ Rex Pontifici R. jurat. 242.
Symmachi P. historia. 28.

T.

TAxa Pœnitentiaria ab Espencæo perstringitur. 221.
Telina Vallis V. *Vallis Telina.*
Templariorum horribile excidium, ejusque causa. 124.
Tergesti in carcere Pastores Hungarici pessimè habentur. 317.
Testium adversus Ecclesiam Romanam nubes. 147. Eorundem persecutio & martyria. 148.
Thasii Agesilaum DEum facientes irrisi. 230.

Theo-

Theodora & Marozia meretrices Romæ imperitant. 66.
Theodorici Uriæ de mutatione Ecclesiæ Romanæ in pejus apophthegma. 3. 147.
Theodosii edictum adversus avaritiam Cleri Romani. 21.
Theologiæ supinus Seculo jam sexto neglectus. 4.
Theologia Scholastica juri & verbo Divino succenturiatur. 95, 98. à Jansenio damnata. 24[illegible].
Theologiæ Moralis Jesuitarum principia. 282. à Sorbona notatur. *ibid.*
Theresia Hispana canonizatur. 230.
Thomas Villanovanus canonizatur 273.
Titus Oates Conspirationem Anglicanam detegit. 325. (208.
Toletus Hierarchiæ Anglicanæ Secretæ Rector.
Tornacensis Episcopi literæ Pastorales. 320.
Transsubstantiatio in Concilio Lateranensi definitur. 103.
Typographiæ origo & usus 144.

V.

Valentis Imp. edictum adversus avaritiam Cleri Romani. 21.
Valentinus P. osculum pedum à Senatu R. primus admittit. 52. (Cleri Romani, 21.
Valentiniani Imp. edictum adversus avaritiam
Valeriani M. Capuc. Ars nova. 218.
Vallis Telinæ laniena horribilis 229. à Pontifice non improbata. *ibid.* Eadem Gallum exigere Urbanus IIX. conatur. 236.
Venetorum cum Paulo V. dissidium ob interdictum de bonis Soli & immobilibus ab Ecclesiasticis non possidendis: in quo victores discedunt. 220. Iidem Græcis Templum concedentes à Papa reprehensi. 231.
Verbi Divini Majestas per Theologiam Scholasticam supprimitur. 95, 98.
Vernantii defensio Papæ adversus Sorbonam. 280, 281.
Veronistarum nova Methodus. 218.
Victoris adversus Ecclesias Asiaticas typhus. 14.
Viennensis Pacificatio Hungaris exercitium religionis liberum concedit. 301. Confirmatur ab Imperatoribus pluribus. *ibid.* Violatur eadem variè. 302.
Urbani II. P. Hildebrandini & Clementis III. contraria studia. 84.
Urbani III. fastus in Imperatore deprimendo. 94.
Urbanus VI. schisma orditur. 138. Contraria ejus & Clementis studia. *ibid.*
Urbani IIX. electio. Nepotes promovet. 233. Jesuitas præcipuos; aliosque canonizat. 234. Bullam Cœnæ Domini renovat. 240. Rupellæ subjugatæ insolenter insultat. 241. Habessiniam frustra Sedi suæ subjicere conatur. 242. Adversus Cæsarem & Hispanum Gallos inflammat: Hispanorũ adversus eundem consilia 244.
Ursicinus P. Papatum promovet. 19.
Vulgatæ versionis recognitio Sixtina, à Clemente IIX. rejecta. 202.

W.

Waddingus motus Hispaniæ ob controversiam de Conceptione Mariæ describit. 223.
Waldensium origo, dogmata, persecutio, 99, 100. continuata sub Innocentio III. qui cruciatam militiam & Prædicatores Monachos adversus eos concitat. 104. Eorum status paulò ante reformationem. 150. Persecutio sub Ducibus Philippo II. Carolo; &c. 264. Pax iis à Carolo Emmanuele data, à Gastaldo violatur nefariè *ibid.* Laniena eorundem horribilis. 265. Vindicta Divina de persecutoribus sumpta. 266. Imago quædam pacis ab Angliæ, Galliæ, Belgii, Helvetiæ Legatis iis procuratur; quæ iterum iterumque violatur. 267.
Walenburgiorum Fratrum ars nova. 218.
Wesselus Groningensis in Papæ abusus invehitur. 147. (bit. 295.
Wicelius adversus Episcopos Milites acriter scri-
Wicleffus Anglus Antichristum detegit, oppugnat. Ejus zelus & patientia admirabilis. 137, 147, 148.
Wynyedy (Steph.) literæ suppositiæ, à Bethleno convictæ. 318.
Wormatienſia Comitia Henrici IV. & Ordinum Gregorium VII. deponunt. 80. Eorum decreti contra Protestantes executio urgetur. 163.

Z.

Zaffii (Nic.) pietas erga Pastores Hungaros captivos. 317.
Zosimus P. Papatum promovet. 25.
Zvvinglii Ecclesiam reformantis heroici ausus. 153. Reformatio ejus magis magisque perficitur. 162.

FINIS.